VERITAS

Geographica
Horographica
Optica
Physica
Politica
Ascetica
Arithmetica
Chronologica

Experientia
Ratione
Demonstratione
Fide

Nos Ratio, atq; Fides
nos Demonstratio
et Usus
Dirigit; his VERUM
discitur auspicijs

1350
4
80
99
100

E. Nasenthaler Del. et Scul:

CURIOSIORA ET SELECTIORA VARIARUM SCIENTIARUM MISCELLANEA

R. P. MARTINI SZENTIVANY E. SOC: JESU.

CURIOSIORA ET SELECTIORA VARIARUM SCIENTIARUM MISCELLANEA.

AUTHORE
R.P. MARTINO SZENTIVANY
Societatis JESU Sacerdote.

DECADIS TERTIÆ PARS PRIMA.


Cum Facultate Superiorum, & Privilegio Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis, Speciali.



TYRNAVIÆ,
Typis Academicis, per Joannem Andream Hôrmann.
M. D. C.C. II.







SPECTABILI AC MAGNIFICO DOMINO,
DOMINO

FRANCISCO KLOBUSICZKI,

Libero Baroni de Zethén, Inclytorum Comitatuum de Zaránd Supremo Comiti, Sárossiensis Administratori, Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis, Personalis Præsentiæ Regiæ in Judicijs Locumtenenti, & Consiliario, &c. Domino Domino gratiosissimo.



Ihil vereor Spectabilis ac Magnifice Domine, *ne me aut erroris pœniteat, aut tanquam non* Tuus, *alienis à* Te *oculis aspiciar, cùm ad* Te *Dissertationes hasce meas delatum accedo; quando ab ipsa operis fronte, velut nautico indice huc adductus ad* Te *omnino eas pertinere didici, ensu prævio jam percipiens quantum dignitatis, quantum etiam pretij ijs sit accessurum, ubi* Te *in propyleo præferre licuerit,* Cujus *disertissimarum Virtutum Excellentiam latiùs jam multò, quàm Regni fines sint, famâ prolatam nemo non apertè no-*

vit.

vit, nemo non suspicit, nemo non veneratur. Nec *tamen velim arbitreris, tantum me mihi sumere, ut cum amplissimo disertissimóque* Nomine Tuo *vel æquare laborem meum, vel eo me insinuare audeam, quo* Te merita Tua, *proclamatæque* Virtutes [illegible], *quando non ignoro* Te, *cùm inter privatos parietes clam cum Virtutibus familiariter differeres,* Te *inquam, tunc adeo longè à* Domo Tua *discessisse, ut famâ non vulgari, non modò* Tuos *latè populares impleres, sed inscius etiam, ac* Tui *quodammodo oblitus, in* Principum, *in* Purpuratorum, *in ipsiusmet Augustissimi Aulas ires primùm, deinde placere, suspici, amari, æstimaríque inciperes,* Tuis *ubique pro* Te (*vel* Te *tacente*) *perorantibus apud Eos meritis, quibus sine* Tuo *honore placere non poteras. Sequi proinde* Tua *merita vel invitus debuisti ad favores, ádque altiores dignitatum gradus, ut quem amare visi sunt Principes, honoribus pariter bene meritum ornarent inclytis. Quantum Augustissimi Cæsaris Régisque* Tui *Apostolici favorem, Virtutis ac Fidelitatis* Tuæ *famâ* Tibi *conciliaveris, mille testes sunt illæ gratiæ, quibus in publicum & irrefragabile Fidelitatis, Sapientiæ & Religionis, aliorúmque optimè gestorum* Tuorum *testimonium* Te *primùm ex ipsis confusæ ac perturbatæ Patriæ periculis ad anchoram portúmque Clementiæ Cæsareæ velificantem in Aulæ Familiarium ordinem adlectum, Torquéque aureo* Sibi *priùs catenatum, vetustæ Nobilitatis privilegio, Baronis nempè, & unà Consiliarij titulo voluit honorari. Fugiebas* Tu *quidem, & pro innata animi* Tui *demissione publicos hos honores mereri contentus declinâsses, nisi altiori compulsus Imperio, vel invitus admittere debuisses: quâ demissi animi* Tui *modestiâ illud*

ampliùs

ampliùs à pectore Clementiſſimi Principis obtinuiſti, ut & Regiæ ſuæ Perſonalis Præſentiæ Typum Sapientiæ Tuæ *impreſſum, in Tribuñalibus Regni, juréque dicundo circumſerre, & duobus in Patria Comitatibus, ſupremâ auctoritate Moderator præeſſe jubereris, utrobique Symboli Cæſarei, Conſilij ſcilicet & Induſtriæ, Cultor, Promotor amatórque ſtudioſiſſimus ac fideliſſimus.*

Nec minùs avidè Principum Te *ornatum favoribus aſpexerunt Populares* Tui, *quàm ipſi Principes* Te *favoribus ornatum exhibuerunt; Compertum enim jucundo, familiarique jam uſu toti regno fuit, ſe in non modicam honorum, dignitatum, & Favorum* Tuorum *partem venire, ut cujus ingenioſa benefaciendi dexteritas ita novit accipere gratias, ut nemini non inde tribuat, ſed & ita novit tribuere, ut ſemper unde tribuere poſſit in ſe contineat, pomiferæ arbori ſimillima quæ ſuccum è terra, rorem ex aëre, pluviam è nubibus, ſolem è Cœlo, alia de cauſa non accipit, quàm ut fructum ex ea legant indigentium manus; ſatis etiam pro ſe fœcunda ſi longam è terra & Cœlo hauriendo vitam, parere ſemper ſine defectu egentibus poſſit. Ita nimirum &* Tu, *quæ ab altioribus ſuſcipis, Sapientiſſimâ* Tuâ *Induſtriâ, & ingenioſo animi Conſilio facis* Tua, *ut cùm* Tua *ſunt, habeant omnes unde accipiant. Quos inter dum & ego accenſeri geſtio, Diſſertationes haſce meas, ampliſſimo* Nomini Tuo *ſubſterno ſubmiſséque dedico, ut quod ijs fortaſſe ad dignitatem, pretium, ſplendorémque deeſt, ab indeficienti* Nominis Tui *dignitate, pretio, ſplendore, ac auctoritate, feliciſſimâ fœcundáque communicatione accedat.* Tu *proinde illas ne deſpicias, ſed addi-*

tis Tui Nominis *Insignibus*, *longæ posteritati transcribas.* *Neque enim displicituras legentibus ominabor*, *cùm* Te *in illis conspicient*; *etsi enim in aliquibus fors deficerent*, *quia tamen* Tuæ *sunt*, *&* Tu *in illis*, *habebunt nihil quod ulli displiceat.* *Ego verò satisfactum mihi arbitrabor abundè*, *si ex optimo animo profectam*, Tuóque Nomini *dicatam opellam meam* Tibi *haud displicere sensero.* *Divina Bonitas servet* Te *suæ imprimis gloriæ*, *Religioni Orthodoxæ*, *Auspicijs deinde Cæsaris*, *Patriæ*, *publicóque Bono promovendo in seram ætatem feliciter superstitem*; *ita ex intimo animi sensu precor voveóque.* *Tyrnaviæ* 1702.

Spectabilis ac Magnificæ Dominationis Tuæ

Servus in Christo devinctissimus

P. Martinus Szentivany è Soc. JESU.

SERIES ET INDEX

Dissertationum Primæ hujus Partis, Decadis Tertiæ.

TRes Dissertationes hujus Tertiæ Decadis, nempè: Prima & Secunda Paralipomenonica Rerum Memorabilium Hungariæ, ac Ultima, de Statu Vitæ futuræ, seu de Statu Animæ Rationalis post Separationem à suo Corpore, fuêre impressæ seorsim, ad instantiam aliquorum, & prima quidem anno 1699. Secunda 1780. Ultima etiam 1699. Nunc verò hoc anno 1702. prodeunt denuò, cum alijs Septem Dissertationibus cum quibus faciunt Decadem integram, seu Decadis Tertiæ Partem Primam, singulæ siquidem Decades, tres partes continent.

Index Dissertationum Secundæ Partis, Decadis Tertiæ, proximè prælo subjiciendæ.

DISSERTATIO PARALIPOMENONICA, RERUM MEMORABILIUM HUNGARIÆ.

SEU

APPENDIX

Continens Catalogos Rerum Memorabilium in Hungaria.

PROLOCUTIO.

Adjicimus proximè priori Synopsi Chronologicæ Hungariæ, præsentem appendicem, tam ad liberandam fidem nostram, quâ adpromiseramus in fine Decretorum Hungariæ recenter editorum, nos hîc daturos catalogos Episcoporum Hungariæ, aliarúmque rerum memorabilium in Hungaria, quàm ut suppleamus, ea quæ omissa fuerant, & illustremus magìs illa, quæ dicta sunt, partim in prænominata illa Synopsi Chronologica, partim in Dissertatione quarta, partis primæ, Decadis secundæ, curiosiorum, & selectiorum variarum Scientiarum, miscellanerum, cujus Titulus erat: Notitia Horographica, Politica, Historica, Sacræ Coronæ Hungariæ, *quæ tunc ex certis causis prætermitti debebant.*

CATALOGUS I.

Continens Inaugurationes, Mortes, & Sepulturas Regum Hungariæ.

I.



Anctus Stephanus primus Hungarorum Rex, natus Strigonij Anno Christi 969. Geisâ Duce Patre, qui mortuus est Anno 997. Coronâ à Sylvestro Papa cœlesti monito submissâ, in Regem Hungariæ coronatus 1001. mortuus 1038. 12. Augusti, sepultus Albæ Regali.

2. Petrus coronatus 1038. Regno privatus 1041. Secundò corunatus 1044. Obijt 1047. Sepultus Quinque Ecclesijs.

3. Aba, ex Palatino Rex, coronatus 1041. à suis occisus 1044. sepultus in Monasterio Sáar.

4. Andreas Primus, coronatus Albæ Regali 1047. obijt in prœlio 1059. sepultus in Tihán.

5. Bela Primus, coronatus 1059. obijt ad Canisam 1063. sepultus in Monasterio Szexard.

6. Salomon coronatus Albæ Regali 1063. Regno privatus 1073. obijt Polæ in Istria 1077. úsque in finem vitæ occultus, & incognitus.

7. Geisa I. coronatus 1073. 22. Novembris. obijt 1076. 25. Aprilis. sepultus Vaciæ, in Basilica Beatissimæ Virginis.

8. S. Ladislaus coronatus 1076. obijt 1096. 30. Julij. sepultus Varadini.

9. Colomanus coronatus Albæ Regali 1096. obijt 1114. 5. Junij, sepultus Albæ Regali.

10. Stephanus II. coronatus 1114. qui dein Regno se abdicavit, mortuus in Monasterio, Agriæ. 1131. sepultus Varadini.

11. Bela II. cœcus coronatus 1131. Albæ Regali, obijt 1141. 13. Februarij, ibidem sepultus.

12. Geisa II. coronatus 1141. obijt 1160. 31. Maij, sepultus Albæ Regali.

13. Stephanus III. coronatus 1161. 22. Novembris. obijt Zemplini 1173. 4. Martij, sepultus Strigonij.

14. Ladislaus II. coronatus, mortuus, & sepultus Albæ Regali eodem anno 1273.

15. Stephanus IV. coronatus 1161. 11. Februarij, eâdem privatus 1173. quam tamen eodem anno recepit, sed rursus per mortem amisit, sepultus Albæ Regali.

16. Bela III. coronatus 1173. obijt 1199. 1. Maij, sepultus Albæ Regali.

17. Emericus coronatus 1196. obijt 2200. sepultus Agriæ.

18. Ladislaus III. coronatus Albæ Regali 1200. obijt 1201. sepultus Agriæ.

19. Andreas II. coronatus 1201. 3. Junij. obijt 1235. sepultus in Monasterio Egres, Ordinis Cistercienfis.

20. Bela IV. coronatus 1236. 14. Octobris. obijt 7. Maij 1275. sepultus in Templo PP. Franciscanorum Strigonij.

21. Stephanus V. coronatus 1276. obijt 1278. sepultus in Insula Budensi.

22. Ladislaus IV. coronatus 1278. obijt 1390. sepultus Csanadini.

23. Andreas III. coronatus 1290. obijt 1301. sepultus ad S. Joannem apud PP. Franciscanos Budæ.

24. Wenceslaus coronatus 1301. obijt 1307. confossus Olomucij.

25. Otto, coronatus Albæ Regali 1305. Coronâ privatus 1308.

26. Carolus I. coronatus Albæ Regali 1310. 2. Januarij, obijt 1342. Vissegradi 16. Julij. sepultus Albæ Regali in Basilica S. Stephani.

27. Ludovicus natus 5. Martij 1326. coronatus 1342. obijt 1382. 11. Septembris sepultus Albæ Regali in Sacello. et Rex Poloniæ.

28. Maria coronata Albæ Regali 1382. coronâ privata 1384. (quam tamen dein recuperavit) obijt 1392. sepulta Albæ Regali.

29. Carolus II. parvus dictus, coronatus 1384. 5. Decembris, occisus 13. Februarij 1385. sepultus Vissegradi.

30. Sigismundus coronatus Albæ Regali 1387. obijt Znojmæ in Bohem ia 1437. 9. Decembris, sepultus Varadini.

31. Albertus coronatus Albæ Regali 1438. 1. Januarij, obijt in pago Medgyes 1439. 27. Octobris, sepultus Albæ Regali.

32. Ladislaus V. posthumus, natus Comaromij 22. Februarij 1440. post quatuor menses coronatus, obijt Pragæ 1457. 23. Novembris. sepultus ibidem.

33. Uladislaus I. coronatus 1441. occisus in prœlio ad Varnam 1444. 11. Novembris. de Familia Jagiellonow Rex Poloniæ.

34. Matthias Corvinus electus in Regem 1452. 22. Januarij, coronatus 1464. 6. Aprilis, obijt Viennæ 1490. sepultus Albæ Regali.

35. Uladislaus II. natus 1456. 1. Martij, coronatus Albæ Regali 1490. 12. Julij, obijt Budæ 1516. 13. Martij, sepultus Albæ Regali.

36. Ludovicus II. coronatus 1505. 1. Martij, obijt 1526. 29. Augusti, in palude, post prœlium Mohacziense submersus, sepultus Albæ Regali.

37. Joannes de Zapollya, coronatus 1526. 11. Novembris, Coronâ privatus 1527. eidem restitutus 1530. obijt 1553. sepultus Scepusij.

38. Ferdinandus I. natus 1503. 3. Martij, coronam Hungariæ per Uxorem, Sororem Ludovici Regis adeptus 1427. 3. Novembris. obijt 1564.

39. Maximilianus natus 1527. 1. Augusti, coronatus Posonij 1563. 8. Septembris. obijt 1564.

40. Rudolphus natus 1452. 18. Julij, coronatus 1572. 25. Septembris, coronam Matthiæ Fratri resignavit 1608, obijt Pragæ 1612. 2. Januarij.

41. Ferdinandus II. natus Græcij 9. Julij 1528. coronatus 1618. 1. Julij, obijt 1637. 15. Februarij, sepultus Græcij.

42. Ferdinandus III. natus 1608. 13. Julij, coronatus 1625. 8. Decembris, obijt Viennæ 1652. 2. Aprilis.

44. Ferdinandus IV. natus 1633. 8. Septembris, coronatus 1647. 16. Junij, obijt 1654. 9. Julij, Ferdinando III. parente superstite.

45. Leopoldus I. natus 1640. 9. Junij, coronatus 1655. 27. Junij: vivit, & regnat.

46. Josephus I. natus 1678. coronatus vivente Patre Leopoldo Cæsare, Jure hæreditario in Regem Hungariæ 1687; vivat, & regnet.

CATALOGUS II.

Regnorum ad Coronam Hungariæ pertinentium.

1. Hungaria.

2. Bosnia, quæ & Rama dicitur, adscripta Hungariæ 1188. sub Bela cœco Rege. Quamvis Rama sit pars tantùm una Bosniæ, uti & Ducatus S. Sabæ.

3. Bulgaria adjuncta coronæ Hungariæ 1276. sub Stephano V. Rege.

4. Croatia. } Incorporata Regna Coronæ Hungariæ à S. Ladislao Rege
5. Sclavonia. } Hungariæ, post mortem Zolimeri, ultimi horum Regno-
6. Dalmatia. } rum Regis 1095.

7. Cumania. Fuit autem Cumania, ille, qui nunc est Tartarorum Præcopensium tractus, intra Boresthenem fluvium, & Pontum Euxinum. Hinc enim Cumani à Tartaris pulsi cum Cuthene suo Rege venêre in Hungariam, ad Belam IV. Regem, atque sub ejusdem clientelam se submisêre. Qui accipiens jus Regium in ipsam Cumaniam, Cumanos exulantes in Pannonia accommodavit, eisque plagam illam ad confluentiam Danubij, & Tibisci ad incolendum assignavit.

8. Gallicia, vel rectiùs Hallicia, cujus se Regem primus dixit Bela II. fuitque pars illa Russiæ Rubræ, quæ etiamnum Hallicienfis Tractus, vel Gallicienfis dicitur.

9. Lodomeria, quæ fuit pars altera, ejusdem Russiæ, dicta etiam Vodomiria.

10. Servia, quæ & Rascia dicitur, quam includit, cujus caput, & Metropolis est Belgradum. Eam Coronæ Hungariæ adjecit Salomon Rex, & Sigismundus Imperator per commutationem amplissimarum in Hungaria Ditionum factam, cum Despote Georgio pleniore jure eidem incorporavit.

CATALOGUS III.

Provinciarum ad Coronam Hungariæ spectantium.

1. Bessarabia, quæ est in finibus Moldaviæ, & úsquead Pontum Euxinum extenditur.

2. Corbavia, Tractus interioris Croatiæ, quæ specialem Ducatum constituebat.

3. Mor-

3. Morlachia, pars montana ejusdem Croatiæ versùs oram littoralem maris Dalmatici.

4. Moldavia.

5. Rama, pars una Bosniæ, versùs fluvium Ramam, in Naronem fluvium influentem.

6. Transylvania.

7. Valachia.

8. Siculia, pars scilicet illa Transylvaniæ, quæ à Siculis, Hungaris antiquissimis popularibus incolitur, éstque Valachiæ, & Russiæ contigua.

9. Rascia propriè est pars Orientalis Regni Serviæ, sic dicta â Fluvio Rasca, per eam labente; quia tamen natio Rasciana (præsertim post occupatas suas ditiones à Turcis) transfudit se partim ad confluentiam Savi & Danubij, partim etiam ultra Danubium ad partes Temesienses, sæpiùs nuncupantur & hæ partes, nomine Rasciæ, licèt confluentia Savi ad Danubium reipsâ spectet ad Regnum Sclavoniæ, partes verò illæ Trans-Danubianæ, circa Temesvarinum, & infra, ad Regnum Hungariæ acceptum in rigore.

CATALOGUS IV.

Continens Comitatus Hungariæ, cum rebus, & gestis in ijsdem memorabilibus.

COmitatus Hungariæ sunt certi districtus, & velut quædam Provinciæ, quorum singuli habent separatas Sedes suas Judiciarias, & Tribunalia, Conventus, seu Congregationes, imò & peculiaria aliqua Statuta, Magistratúsque ac Officiales, cujusmodi sunt: Supremus Comitatûs Comes, Vice-Comes, duodecim Assessores, Judices Nobilium, Jurati, & Notarij, ita tamen, ut & Prælati, Nobiles, & Ablegati Civitatum Regiarum Liberarúmque uniuscujúsque Comitatûs, ijsdem Conventibus, & Congregationibus omnes interesse possint, suamque vocem habeant, & quandóque etiam sub pœna adesse debeant. Magnitudo eorum non est eadem, sed alius alium superat amplitudine. Numerus eorum diversus à diversis ponitur. Bonfinius numerat 57. Verbôczius 63. Ranzanus 73 hæc subdens: *Memini jam non modò Hungariæ, sed totius etiam Regni Hungariæ Comitatuum: nec ignoro, & alios esse complures, quos non invitus missos facio. Quamvis enim perquisiverim perquàm diligenter, nunquàm tamen nactus fui hominem, qui mihi totum eorum numerum ordine retulisset.* Molnarus numerum eorum extendit ad 74. nonnulli etiam ad 75. sed includunt simul Transylvaniam. Nos posueramus

ramus in Horographia Hungariæ ſupra citata, numero 48. ſed excluſis Comitatibus Sclavoniæ, & Tranſylvaniæ. Diverſitas autem hæc in enumerandis Comitatibus Hungariæ inde orta eſt, quòd aliqui authores acceperint preſsè Hungariam, aliqui latiùs ſumptam, & prout alias quóque Provincias, ad Coronam Hungariæ ſpectantes complectitur. Alij ſolùm eos Comitatus, qui necdum, aut non planè fuerunt ſubacti à Turcica Tyrannide: alij promiſcuè omnes, alij pro ſuæ conſcriptionis tempore, alij autem pro eo, quo erat Hungaria in ſummo flore. Fatendum tamen eſt, aliquorum Comitatuum, per varias bellorum revolutiones, nomina prorſus interijſſe, vel plures in unum coaluiſſe. Nos hîc accipiemus latiori nomine ſumptam Hungariam, unà cum incorporatis eidem Provincijs, Sclavonia, & Tranſylvania, cùm & hæ Provinciæ fuerint in Comitatus diviſæ, ſícque acceptam dividemus in quinque partes, ſecuti naturalem ejuſdem per quatuor fluvios præcipuos Hungariæ, & altiſſimos montes diviſionem; recenſebimus verò non nuda nomina, & vulgarem ſeriem eorundem, ſed & ſitum, ac Ordinem, cum uniuſcujúſque rebus, & geſtis memorabilibus. Pro prima igitur illius parte ſtatuemus eam, quæ includitur fluminibus Savo, & Dravo, eorundémque oſtijs in Danubium influentibus, úſque ad fines Styriæ. Pro ſecunda, quæ continetur inter Dravum, & Danubium, úſque ad terminos ejuſdem Styriæ, & Auſtriæ. Pro tertia, quæ interjacet Danubium inter, & Tibiſcum, úſque ad montes, quibus ſeparatur à Moravia, Sileſia, Polonia, & Ruſſia rubra. Pro quarta, quæ trans Tibiſcum úſque ad montes quibus ſejungitur à Tranſylvania. Pro quinta, demum ipſam Tranſylvaniam. In prima itáque deſignata parte, ſunt Comitatus ſequentes.

§. I.

Primus eſt *Sirmienſis* inter Danubium ad ortum, Valconenſem Comitatum ad ſeptemtrionem, Proſegenſem ad occaſum, & Savum fluvium, quo ad meridiem terminatur.

Memorabilia.

Denominatus eſt ſic hic Comitatus à Sirmio, Urbe olim celebri, nunc ferè tota exciſa, & in vicum redacta. paucis admodùm conſtans incolis, ad radicem montis Almi (qui mons primus in Pannonia conſitus erat vitibus, juſſu Probi Imperatoris, cùm antehac in Pannonia nullus fuiſſet vitium uſus) & amnem Boſvetham, poſt quinque millia paſſuum infra, in Savum influentem. 2. Civitas Sirmienſis eſt Sedes Epiſcopalis, ſub Archi-Epiſcopo Colocenſi, media ferè inter Belgradum ad ortum, & Archiacum, vulgò Arky ad occaſum, undecim milliaribus Germanicis utrinque diſtans, novem verò à

Murſa

Murſa ſeu Eſzék ad meridiem; dicta fuit à Græcis poſterioribus Zeugminum. 3. Patria fuit Probi, & Aureliani Imperatorum. 4. Priori adhuc ſæculo antiquæ urbis apparebant veſtigia, quibus, quæ fuerit illius magnitudo ſatìs declarabatur. 5. Non procul ab hac urbe fuit famoſa apud veteres Palus Hiulca, hodie Palina dicta, quam Probus Imperator, ut Sirmicam Regionem, (utpotè Patriam ſuam) feraciorem redderet, exſiccare ſtatuerat, àtque ut illam exhauriret, innumerabilem multitudinem militum ad effodiendam foſſam evocaverat, ſed ſuborta militari ob indignum laborem ſeditione, in ferrata turri, quam ſpeculæ gratiâ latiùs, altiúſque ædificaverat, cæſus eſt; huic tamen ijdem milites pœnitentià ducti, mox elatis aggeribus ingens ſepulchrum poſuêre, cum hac inſcriptione: *Hîc Probus Imperator, & verè probus ſitus eſt, Victor omnium gentium barbararum, Victor etiam Tyrannorum.* 6. Temporibus Matthiæ Corvini Regis, magnis opibus florebat Laurentius Dux Sirmienſis, Nicolai Boſniæ Regis filius, qui poſtmodum à Rege Uladislao II. defecerat, ab eodémque debellatus, & in ordinem redactus eſt. 7. Olim latiùs nomine Sirmij accepto, tota illa pars, quæ inter oſtia Dravi & Savi orientem verſùs porrigitur, vocabatur Sirmium, & à modernis Geographis Raſcia inſcribitur. 8. In hac Civitate habita eſt ſub Conſtantino Imperatore ibi degente Pſeudo-Synodus, Anno Chriſti 357. 9. Titulus Ducatûs Sirmienſis, ſub Turcarum Tyrannide, jam obliteratus erat, ſed recenter recuperato Sirmio, reſuſcitatus eſt, & ab Auguſtiſſimo Leopoldo Cæſare Principi Odeſcalco benigniſſimè collatus.

Secundus Comitatus eſt *Valponenſis* ſeu Valconenſis, inter Comitatum Baranienſem ex altera parte Dravi ſibi oppoſitum, ad ſeptemtrionem, Poſegienſem ad occaſum, & Sirmienſem ad meridiem, ac Danubium fluvium, ad ortum.

Memorabilia.

1. Sic dictus eſt hic Comitatus à Valpo Civitate, quæ ſita eſt ad amnem cognominem, diſtátque à Dravo fluvio ſex millibus paſſuum, & vigintiquinque millibus paſſuum à Danubio in occaſum, uti decem à Murſa ſeu Eſzék, olim dicta putatur Cibalæ, ſive Cibalis, vel Bubalis, unde etiam Regio illi adjacens antiquitùs Bubalia dicta eſt. 2. Fuit hæc Civitas Patria Decij Imperatoris, & ut alij volunt, etiam Valentiniani Imperatoris. 3. In hoc Comitatu eſt Arx Uylak, quæ in monte, Danubio imminente, non abſimili ſitu, quàm Buda jacet, regalibúſque priori adhuc ſæculo extructa fuit ædificijs, ſepultura S. Joannis Capiſtrani inſignis. 4. Ad oſtia Savi & Dravi, quibus hi duo Comitatus intercluduntur, àtque Danubio terminantur, ſunt hæc loca præcipua, ad ripam quidem Danubij. 1. Semplinium Caſtellum, morte Joannis Hunyadi glorioſiſſimi Hungariæ, & totius Chriſtianitatis propugnato-

gnatoris memorabile. 2. Szalankemén, iteratâ victoriâ Christianorum moderno hocce bello de Turcis reportatâ celebre. 3. Varadinum Petri, fortalitium olim amisso Belgrado contra Turcarum excursiones, ab Hungariæ Regibus munitum, sed postea à Turcis captum, & recenter reoccupatum, longè meliore formâ, & ex arte egregiè fortificatum. 4. Banmonstra subinde residentia olim Episcopi Sirmiensis. 5. Kamanchek nobile ante primam Belgradi oppugnationem Oppidum. 6. Valkovár, ubi Valdaum fluvium Danubius recipit, & præmentionatum *Uylak* caput Sirmij. 7. Ad ripam verò Dravi, ubi cum Danubio miscetur, jacet Eszekinum, insignis olim colonia Romanorum (Mursa dicta) dum illi Pannoniam tenerent, & nunc eximium fortalitium. Non procul inde distat Arx Erdött Præposituræ Tituliensis, in monte sita, Danubium spectans ad septemtrionem, ad meridiem verò latissimos campos, locus undique sylvis cinctus, & qui parvo labore, adjuvante natura munitissimum effici posset fortalitium. Demum ad ripam Savi S. Demetrius. Diako Sedes Episcopi Bosnensis, unde is etiam denominabatur Episcopus Diakonensis. Sabacz Castellum à Turcis in Insula, quam Savus effecit tempore Matthiæ Corvini Regis erectum, sed mox ab eodem occupatum, & ab Hungaris úsque ad Solimanni adventum possessum, & gloriosè defensum, denuo tamen vi ab eodem expugnatum. Ratcza, Uyvár, Arki. Tota autem hæc Regio Sirmiensis est miræ fertilitatis, non vini solùm toto septemtrione laudatissimi, sed etiam rerum omnium, quæ ad usum hominum pertinent, ferax.

Tertius Comitatus in hac parte Hungariæ est *Posegiensis*; jacet inter fluvium Dravum ad septemtrionem, Savum fluvium ad meridiem, Comitatum Valkonensem ad ortum, Zagrabiensem ad occasum, sic dictus ab Urbe Posega ad Oriauvam fluvium, quæ olim Picentina dicebatur. octo millibus passuum distans à Savo fluvio in boream, & triginta à Gradiska in ortum. Erant autem prioribus temporibus *Posega*, & *Chazma* Ecclesiæ Collegiatæ, & situ, & proventibus insignes.

Quartus Comitatus est *Zagrabiensis*, qui ad septemtrionem habet Comitatum Risiensem, vel rectiùs Crisiensem, Sagoriensem ad occasum, & Croatiam, à qua separarur Savo fluvio ad meridiem, sic denominatus à Zagrabia Metropoli Sclavoniæ, & Civitate Episcopali, sub Archi-Episcopatu Colocensi ad Savum fluvium, viginti quinque millibus passuum distans à Vichicza Metropoli Croatiæ in septemtrionem, quindecim verò à Petrinia in ortum, & quadraginta à Carolostadio. Ipsa verò Civitas dividitur in duas partes, nempe: in Civitatem Regiam, & Capitularem; in illa est celebre Gymnasium Societatis JESU, in hac Residentia Episcopalis, ac insigne Canonicorum Collegium.

Quin-

Quintus Comitatus eſt *Sagorienſis*, ad Savum fluvium inter Riſienſem Comitatum ad ſeptemtrionem, Zagrabienſem ad ortum, Croatiam ad meridiem, & Styriam ad occaſum; cujus quidem Comitatûs nomen non invenitur in Catalogis Comitatuum Hungariæ, ſaltèm recentioribus, olim tamen habuit ſuos ſpeciales Comites.

Sextus eſt *Riſienſis*, ſive *Criſienſis* inter Savum & Dravum fluvios, & Savo terminatur à ſeptemtrione, Varaſdinenſi Comitatu ab ortu, Sagorienſi Comitatu à meridie, & ab occaſu Styriâ, & Comitatu Celleienſi, qui nunc eſt Styriæ incorporatus; ſic denominatus à præcipuo ejuſdem opido Kreitz dicto, id eſt, Crux, ad radices montium ſito.

Septimus eſt Comitatus *Varaſdinenſis*, versùs Dravum fluvium, & confinia Styriæ Provinciæ, quà terminatur ad occaſum, ſicuti Hungariâ inferiori ad ſeptemtrionem, & Riſienſi Comitatu ad ortum & meridiem. Illius caput eſt Varaſdinum Civitas, à qua etiam cognominatur. Eſtque in ea inſigne Gymnaſium Societatis JESU, habétque ſaluberrimas in ſuo territorio Thermas, quæ olim *Conſtantinæ* dicebantur, & nunc communiter Varaſdinenſes nuncupantur. Eſtque ſimul hæc Civitas Sedes Generalis Varaſdinenſis.

Octavus Comitatus eſt *Verôcze* ad ripam Dravi, inter fines Comitatuum Poſegienſis, & Criſienſis, cujus caput eſt Veroviticza, hoc præſenti bello Turcis erepta. Qui octo Comitatus ſub jugo Turcico erant valde confuſi, & ad pauciores redacti.

Memorabilia.

1. Tota hæc pars Hungariæ dicebatur tempore Romanorum, Pannonia Savia.

2. Tempore autem hoc, vocatur Sclavonia Hungarica, ad differentiam aliarum Regionum quæ hoc nomine appellabantur: apud antiquos Latinos ſiquidem Scriptores, Sclavonia complectebatur totum hodiernum, Illyrium, nempe Dalmatiam, Boſniam, Croatiam, & Sclavoniam propriè dictam. Præterea eſt etiam Sclavonia, una ex duodecim partibus antiquis Pruſſiæ, maximè in ſeptemtrionem extenſa.

3. Partis illius Sclavoniæ, quæ ſupra Syrmium eſt, ſunt hæc celebriora loca: S. Georgius, Caproncza, Criſium, præter jam ſuperiùs enumerata.

4. Sclavoniæ adjacet Croatia, & Boſnia; illa includit Corbaviam, & Morlachiam, hæc verò Ramam, ſeu Ramiam, & Ducatum S. Sabæ: In illa celebriora loca ſunt: Caroloſtadium, Sopronicza, Siſecum, ſive Siſcia, Vichicza (fruſtra à noſtris hoc anno 1697. oppugnata) Coſtanovitzium, Novigrad,

Jeſſenecz, Gradiska, Craſtovicz, Dubitza, Petrinia: In iſta; Jaiczia, Varboſánya, Banyaluca, Swinar, Srebernicum, Maglay, Arki, Dobacz, Barka, Tieſſin, Sarajum ſeu Saralium, à noſtro milite anno 1697. maximâ inde prædâ exportatâ, expilatum. Saba, Samandria, Sternicza, Zvezna, Gradiska altera; de quibus nonnulla dicta ſunt in citata Diſſertatione Horographica.

5. Ad confluentiam Savi in Danubium, ex adverſa ejuſdem fluminis ripa, adeóque in ipſis finibus hujus partis Hungariæ, eſt Arx Belgradum, ſive Nandor Alba, ab alijs etiam Alba Græca, & veteribus Taurunum dicta, cum Civitate ejuſdem Nominis. Fuit hæc Metropolis Serviæ, ſed poſtea à Sigiſmundo Imperatore & Rege Hungariæ, facta cum Georgio Deſpote Thraciæ (eò quòd hic viribus ſuis Provinciam ſuam à Turcica potentia defendere diffideret) permutatione, ac traditis illi in Hungaria ampliſſimis ditionibus Regno eſt adjecta. In tota autem Europa poſt Conſtantinopolim, Urbs nulla eſt, cujus ſitus, agri ubertas, & aſpectus gratior, cum hac comparari poſſit, teſte Fórnerio Geographo. Erat olim à Mahomete Imperatore Turcarum, fortiſſimè 1450. oppugnata, ſed non minùs gloriosè ab Hungaris defenſa, deinde à Solimanno, ſub Ludovico II. Rege, Anno 1521. expugnata, & ampliùs uno ac medio ſæculo poſſeſſa. Deinde verò ab Emanuele Maximiliano Bavariæ Duce Anno 1688. armis Cæſareis gloriosè recuperata, átque rurſus biennio vix evoluto, cum magno totius Chriſtianitatis dolore eſt amiſſa.

§ II.

Secundæ partis Hungariæ, quam inter Dravum & Danubium, & illius in hunc influentiam, átque fines Styriæ, & Auſtriæ ſtatuimus. Primus Comitatus eſt *Moſonienſis* à Moſon, Civitate olim celebri, deinde tempeſtate bellorum, ac temporum injurijs ſolo æquatâ (quæ antiquitùs Motenum teſte Cluverio, & Muſenburgum; juxta Antoninum verò *Limuſa* appellabatur) intra paludes ad primum lapidem ab Altenburgo ſitâ, ſic denominatus, à ſeptemtrione & oriente habens Danubium, Sopronienſem Comitatum ad meridiem, & Auſtriam inferiorem ad occaſum.

Memorabilia.

1. Supremus hujus Comitatûs Comes, eſt de Jure ordinario ipſemet Hungariæ Rex.

2. Ejus præcipuus locus eſt *Ovarinum*, Germanis Altenburgum, oppidum cum Arce, tempore, quo Turca Jaurinum tenebat, egregiè munitum, iteratis tamen vicibus, cum duplici obſidione cingeretur Vienna à Turcis, nempe Anno 1529. & 1683. penitùs, & quaſi funditùs everſum & exuſtum.

3. Jacet verò ad Danubium fluvium, ubi is recipit Leitham, diſtátque Poſonio vix tribus milliaribus, & Jaurino milliaribus ſex.

4. Fuit

4. Fuit hæc Arx Mariæ Reginæ, à Ludovico II. Rege Hungariæ eidem cum amplissimis bonis, pagis, & oppidis ad illam spectantibus Dotis nomine data.

5. Hac in Arce delituit Rex Salomon Hungariæ, aliquo tempore privatus Regno, ubi aucupijs, & venationibus, ac Marcalfij nominatissimi à lepidè, & facetè dictis ac factis, morionis, recreabatur jocis, suíque exilij solabatur miserias.

Secundus Comitatus est *Sopronienſis* in ipso limine Austriæ, quæ eidem adjacet ad occasum, & meridiem, habétque Comitatum Jaurinensem ad ortum, & ad septemtrionem Comitatum Mosoniensem.

Memorabilia.

1. Ejus caput est *Sopronium*, Urbs Regia ac Libera, probéque munita, ac à Comitijs Regni, Coronationibúsque in ea aliquot Regum & Reginarum, præstantiâ vini, frequentiáque populi, ac sitûs amœnitate valdè celebris.

2. Habet hæc Civitas insigne Gymnasium Societatis JESU, cum adjuncto Convictu Nobilium.

3. Non procul ab ea distat Monasterium Wondorff dictum, Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ situ amœnissimum.

4. Altera ex parte habet vicinum oppidum Rakos lacui Fertő immediatè adjacens, ad Episcopum Jaurinensem pertinens, ubi etiam is quandóque residet.

5. Habet quóque vicinas Thermas, quæ licèt calefactione indigeant, sunt tamen eximiè salubres.

6. Inter Sopronium, & oppidum Rakos est quidam colliculus, in quó diversissima inveniuntur marina conchilia, quæ unde eo allata sint, nemo divinare potest, fortassis per Diluvium universale, eò devoluta.

7. In eodem Comitatu est Arx fortissima Frakno, quasi à fundamentis à gloriosissimo Heroe Nicolao Eszterházi Regni Hungariæ Palatino erecta.

8. Splendidissimum item, & prorsus Regium Palatium Kis-Martoniense, à Celsissimo Principe, moderno Palatino ejusdem Nicolai Palatini Filio ingentibus sumptibus ædificatum.

9. Nec protul sunt inde Thermæ Hefflanienses multis proficuæ.

Tertius Comitatus est *Jaurinenſis* Danubium versùs. Jacet is juxta Arabonem, vulgò Rabam fluvium inter Schüttam, aliàs Csalóköz Insulam ad septemtrionem, & Comitatum Castriferrensem ad meridiem, ac Mosoniensem ad occasum, sic cognominatus à Jaurino famosissimo fortalitio, & Civitate Episcopali sub Archi-Episcopo Strigoniensi. Continet is etiam partem Insulæ Csalóköz, dictam Dunaköz,

Memorabilia.

1. Jaurinum olim Bregetium, vel Bregertium juxta opinionem aliquorum nuncupabatur. Licèt hoc nomen Comatomio potiùs conveniebat.

2. Jacet ad confluentiam duorum fluviorum *Rabcza*, & *Rába* in Danubium influentium.

3. Gaudet Ecclésia Cathedrali, & Collegio Canonicorum, Gymnasio Societatis JESU cum Seminario Clericorum, & alio Convictu Nobilium, nec non Conventu Ordinis S. Francisci Seraphici.

4. Expugnata fuit hæc Urbs à Turcis anno 1549. sed rursus post triennium mirabili stratagemate à Christianis Ducibus, Adolpho Schwarzenburgio, & Comite Nicolao Palffi est recuperata.

5. Nunc Ecclesiæ Jaurinensi præest Serenissimus Christianus Augustus Saxoniæ Dux.

Quartus Comitatus est *Castriferriensis*, Comitatui Jaurinensi septemtrionem versùs adjacens, extenditúrque juxta Arabonem fluvium, & terminatur ab ortu Comitatu Wesprimiensi, à meridie Comitatu Zaladiensi, ab occasu autem Styriæ & Austriæ partibus; sic dictus à Castroferreo, olim culta Civitate insignita Præpositurâ & Capitulo, nunc exiguo oppido, Capitulo ipso Sabariam translato.

Quintus Comitatus est *Zaladiensis*, sive Saludiensis. Jacet hic inter Balaton lacum ad ortum, Styriam Provinciam, & Muram fluvium ad occasum, Dravum ad meridiem, & Comitatum Castriferrei, & Wesprimiensem ad septemtrionem; sic dictus à Sala olim Civitate, nunc Castro Szalavár nuncupato ad Salam fluvium sito, versùs lacum Balatonem. Ad hunc spectat etiam Insula, quam Mura fluvius efficit, & Muraköz dicitur.

Sextus Comitatus est *Wesprimiensis* inter Comitatum Albensem ad ortum, Zaladiensem ad occasum, & Castriferrei ad septemtrionem, lacúmque Balatonem ad meridiem. Ejus caput est Wesprimium Civitas Episcopalis, sub Archi-Episcopo Strigoniensi cum Arce in colle, ad fines fluvij Sárviz, fuit famosum Præsidium militare, nostris temporibus, non tam muris, quàm viris militaribus munitum.

Septimus Comitatus est *Comaromiensis*, Jaurinensi adjacens, quem habet ad occasum, Nitriensem autem jam ex altera parte Danubij (ad hanc partem siquidem se etiam extendit) ad septemtrionem, Barsiensem Comitatum ad ortum, Strigoniensem ad meridiem. Caput illius est Comaromium fortalitium famosissimum, cum populosissimo oppido à Matthia Corvino primùm Anno 1422. erectum, postea ab Austriacis Principibus magìs munitum, & à moderno Cæsare Leopoldo adauctum.

Octa-

Octavus Comitatus est *Strigoniensis*, qui similiter bifariam secatur à Danubio, éstque inter Comitatum Comaromiensem ad occasum, Barsiensem ad septemtrionem, Neogradiensem ad ortum, & Pilisiensem ad meridiem; sic denominatus à Strigonio Urbe ejus primaria, & Sede Archi-Episcopali, ac Metropolitana.

Nonus Comitatus est *Pilisiensis*. Jacet is inter Danubium fluvium ad ortum, Comitatum Albensem ad occasum, & Strigoniensem ad boream, extenditúrque Budam versùs. Sic dictus à Pilisio oppido, & insigni ejusdem olim nominis Præpositura.

Decimus Comitatus est *Albensis*. Jacet is juxta Albam Regalem Urbem Regiam, & locum Coronationis ac Sepulturæ Hungariæ Regum, inter Comitatum Pilisiensem ad ortum, & Wesprimiensem ad occasum.

Undecimus Comitatus est Simigiensis, habens Tolnensem Comitatum ad ortum, Albensem ad septemtrionem, ad occasum verò lacum Balaton. Sic dictus à Simegio Arce præclara, & à moderno Episcopo Wesprimiensi Paulo Szécsény ædificijs exornata.

Duodecimus Comitatus est *Tolnensis* ad Danubium fluvium, quo separatur ad ortum à Bachiensi Comitatu ad occasum, terminatur Comitatu Simigiensi, & à meridie Baraniensi. Ejus caput est Tolna, à qua etiam cognominatur.

Decimus tertius Comitatus est *Baraniensis*, versùs confluentiam Dravi in Danubium, inter Comitatum Bachiensem, & Bodrogensem ex altera parte Danubij, ex hac verò Tolnensem ac Valponensem ex altera parte Dravi. Sic dictus à Baranya Arce ad amnem *Crassum* sita.

Memorabilia in hac parte Hungariæ.

1. Continet hæc pars Hungariæ tredecim Comitatus.

2. Habet duos insignes lacus hæc pars Hungariæ, eósque amplos, ac piscosissimos. Quorum alter est *Fertö* propè oppidum Naisidl (Hungaris Nisider) & Ruszth; Alter *Balathon*, qui Wesprimiensem tractum à Simigiensi dividit.

3. Præter Archi-Episcopatum Strigoniensem, continet hæc pars Hungariæ tres Episcopatus, nempe: Jaurinensem, Wesprimiensem, Quinque Ecclesiensem.

4. Sunt in eadem complures Abbatiæ & Præposituræ, uti sunt: Præpositura Alba Regalensis multis privilegijs & indultis exornata. Præpositura S. Adalberti, in Diœcesi Jaurinensi. S. Augustini in Diœcesi Quinque Ecclesiensi. De Been, in Diœcesi Strigoniensi. Budæ veteris, in Comitatu Wesprimiensi.

riensi. S. Benedicti, in Comitatu Simigiensi. Castriferrei, in Dioecesi Jaurinensi. Chorna, in eadem Dioecesi. Abbatia S. Martini in monte Pannoniæ à S. Rege Stephano fundata, & locupletata, Abbatia Sexardiensis; item Somogyvár, Pecz-Varadinum, Szalavár, Tihan, Batha, Porno, Kapornok, Demes, & multæ aliæ Præposituræ & Abbatiæ, quarum infra catalogum dabimus.

5. Numerat Insulas tres, præter duas alias, quæ sunt in medio Danubij, videlicet: Rabaköz, quam Arabo fluvius efficit. Muraköz, quam efficit Mura fluvius, & ex Csaloköz illam partem, quæ dicitur minor, & ab incolis vocatur Dunaköz. In medio autem Danubij Insulam S. Andreæ supra Budam, & alteram Csepel infra Budam, novem milliarium longam, & duorum, ac alicubi trium latam. Hæc, cum Aula, quæ ibi extructa erat, & cum oppidis, & pagis eidem vicinis, Reginæ Hungariæ, Jure Donationis propter nuptias, à Regibus inscribebatur, abundabátque Phasianis, Perdicibus, Turdis, Gallinis sylvestribus, alijsque varij generis avibus; Cervis item, Damis, Leporibus, Apris, cæterísque feris, ac omnibus ad usum mortalium necessarijs leguminibus, átque diversissimis fructibus adeò insignis fuit, ut nihil quod ad voluptatem pertineat, illi deesse videretur; ut testatur oculatus testis Nicolaus Olahus in suis manuscriptis, aitque hanc solam Ludovico II. Regi, & Mariæ Reginæ, tam in venationibus, & aucupijs, quàm alijs rebus animum recreantibus, dum nonnunquam absoluti à gravioribus negotijs, animi gratiâ eò diverterent, magnum amoenúmque præbuisse abundè oblectamentum.

6. Urbes habet complures, nempe: Sopronium, Comaromium, Eisenstadium sive Kismartonium, Ruszt, Ginzium, Strigonium, Quinque Ecclesias, & ipsam Metropolim Regni Budam. Quarum Urbium descriptionem cùm jam in citata Horographia Hungariæ dederimus, hîc eandem prætermittimus. Solùm addo ea, quæ præmentionatus Nicolaus Olahus, Vir maximæ prosapiæ, nec minoris eruditionis, & primariæ in Regno dignitatis, utpote Archi-Episcopus Strigoniensis, & Primas Hungariæ, in suis manuscriptis adnotavit de Buda, Strigonio, & Quinque Ecclesijs, prout olim cùm in flore fuissent, constitutæ hæ Urbes fuerant. De Buda igitur hæc habet: *Buda Regum Hungariæ est Regia, quæ tota in saxo, ad altitudinem satis magnam enato sita, & à septemtrione in meridiem protensa, in fronte meridionali Arcem habet non magno intervallo ab Urbe dissitam, egregiè omni munitionis genere instructam. At hæc ædificijs insignibus, artificiosis fornicibus, tabulísque auro, & coloribus depictis, ad admirationem úsque splendidam. Atque præter situm, & Architecturam Regiam, tum corpore Divi Joannis Eleemosynarij insi-*

insignis fuit, tum ob Bibliothecas Matthiæ Corvini Regis memorabiles, & admirandas. Deinde Bibliothecas istas sic describit: *Quà itur ad Sacellum Divi Joannis duæ sunt ædes concameratæ, altera voluminibus Græcis, partim è medio Græciæ, partim ex alijs orientis Regionibus, per Regum non minorem curam, quàm laborem eò congestis referta erat: Altera interior continebat codices totius linguæ Latinæ à primis Rudimentis, ad artem úsque Scientiarum, per capsulas, & loculamenta ordine quósque suo distinctos. Tegebat horum quodlibet velum sericeum, coloribus auróque variegatum, cum indice disciplinæ, & Professionis, in quas libri erant discreti. Maxima pars voluminum constabat membranis colligata, serico, umbilicis, fibulísque argenteis, auro lucidis* Et subdit: *Audivi à Majoribus, Matthiam Regem dum viveret, aluisse semper ad triginta servos Amanuenses pingendi peritos, quorum ego pleró sque mortuo illo noveram. Horum erant operâ omnes ferè, & Græci, & Latini codices conscripti. Præter has & aliæ duæ erant Bibliothecæ in locis diversis arcis, sed prioribus inferiores.* Pergit deinde: *Ad orientem Buda Danubium respicit, radices urbis alluentem, ultra quam oppidi Pesthi è regione siti, latam, diffusámque planitiem, quæ in omnem partem ad tria, & ultrà nostratia milliaria habet. Ejus planitiei initium, quod adhæret mœnibus ferè oppidi, appellatur Rakos, qui campus designatus est, ex more vetere, Comitijs nostratium, & electioni Regum Hungariæ, & Palatinorum, utérque enim more nostro hîc eligitur; in quo etiam alij Conventus nostri publicè aguntur. A meridie objicitur altissima præruptáque rupes, Divi Gerardi ex eo sacra, quòd hinc bigæ alligatus per quosdam Hungaros (in gentilismum relapsos) in præceps actus erat. In hujus radice à Danubij ripa ad viginti ferè passus recedente scaturiunt Thermæ, ægris corporibus, præsertim pustulis, & tabo infectis maximè salubres. Intra quas sunt & aliæ, quæ Regiæ nominantur, ob Regis in his balneum, in quibus natare possis. Occidentem versùs, Regij, & alij amœni sub mœnibus horti, in planitie visuntur. Supra interjecto viginti passuum, vineæ in montibus sunt consitæ, amœna visu spectacula. Ad septemtrionem Ferarium est Regis, cui nomen Nyék, cingens vallo, non solùm sylvosum montem, sed prata etiam latissima in ambitu trium milliarium Hungaricorum, feris abundans. Lateri hujus annectitur Aula, magnificis exornata ædificijs Uladislai Regis impensis. Ad ipsum verò aquilonem, partim alij exurgunt montes vitibus frugiferi, in quorum radice aliud monasterium est Eremitarum (nam unum erat ejusdem Sacri Ordinis Monasterium in ipso monte) Divæ Virginis, quam Albam Mariam appellant: partim Sicambriæ urbis reliquiæ, quæ adhuc cernuntur. Introrsus meridiem & Danubium versùs, est oppidum vetus Buda, in quo fundata est Ecclesia collegiata, Præpositurâ, & alijs Sacerdotijs insignis. Supra hoc oppidum in*

eodem

eodem tractu est Xenodochium Sancti Spiritûs, in quo Thermæ salubres erumpunt. Paulò longiùs Budam versùs est aliud oppidum SS. Trinitatis, quod Hungaricè Felsőhéviz vocatur, Collegiatâ Ecclesiâ, & Thermis eleganti domo conclusis, inclytum. Sunt & aliæ sub Dio ibidem Thermæ in tribus, aut quatuor locis, omnes mirum in modum salubres. Oppidum ipsum Budense celebre est Italis, Germanis, Polonis, & nostra hac ætate Turcis quóque mercatoribus eò confluentibus, velut ad totius Hungariæ Emporium. Quacúnque ex parte oppidum, & arcem longè perspexeris, magnam capies voluptatem, tum ex sitûs amœnitate, tum ex domorum turriúmque sumptuosa amplitudine, ut & sitûs splendorem admireris, & ædificia non ex materijs facta, sed insignem quandam videaris picturam conspicere.

De Strigonio verò, prout illud erat olim constitutum, sic scribit: *In ipsa ripa Danubij rupes satìs alta in orbem enata est, ex ea parte, quâ Danubium prospicit præruptæ undecúnque trecentos circiter passus lata. In hac condita est Arx sedes Archi-Episcopalis, & loco, & munitione fortissima, palatijs átque ædificijs, præter situm loci, maximè decora. Hæc nativitate, átque Baptismo D. Stephani primi Regis Hungariæ est memorabilis. Occidentem versùs Danubium latè, & leni murmure defluentem respicit. Ad meridiem verò prospectus fuit in magnificas Canonicorum è regione sitas ædes; Ad septemtrionem autem in montes vinearum, ac demùm ad meridiem in subjacentem Civitatem. Fundata est in Arce Ecclesia Cathedralis Divæ Virgini sacra, & Divo Adalberto Episcopo, & Martyri, in Hungaria Metropolitana. In qua præter alia sacella, & ornamenta, duo sunt maximè præstantia: Unum sacellum in latere Ecclesiæ meridionali à fundamento, usque ad summum intrinsecè ex rubro marmore politissimo per Thomam Cardinalem, Archi-Episcopum Strigoniensem, & Patriarcham Constantinopolitanum maximis expensis extructum. Hoc supernè in orbem coarctatur, & cupro inaurato concameratur, opus sanè magnificum & pretiosum. Alterum ad plagam aquilonarem supra Sacrarium fabrefactum; est opus testudineum, multifarijs picturis exornatum, in quo est Bibliotheca codicibus veteribus, omnium facultatum refertissima. In Arcis radice, in ipsa Danubij ripa, est turris fortissima, quæ ob custodiam aquæ, aquatica dicitur; in qua Thermæ tanto impetu erumpunt, ut molam circumagant. Auditu res admiranda: Eodem ferè tractu ferè contiguo, ijsdémque venis aquam Danubij gelidam deducere, & Thermas erumpere. Ab Arce semota est Civitas quadringentorum circiter passuum spatio, quam similiter Thermæ in aliquot locis irrigant. Eâ ad meridiem in ripa Danubij, quâ in Insula opposita Monialium est Cœnobium, protenditur; mœnibus Danubio est annexa.*

De Quin-

De Quinque Ecclesijs autem hæc habet: *Arx Quinque Ecclesiensis in radice Mersek montis ardui, cujus latera, & verticem, procera cingunt robora, est condita Sedes Episcopi Quinque Ecclesiensis. Hæc tam templo Cathedrali Divi Petri, quàm ædificijs per Georgium Szakmarinum ejus loci Episcopum cum magno arcis decore extructis inclyta est. Ad latus Templi est Collegiatum sacellum Divæ Virgini Auratæ sacrum, in quo visitur sepulchrum Nicolai olim Episcopi Quinque Ecclesiensis, exempli veri Episcopi. Huic affixum est cilicium, vestis pilis contexta, quam vivus deferebat. Hic dicitur interdiu suam plebem Dei verbo pavisse, noctu verò profectum ad sylvam vicinam, humeris ligna detulisse, & pauperes fovisse. ut etiam ex manuum suarum laboribus pauperibus subveniret, ne dum Episcopatûs reditibus. Ex radice montis prædicti meridiem versùs in planitiem Civitas protenditur. Ad septemtrionale latus montis, est hortus Episcopi, in quo scaturit fons, cujus aqua Civitatem versùs decurrit, & quadraginta circiter molas ex ordine circumagit. Erumpunt & alij ex ejusdem montis latere fontes, quorum per canales deductione Civitas reficitur; Ager fertilis, vini optimi ferax, piscium tamen indiga.* Hæc ex Nicolai Olahi manuscriptis, testis oculati, dum adhuc juvenis in obsequijs Ludovici II. Regis, & Mariæ Reginæ, esset.

7. Sylvas nominatissimas habet duas, una dicitur Baconia sylva, vulgò Bakony, à Jaurino, Wesprimium úsque extensa, quæ ex proceris, & glandiferis quercubus potissimum constat, ferisque varijs, ac omni genere avium abundat, ideóque Regibus ipsis ob insignes commoditates venationum, & aucupiorum, semper in pretio fuerat. Memorabilis quóque hæc sylva est ab interitu Andreæ I. Regis Hungariæ, bello à Rege Belo I. devicti, & mortui, ad Crucem suam (quæ Thuroczio stirem, Bonfinio verò sterzia dicitur) posteáque in Tihan Abbatia, sepulti.

Altera est Vértes nuncupata, quæ ex Arce ejusdem nominis denominatur, & in ripa adversi Danubij ad Zephirum retrahitur, in spatio duorum milliarium Hungaricorum. In hujus medio est Præpositura Demes, & dignitate, & reditibus quondam insignis, Danubij ripam prospectans, & in ejusdem circa finem radice aula alia fuit extructa, quam amœnissimus hortus, & ferarium Archi-Episcopi Strigoniensis ad unum milliare Italicum à Strigonio distans, ambit. Mira in hac pariter sylva, est ferarum ac avium copia, ita ut Uladislaus II. Hungariæ Rex subinde totam æstatem venando & aucupando in ea traduxerit, ut scribit Istvánfius.

8. Arces, Castella, Oppida, & populosissimi pagi magno numero sunt in hac parte Regni Hungariæ. Inter Arces magìs nominatæ sunt: Primò Arx Vissegradensis (cujus descriptionem damus hîc respectu statûs illius, in

quo quondam fuit) hîc ex Nicolai Olahi itidem manuſcriptis, ubi ſic ſcribit: Viſſegradum, quod Germani Plendeburg vocant, abeſt Budâ occidentem versùs quinque milliaribus, conditum ad ripam Danubij, in radicibus vaſtiſſimæ ſylvæ (Vértes) Pardorum, aliarúmuue ferarum altricis. In fronte oppidi ad plagam orientalem Aula conſtructa eſt, plus quàm dici poteſt, & ſitu decora, & impenſis magnifica, & Palatijs, alijſque ædificijs verè regijs præſtantiſſima, utpote, quæ unica, quatuor Regibus, cum ſuis ordinarijs, ut vulgò vocant officiarijs, eodem tempore commodum præbeat hoſpitium; dicitur autem continere trecentas, & quinquaginta ultra ædes. Porta hujus patet in Danubium, à ſe bis centum paſſus circiter recedentem. quo interſtitio per illud ſpatium, quod eſt inter oppidum, & portam, conſitæ ſunt pulcherrimo ordine ſalices. Altera ex parte orientalis Aulæ hortus eſt vitibus & arboribus frugiferis amœnus. Oculis ingredientium portam, offert ſe ſtatim Area ſpecioſiſſima, in omni parte viridis, floribus pratenſibus vernans. Ad centum paſſus à porta, introrſus incipiunt gradus, ex quadris lapidibus ſeptem aut octo lati ulnas, alti verò quadraginta circiter paſſus. Hic area eſt quadra penſilis, fornicibus ſeu cellis vinarijs pro Regio ſumptu, amplis & magnificis inſidens, lapidibus pariter quadris ſtrata, in qua juxta æquam dimenſionem, plantatæ ſunt tiliæ arbores, ex odoribus verno tempore fragrantiſſimæ, & aſpectu placidiſſimæ. Hujus in meditullio exurgit fons miro artificio ex rubro fabricatus marmore, cum ſculptis Muſarum imaginibus, è cujus cacumine effigies Cupidinis, utri marmoreo inſidens aquam exprimit, quæ non minus ſapida, quàm frigida ex vicini montis fonte per canales eo deducta, cum jucundiſſimo ſtrepitu in lancem ex ſyphunculis decidit marmoream, hinc in labrum orbiculare. Hic fons Matthiæ Corvini juſſu, cujus univerſa, hæc ædificia, quæ narro, ſunt opus, dum plerúmque triumphum ageret, vino (uti à majoribus accepi) nunc albo, nunc rubro fluebat, ſuperiùs in radice montis arte canalibus immiſſo. Hoc in loco Rex ipſe, verno feſtivóque ſole, florentibus arboribus ſolebat appricari, auram captare, prandeŕéque nonnunquam & Legatos audire, & dare reſponſa. Introrſus ad latus areæ in radice montis, quæ paulò elevatior eſt, extat Sacellum amœniſſimum, operibus moſaicis (uti & aliæ etiam pro majori parte ædes) ſtratum, in quo inſtrumentum eſt muſicum pretioſum, quod vulgò organum vocant, fiſtulis argenteis ornatum, præterea receptaculum Corporis Dominici, & tria altaria cum ſtructuris & tabulis ex Alabaſtro puriſſimo inaurato fabrefactis. Hinc orientem versùs Palatia Regis tabulis inaurata bifariam protenduntur, miro artificio fabricata. Alterâ viâ aſcenditur in Palatium oblongum, cui mons ipſe imminet, alterâ deſcenditur ad inferiores ædium partes.

Hîc

Hîc quóque in medio areolæ fons eſt ex Alabaſtro exurgens, quem ambit ambulatio columnis marmoreis ſuſtentata, quæ à ſolis æſtivi ardore tuta eſt. Tum ædes ipſæ recurrunt in ſeptemtrionem, pòſtremò occidentem versùs redeunt: quarum omnium feneſtræ in decurrentem latiſſimo alveo Danubium projiciuntur, quod maximæ eſt proſpicientibus amœnitati, præſertim cùm è regione ultra Danubium, ex colonis germanis cernatur Maros oppidum, ſupra quod mons exurgit, longus magis, quàm altus, vineis totus conſitus. Hæc Aula præter ſitûs amœnitatem, tam pretioſis ædificijs ornata eſt, ut ſinè controverſia plurimorum Regnorum ædificia ſuperare videatur: & nuſquam viderim (pergit idem Author) quidquid Regnorum in hunc diem peragrârim, ædes paribus ornamentis ſtructas. In ipſa ſola Lutetia Pariſiorum urbe, eo loci, quem vulgus Aulam Parlamenti vocat, in qua jus dicitur, negotiúmque tractatur Regni, unicam vidi Cameram, in ſimilitudinem harum & Budenſium ædium tignis, tabulíſque inauratis fabrefactam. Supra Aulam in altiſſimo cacumine prærupti montis lateribus undique ſylvoſis extructa ſuſpicitur veluti quiſpiam nidus arx fortiſſima, in qua cuſtoditur Corona, quam nos ſacram vocamus, cum Privilegijs & alijs Regni Juribus. Ab ea Arce per montis præcipitium, demiſſus eſt murus ad aliam úſque arcem fluctibus Danubij obnoxiam, quæ Aquatica vocatur. Hæc mœnibus ſuis & hortum, mira amœnitate lateri Aulæ annexum, & tandem Aulam oppido conjungit, confirmátque. Ita Nicolaus Olahus teſtis oculatus. Iſtvánfius tamen ſcribit palatium hoc ſumptuoſiſſimi operis, ſpecie amœnitatéque ſitûs, & laxitate, ac pulchritudine, ædificióque toto orbe celebratum, à Carolo Andegavenſi Rege Hungariæ ædificatum fuiſſe, in qua olim Caſimirum Poloniæ, & Joannem Bohemiæ, at Stephanum Nanugam Boſniæ & Serviæ Reges ſimul hoſpitio, convivióque exceperit. Veroſimilius proinde eſt à Rege Corvino ſolûm auguſtius & ſplendidius redditum eſſe: quod & Bonfinius recognoſcit, ſic de Matthia Rege ſcribens: Ad Viſſegradum priſcorum quondam Regum arcem in editiſſimo monte ſitam, ſubjacentem Regiam ſic amplificavit, ſic hortis, vivarijs ferarum, & piſcinis excoluit, ut hoc duntaxat uno, cætera ſuperiorum Regum opera obſcurare videatur. Hujus pulcherrimæ ſtructuræ vix veſtigia nunc apparent, per varias Viſſegradi obſidiones & expugnationes: nam & Anno 1540. expugnatum fuit à Leonardo Felſio, Ferdinandi I. exercitûs Duce, & 1544. à Turcis, ac denuò rurſus à noſtris præſenti bello, arce dirutâ armis receptum.

Altera in Comitatu Comaromienſi eſt Arx Tata, quam Theodatam olim fuiſſe multi exiſtimant, priſcis Regibus Pannoniæ extructa, balneis, & penſilibus hortis, aliíſque delicijs ad oblectationem ſummo artificio factis, & ſubjecto ingenti piſcium vivario, cujus aggeres ex quadrato ſaxo conſtant viſu

 digna;

digna; ſic eam deſcribit Iſtvânfius. At verò Bonfinius hæc de ea habet. Tata Arx, Regia tanto impendio extructa, ut jure poſſit omnibus noſtri temporis Arcibus anteferri; hinc námque lacu, hinc duplici foſſa ex ſciſſo ſaxo, & erecto aggere eſt munita, ut nulla ex parte oppugnari queat. Verùm tot bellorum procellis adeò jam eſt deformata, ut prædictarum rerum nec veſtigia ampliùs ſuperſint. Has ſequitur dein Eiſenſtadienſis, Hungaris Kiſmarton, Arx inter elegantiſſimas totius Europæ meritò numeranda.

9. Reliqua celebriora loca in hoc tractu Hungariæ ſunt; ad fines Auſtriæ: Arx Hornſtain Germanis, Hungaris Szarukô. 2. Arx Frakno, Germanis Forenſtain, egregiè munita. 3. Arx Lanſſæ, alijs Landſee, Lanczir. 4. Ovár, Germanis Altenburg. 5. Lucahauz, Hungaris Lacompach. 6. Maneſtorff Arx dotalis Imperatricum, loco amœniſſimo. 7. Kolerſtorff, Hungaris Kabolt, & Arx Kereſztur 8. Arx Német-Ujvár, ſive Novum Caſtrum in rupe difficili extructa ad latus ſylvæ vaſtiſſimæ, quæ defluenti Muræ fluvio adjacet. 9. Non longè ab hac abeſt meridiem versùs Arx Felsô Léndva, & oppidum Muraſzombat. 10. Hinc intra Muram, & Dravum fluvios Arx Cſáktornya, & oppidum *Strido*, quod juxta aliquorum opinionem fuit S. Hieronymi Patria. 11. A Felsô Lendva non procul diſtat S. Gotthardus, inſignis, & locuples Abbatia, & locus celebris à pugna Chriſtianorum cum Turcis, déque his ab illis reportata victoria anno 1663. 12. Et iterum Arx Alsó Lendva, & Nemethe. 13. Dein oppidum Kôrmentt, & Arx Monyorokerék, quam Teutones *Eberau* vocant, & Abbatia *Porno*, Præpoſitura item Vaſvár ſeu Caſtriferrei, Arx Kanyavár, Egerſzegh, Szentgrot, Szent Gyôrgyt vára, Schez-Szigeth. Circa Fertô oppida: Fekete város, Szélyes kút, S. Nicolaus, & Ruſzt regia Civitas. Deinde remotiùs ab hoc lacu oppidum Nykk, & aliud vaſtum, & populoſum oppidum Czepreginum, ac Civitas regia Ginzium, obſidione Ibraimi ſupremi Veziri-Turcarum anno 1532. gloriosè tolerata, clara, & vicinum eidem Clauſtrum vulgò Klaſtrom, inde verò Sabaria, utriúſque Sancti Martini, ſcilicet tam Epiſcopi Turonenſis in Gallijs, quàm Epiſcopi Bracarenſis in Hiſpania, Patria, olim Romanorum celebris colonia, in qua nunc etiam reperiuntur multæ eorundem antiquitates, inſcriptiones, & monumenta, ac inter cætera columnæ in foro ingentes ex marmore exciſæ; vel potiùs fuſæ. Ad Arabonem ſeu Rabam fluvium jacet Sarvárium Arx ſitu, & arte bene munita, regularíque forma egregie fortificata. Ad Rapcza verò fluvium eſt Capuvarinum, Arx ſitu fortiſſima ob aquarum exundantiam, ita ut non niſi per complures pontes detur ad eam acceſſus. Non procul inde eſt Arx, & oppidum *Papa*, ac Arces Geſtes, & Cſeſznek, ac inter has Abbatia Sancti Martini in monte (qui appellatur Sacer mons

Panno-

Pannoniæ) amœnissimo, editissimóque situ, ad omnes plagas, oppida & latos campos prospiciente, per Divum Stephanum Regem extructa & fundata, ut alibi dictum est. Circa lacum Balathon est Abbatia Tihan in amœno loco sita, Arx Szegligeth, Cestel, Abbatia Szalavár naturâ munitissima, & proventibus olim ampla, ac exempta, Kis Comárom, & Canisa. Alius item Conventus Religiosorum in Kapornok, & alius in Vason, Dein Wesprimium Civitas Episcopalis, Kapush, Hédvég. Hinc non longè à ripa meridionali Chargo, Dombo, Karsthna; Item Ozora, Simony Tornya. Ad mediterranea Somogyvár Abbatia tum colonis, tum reditibus vinarijs opulenta. E regione Budæ Palota, & supra hanc Pelisza, & infra Budam Erd, Schambek, Adon, Pentele, Földvár Abbatia, Paks, Tolna, Szexárd prædives Abbatia, Batha, Mohács. Ad ripam Dravi S. Elizabeth; In mediterraneo Babocsa, Berzencze, Kapos-Uyvár, Seges, & non procul Quinque Ecclesijs, Arx Siklos, in qua olim captivus detinebatur Sigismundus Rex Hungariæ; Dein Arx fortissima Szigeth, sub cujus oppugnatione Solimannus Turcarom Imperator 7. Septembris 1566. obijt, ac demum propè confluentiam Dravi in Danubium, Baranyvár, Dárda, & Pecz-Várad Abbatia locupletissima.

§. III.

Tertia pars Hungariæ, quæ inter Danubium & Tibiscum fluvios jacet, terminatúrque ex una parte confluentia Tibisci in Danubium, ex altera autem montibus Cœsijs & Carpathicis longa serie à Posonio, úsque ad fines Transylvaniæ excurrentibus, & Hungariam à Moravia, Silesia, Polonia, & Russia dividentibus, sequentes continet: Comitatus Primus est Posoniensis, inter Moraviam ad Septemtrionem, Austriam ad occasum, Danubium fluvium ad meridiem, & Comitatum Trencsiniensem, & Nitriensem ad ortum.

Memorabilia hujus Comitatûs.

1. Sic denominatus est à Posonio primaria Urbe. 2. In eodem sunt aliæ quóque Liberæ, Regiæque Civitates, nempe S. Georgius, Bazinium, Modra & Tyrnania. 3. Arces item: Posoniensis, Baziniensis, Dévén, Szomolyan, Királyfalva; Et situ amœnissima, ac ædificijs eximiè ornata Arx Rubra, Biberspurg Germanis dicta. 4. Complectitur etiam in se majorem Insulam Schûtiam, ab Hungaris Csalokôz nuncupatam, quam duo Danubij brachia infra Posonium efformant, olim trecentis pagis nobilem. cujus caput est Samaria, seu S. Maria oppidum insigne. 5. Posonium, ut alijs placet, olim Pisonium dicebatur à Pisone, cujus operâ Tiberius Cæsar Pannones subegerat. 6. Contendunt aliqui Posonium esse eam Urbem, quam Ptolomæus Flexum nominat, fortè quòd infra eam flectatur Danubius, & in quatuor divisus alveos, com-

plures Insulas conficiat. Alijs tamen Flexum est, quod nunc Ovarinum dicitur. 7. Abundat hic Comitatus magnâ vini prestantissimi copiâ, omnis generis frumento, pascuationibus optimis, pratis & sylvis, gaudet quóque commoditate duorum navigabilium fluviorum, Danubij & Vagi, qui ad oppidum Gutta confluunt. 8. In hac confluentia dictorum fluviorum insignis est diversorum quidem piscium, maximè tamen Huzonum captura.

Secundus Comitatus in hac parte Hungariæ (juxta seriem montium pergendo) est *Threncsiniensis*, à Threncsinio Civitate, & arce ejusdem nominis munitissima, ac situ amœnissima sic nuncupatus. Estque inter Silesiam ad septemtrionem, Moraviam ad ortum, Thurocziensem Comitatum ad occasum, & Nitriensem ad meridiem.

Memorabilia.

1. Copiosas arces hic Comitatus habet, omnes ferè ad Vagum fluvium (qui hunc Comitatum præterfluit) vel ut à navigantibus per eum, commodè conspici queant, uti sunt: Ovár, Strecsen, Bisztricza, Lithava, Illava, Lednicze, Threncsin, Bicsa, Budetin, Oroszlankô, Beczko, Hriczo, cujus rudera tantùm extant, & Kaszavár in pœnam rebellionis, tempore nostro solo æquata, ac diruta. 2. Oppida ad Vagum habet frequentia, præcipua sunt: Zolna, negotiatoribus celebris; Puchovia, ubi copiosus conficitur pannus; & Rajecz, ubi exquisitæ elaborantur pelles. 3. Habet & insignem Abatiam dictam de rupibus; aliàs Szkalka, celebrem à Martyrio, SS. Andreæ & Benedicti Eremitarum, ubi num etiam extant eorundem monumenta. 4. Habet insuper saluberrimas Thermas, ad quas etiam ex vicinis Provincijs fit hominum concursus. 5. Vineis quidem caret, si extimas illius excipias partes, optimâ tamen cerevisiâ abundat. 6. Frumenti quóque & fuctuum est ferax. 7. Frequens in eo est Nobilitas, & plebejos habet industrios, & laboriosos. 8. Temporibus antiquis fuit quidam vir potentissimus Matthæus Threncsiniensis, qui totum illum tractum à Threncsinio Posonium úsque possidebat, unde etiam hæc plaga terræ, cognominata fuit Mattyus Földe, id est: Matthæi Terra, & huc úsque adhuc idem retinet nomen.

Tertius Comitatus in eadem serie submontana est *Thurocziensis* minor multis aiijs Comitatibus, minúsque fertilis, à Thuroczio fluvio sic dictus.

Memorabilia.

1. Arces habet Zklabinam, Blatniczam, & Znio, in qua nata est B. Margaretha Belæ Regis Filia. 2. Sub eadem est Præpositura Thurocziensis olim Præmonstratensium, postea deserta à Rudolpho II. Imperatore pro fundatione Collegij Tyrnaviensis Societatis JESU applicata. 3. Oppida ejus celebriora

briora ſunt: Varallya ſub Arce Znio, Szucsán ad fluvium Vagum, Moſoch, & S Martinus. 4. Habet præſtantes & proficuas Thermas. 5. Fluviatilibus piſcibus, & præſertim Truttis tam communibus, quàm majoribus abundat. 6. Ad ſeptemtrionem habet Comitatum Arvenſem, ad ortum Liptovienſem, ad occaſum Threncſinienſem, ad meridiem Nitrienſem.

Quartus Comitatus *Liptovienſis*, Bonfinio à Liptovia Civitate cognominatus, quæ nunc dicitur Lipce, aut cum addito Teuto-Lipce. Habet Thuroczienſem Comitatum ad ſeptemtrionem, Scepuſienſem, ad ortum, Nitrienſem, ad occaſum, & Biſztriczienſem, ſeu Zolienſem, ad meridiem.

Memorabilia.

1. Matthias Córvinus Rex hunc Comitatum in titulum Ducatûs erexerat, eúmque Joanni Corvino Filio ſuo naturali donaverat; unde is quoad vixit, titulo ducis Liptoviæ utebatur. 2. Loca celebriora in hoc Comitatu ſunt Roſomberga, Teuto-Lipca, S. Joannes, & S. Nicolaus à foro & nundinis nominatum oppidum. Arces item: Lykava, & Lipto-Uyvár. 3. Thermas quoque ſalutares habet in vico D. Joannis unas, alteras in pago Lucska. 4. Frequens eſt in eo Nobilitas, & multæ Nobilium Familiæ, quæ antiquitate ſui ſtemmatis gloriantur. 5. Carpathici montes hìc maximè aſſurgunt, ex quorum cacumine nix ferè nunquam, etiam in calidiſſimis æſtatis fervoribus decedit. 6. Abundat mirè avibus, feris, & ſaxatilibus piſcibus. 7. Solum habet ſatìs ferax. 8. Habet & aurifodinas in Bocſa dicto oppido, ex quibus puriſſimum, & probatiſſimum eruitur aurum. 9. In eodem ex radice montium Carpathicorum oritur fluvius navigabilis Vagus. qui totum Comitatum decurrit, magno incolarum commodo, cujus beneficio res ſuas venales in alios vicinos Comitatus devehunt.

Poſt hunc versùs partes Polonicas eſt quintus Comitatus *Arvenſis*, à fluvio Arva, vulgò Orava ſic dictus. Solo hìc eſt valde ſterili, ſale tamen Polonico abundat, ex cujus quæſtu potiſſimùm vivunt incolæ, qui licèt avenaceo veſcantur pane, ſunt tamen homines fortes, agiles, & laborioſi, complexioniſque ſaniſſimæ, & robuſtiſſimæ; ſunt ſimul pecunioſi, ob perpetua cum vicinis Polonis commercia. Præterfluit hunc dictus fluvius Arva, & ipſe navigabilis: ferè omnes autem hujus Comitatûs pagi & oppida ad Arcem ejuſdem nominis ſpectant, quæ licèt complures habeat Dominos, ab uno tamen Directore, totius Familiæ Turzonianæ adminiſtratur.

Sextus Comitatus eſt *Scepuſienſis* versùs Carpathum montem, & confinia Poloniæ.

Memorabilia.

1. Situ elegans Comitatus hic eſt, & oppidis frequens, quæ potiſſimum in-

colunt

colunt Saxones. Ex his tredecim tenet Rex Poloniæ titulo pignoris à Sigismundo Imperatore, & Hungariæ Rege, Uladislao Poloniæ Regi inscripta unà cum Arce Lublyo. 2. Undecim alia oppida spectant ad Arcem Scepusiensem, à qua & Comitatus suam accepit denominationem. 3. Liberas, Regiásque Civitates continet duas: Leutschoviam, & Kesmarkinum; Arces item Dunavecz, Lublyo, Palocsám, Kesmark, & Podolincz, præter Arcem insignem Scepusiensem dictam, à qua totus denominatur Comitatus, Germanis Zipserhausz. 4. Solo est fertili, & aurâ saluberrimâ. 5. In eodem est insignis Præpositura S. Martini cum Collegio Canonicorum. 6. Olim complura fuére in eo Religiosorum Monasteria, nominatim Monasterium Carthusianorum Lapidis refugij S. Joannis Baptistæ. Eorundem in Lechnicz vallis S. Antonij. Item Dravecz propè Leutschoviam. Aliud item in Hunsdorff. Item in Rikao propè Krompak. Item Straska (sive Strata) aliâs Neerer, quod fuit Cruciferorum, & aliud in Batisfalva dictum Stola S. Joannis Baptistæ. 7. Ab hoc Comitatu inclusive inchoatur superior Hungaria. 8. Visuntur in eodem duo eximij operis Sacella, ex quadràto lapide, ejusdem formæ, & ab eodem quasi Artifice sumptuosissimè extructa. Unum ad latus Ecclesiæ S. Martini in Capitulo Scepusiensi, alterum iu oppido Quinti Fori. 9. Supremus Comes hujus Comitatûs illud peculiare habet, ut gaudeat hoc titulo: Terræ Scepusiensis Comes.

Hunc sequitur septimus Comitatus Sárosiensis, à Sáros oppido, & Arce amplissima ejusdem nominis, in monte sejuncto sita, sic dictus.

Memorabilia,

1. In eodem sunt Civitates Liberæ Regiæque: Eperjesinum, Bartffa, & Cibinium. 2. Percurrit hunc Comitatum fluvius Tareza. 3. Multas & præclaras numerat Nobilium Familias. 4. Arculæ vicinæ Eperjesino sunt: Szebesinum, & Kapi. Et in finibus ejusdem Poloniam versùs Makovicza, & Sztropko. Non procul item ab eadem Civitate est Sóvár, ubi ex erumpente salsa aqua sal coquitur, & conficitur.

Octavus Comitatus ad ejusdem Carpathi montis radices, & Russiæ Rubræ fines, est *Ungensis*; sive *Ungvariensis*, habens Aba-Uyvariensem Comitatum ad occasum, & Zempliniensem ac Peregiensem Comitatum ad meridiem. Dictus est Ungensis ab Ung fluvio, & Unguariensis ab oppido & Arce Ungvár, situ amœnissima, & probè munita.

Memorabilia.

1. Decurrunt hunc Comitatum fluvij Ung, Laborcza, Latorcza, & Bodrogus. 2. Loca celebriora in eo sunt: Unguár, Homonna; Varano, Nagymihály,

mihály, Czifva, Szeregnye. 3. Abundat piſcibus, frumento, & paſcuis. 4. Habet & Promontoria nobiliſſimi vini feracia. 5. Ejuſdem montana à Ruthenis incoluntur, quæ pars etiam dicitur Ukraina.

Nonus Comitatus eſt *Peregienſis*, ad fines eorundem montium Carpathicorum, extendens ſe úſque ad Tibiſcum fluvium, ſic nuncupatus à Civitate Perek-ſzáſz, ſeu Berek-ſzaſz.

Memorabilia.

1. Comitatus hic vel maximè abundat piſcibus, vino item], & paſcuis, ac frumento. 2. In eo ſita eſt Arx Munkács, ſitu & arte munitiſſima, & pagis, ac villis locupletiſſima.

Hinc magìs versùs campeſtria à montanis procedendo, decimus Comitatus eſt *Zemplinienſis*, qui à ſeptemtrione terminatur Comitatu Unguarienſi, ab ortu Comitatu Peregenſi, ac occaſu Aba-Uyvarienſi, à meridie Borſodienſi.

Memorabilia.

1. Sic denominatur hic Comitatus ab oppido Zempliny ad Bodrog fluvium ſito. 2. Cenſetur eſſe maximus inter omnes Comitatus ſuperioris Hungariæ. 3. Eundem percurtit fluvius Bodrogus, qui ad Arcem Tokai, non minùs ſitu amœnam, quàm munitam devolvitur in Tibiſcum. 4. Abundat omnibus rebus ad vitæ humanæ ſuſtentationem neceſſarijs, ſed præſertim piſcibus, & vino optimo ac celeberrimo. 5. Continet in ſe promontoria totius Hungariæ præſtantiſſima, complures item arces átque oppida, ex quibus celebrioris nominis ſunt: Uyhely, Sáros Patak, Tolcſva, Litzka, Kereſztúr, Tallya, Terebes, & Szerdahely. 6. Ad dictum oppidum Zemplin dicuntur primi Hungari, dum ex Scythia egrederentur, & Pannoniam occupare intenderent, conſediſſe.

Undecimus Comitatus eſt *Aba-Uyvarienſis* inter Comitatum Tornenſem ad occaſum, Zemplinienſem ad ortum, & Sároſienſem ad ſeptemtrionem.

Memorabilia.

1. Sic denominatur ab Aba-Uyvár olim loco haud ignobili. 2. Caput hujus Comitatûs nunc eſt Caſſovia. 3. Loca verò alia celebriora: Nagy-hida, Gôncz, Szalancz, Boldog-kô, & Præpoſitura Misle. 4. Abundat fructibus, frumento, & vino. Huic adjacet ex una parte Duodecimus Comitatus *Borſodienſis* dictus; ex altera verò Decimus tertius Comitatus *Tornenſis*; Hujus caput eſt Torna, ex qua etiam cognominatur; in illo autem eſt nobile Caſtellum quondam Diosgyôr, quod quale fuerit priori adhuc ſæculo, patet ex oculato teſte illius, Nicolao Olaho, qui ſic illud deſcribit: *Diosgyôr Arx Reginæ cum oppido ejus nominis ei ſubjacente, magis amœna, quàm munita,*

ſitûs amœnitate & omnium rerum copiâ meritò memorabilis. Hæc extructa eſt in latere montis, ab oriente & meridie ſylvis cincti, cantus Philomelarùm, & aliarum avicularum in ramis vicinarum arborum concinentium, verno tempore aures eorum, qui in ipſis cubiculis arcis agunt, mirum in modum oblectant. Infra arcem fluit ex monte rivus, Truttis & alijs piſcibus delicatioribus ſcatens. In eodem Comitatu eſt oppidum Miskolcz ſubditum Arci vinis optimis, & omni commeatuum genere abundans. Item Szadvár, Szenderö, habétque Gömörienſem Comitatum ad Septemtrionem, Aba-Ujvarienſem ad ortum, Borſodienſem ad meridiem, & Zolienſem ad occaſum. Ille verò Comitatum Zabolczenſem ex altera parte Tibiſci ad auſtrum, Zemplinienſem ad ortum, Hontenſem ad occaſum, & Tornenſem ad boream. In quibus Loca præcipua ſunt Onot, *Tokaj*, *Tarczal*, *Regécz*; le quibus etiam Borſod, à quo etiam denominatur Comitatus Borſodienſis.

Decimus quartus Comitatus eſt *Gömörienſis* inter Scepuſienſem Comitatum ad ſeptemtrionem, Aba-Ujvarienſem ad ortum, Tornenſem ad meriem, & Biſztriczenſem, ſeu Zolienſem ad occaſum. Ejus præcipua loca ſunt: Roſnavia, Kralna Hórka, Putnok, & Smolnicz, éſtque hic Comitatus argenti & cupri ferax. In eodem Comitatu eſt Murán Arx fortiſſima, & munitiſſima: & ex parte extendit ſe etiam ad alteram Tibiſci partem.

Poſt hunc decimus quintus Comitatus eſt *Maramaruſienſis*. Jacet is ad radices finium Carpathi Montis, & ipſo limine Poloniæ; ſic vocatus à Maramaruſo ejus præcipuo Caſtro.

Memorabilia.

1. Sunt in hoc Comitatu locupletiſſimæ ſalis fodinæ. 2. Hæ autem ſalis fodinæ antiquitùs ex donatione propter nuptias ſpectabant ad Reginas Hungariæ. 3. Maramaruſienſis verò ſal, partim curribus, quorum quemlibet boves in ſedecim vel ultra juncti ordines, trahunt; partim navi ad ſuperiores Hungariæ partes, quæ ſunt circa Tibiſcum in uſum illarum, & illis vicinarum Regionum devehitur. 4. Sale hoc non ſolùm Hungari, ſed etiam Serviani, & Boſnenſes Turcæ utuntur. 5. Tanta autem eſt iſthic copia ſalis, ut prorſus viliſſimum ſit ejus pretium, licèt præſtantiâ ſuperet omnia alia ſalis genera. 6. Loca præcipua illius ſunt: Arx Huſzt, & Runa oppidum, in cujus monte vicino potior copia ſalis eruitur. Eſt autem hujus Comitatûs ſal nativus, qui cæditur in ſalifodinis inſtar lapidis, in quibus multa interdum reperiuntur, quæ in generali eluvione mundi, exiſtimantur hìc conſepulta, prorſus rara ac portentoſa: quamvis nos harum rerum cauſam naturalem conati fuimus alibi aſſignare.

Decimus ſextus Comitatus eſt *Zolienſis*, quem aliqui Biſztriczienſem nominant, inter Comitatum Barſienſem, ad meridiem; Lyptovienſem ad ortum & ſe-

& ſeptemtrionem; & Nitrienſem ad occaſum. Sic dictus ſive à Novo, ſive à Veteri Zolio.

Memorabilia.

1. Comitatus hic totus eſt ſylvis, & locis aſperis interceptus, ſed auro, argento, alijſque metallis ditiſſimus. 2. In eodem ſunt ſeptem Civitates Montanæ, quarum præcipuæ nunc ſunt: Neozolium, Veterozolium, Cremnicium, & Schemniczium. 3. Eundem præterfluit fluvius Granus, qui demum decurrendo Comitatum Barſienſem, devolvitur in Danubium ad Strigonium. 4. In Civitate Cremniczienſi cuditur magna vis monetæ ex auro, & argento, quod huc ex alijs quóque auri & argenti fodinis devehitur. 5. Sunt & aquæ dictæ Rozelinæ, quæ lapideo cortice proxima ſedilia ſic obduxerunt, ut lapidea viderentur. 6. Habentur etiam aliæ Thermæ valdè commodæ. 7. Videre eſt hìc varias, & ingenioſas machinas hydraulicas, quibus è profundiſſimis fodinis miro artificio aquæ in magna extrahuntur copia. 8. Neozolij Celeberrima eſt Baſilica tota æreis laminis tecta (habens turrim altiſſimam) muris firmis, foſſato, & propugnaculis inſtar Arcis cincta, cum porta duplici attractiva. Fundata eſt Anno 1499. à Michaële Kônigſperg pro tunc proviſore omnium Montanarum fodinarum, circa Neozolium. Qui idem fundator ædificavit ſimul etiam tres alias Eccleſias in diverſis locis hujus viciniæ, utpotè: Szaſzovienſem S. Pauli Primi Eremitæ, & Antonij; Item, Sancto Jacobenſem dicatam S. Jacobo Apoſtolo, & Veteromontanam B. M. V. Aſſumptæ. 9. Abundant hæ partes avibus, feris, piſcibus ſaxatilibus, & omnibus victualibus. 10. In Montanis, & in vicinia præter Civitates Montanas loca celebriora ſunt: S. Crux, Sanctus Benedictus, Arx Czabrak, Caſtellum Kis-Tapolcsán, & Præpoſitura Bozokienſis.

Occaſione autem factæ hìc mentionis aurifodinarum, ſciendum eſt præter montes auri & argenti feraces, qui in prædictis Montanis Civitatibus excoluntur, eſſe alios quóque complures ſimiles montes in reliquis Hungariæ & Tranſylvaniæ partibus, ex quibus aurum & argentum, reliquáque metalla eruuntur, uti ſuo loco dicemus, & multò plures, qui necdum excoluntur: Lege enim cautum eſt ſub gravi pœna hos coli, præter Regis conſenſum átque arbitrium. Notandum & illud: Triplex aurum reperiri in Hungaria, unum eſt nativum, quod ſubinde ex vitibus quóque, vel granis uvarum creſcit per modum guttarum, vel etiam claviculorum, aut foliorum; aut inter lapides quandoque reperitur per modum virgularum, vel maſſæ alicujus, átque hoc eſt præſtantiſſimum, & probè defœcatum, ſolidum, & purum, ac quantitatis diverſæ. Nicolaus Olahus Archi-Epiſcopus Strigonienſis teſtatur in ſuis manuſcriptis ſe habuiſſe fruſtum hujus auri, in quantitate ovi gallinacei,

pondere plus quàm centum ducatorum; & idem ſcribit: Nicolaum Gerendinum Epiſcopum Tranſylvanienſem fruſtum talis auri habuiſſe in pondere trecentorum & quinquaginta aureorum, ab eodem ſibi per litteras ſignificatum fuiſſe, colonum quendam circa Abrag-Bánya (quod oppidum eſt in limitibus Tranſylvaniæ, ea ex parte, ubi Albus Kőrős in Hungariam intra montes elabitur) reperîſſe aurum hujus generis, in magnitudine panis ruſticani ponderis ſupra mille ſexcentorum ducatorum. Alterum genus auri extrahitur artificio ex mineris, aurum, argentum, cuprum ſimul complectentibus. Tertium eſt, quod ex fluviorum alveis arenoſis expurgatur, quod arenoſum, ſive lavabile ex ipſa re vocatur.

Decimus ſeptimus Comitatus eſt *Nitrienſis*; éſtque inter Threncſinienſem Comitatum ad occaſum, Thuroczienſem ad ſeptemtrionem; Zolienſem ad ortum, & Barſienſem ad meridiem.

Memorabilia.

1. Ejus præcipuus locus eſt Nitria Civitas Epiſcopalis, ſub Archi-Epiſcopo Strigonienſi cum Arce munita in colle ad fluvium Nitriam dictum. 2. In Arce ipſa eſt inſigne Templum illúdque magnificum cum duodecim Canonicorum Collegio, argentea & aurea ſacra ſupellectile dives. 3. Comitatus hic in Inferiori Hungaria amplior eſt cæteris, ejus ſiquidem termini extendunt ſe etiam ultra albos montes, uſque ad ipſos limites Moraviæ. 4. Præterfluunt hunc Comitatum Vagus, & Nitria fluvij. 5. In eodem ſita eſt Leopoldopolis, fortalitium eximium, cui ex oppoſito adjacet Arx, & oppidum Galgoczium. Ubi viſitur in Foro Coloſſus in tumulum erectus uni è ſeptem Ducibus Hungarorum in ſecundo eorum ex Scythia exitu. 6. Arces complures numerat, uti ſunt: Baimoczium, Nagy-Tapolcsán, Temetvén, Ileskő, Sentavia, Jókő, Detrekő, Holics, Saſin, Stompha, Marhek, Cſeite, Ledniczе; Oppida præcipua; Uyhelinum, Verbovium, Privigyiam; Civitatem item Regiam Szakolczam, & Uyvarinum expugnatione, & propugnatione clarum præſidium. 7. Pagos recenſet quàm plurimos. 8. Abundat frumento, paſcuis, vino, piſcibus ac pecoribus.

Decimus octavus Comitatus eſt Barſienſis juxta Granum Fluvium, inter Comitatum Zolienſem ad Septemtrionem, Hontenſem ad ortum, Comaromienſem ad occaſum, & Strigonienſem ad meridiem.

Memorabilia.

1. Denominatur à Caſtro antiquo Bars dicto Hungaris, Germanis Barſemburg. 2. Loca celebriora habet; Levam, Surán, Sugyinium, & Præpoſituram Sagienſem. 3. Terram item fertilem.

Decimus nonus Comitatus eſt *Neogradienſis* ad fluvium Ipolum; Ejus præcipua loca ſunt: Filekinum, Bujakium, Gyarmathinum, Szécſinium, Dre-

gel,

gel, S. Benedictus, & oppidum Marosh, five Maros, olim celebre ex colonis Germanis, è regione Viffegradi ex altera parte Danubij.

Vigefimus, & Vigefimus primus Comitatus eft Hontenfis fitus inter fluvios Tibifcum, & Sagyvam; Ejus præcipua loca funt: Agria Sedes Epifcopalis fub Archi-Epifcopo Strigonienfi, non folùm reditibus ampliffimis, fed & loci fitu, & alimentorum copia maximè infignis, Arx ad montis radicem in loco editiori condita eft, in qua Ecclefia Cathedralis, cui fubjacent in planitie ædes Capitulares, & ipfa Civitas. Et Hatvan, éftque duplex: Nagy-Hontenfis, & Kis-Hontenfis, fæpè juncti, fæpè etiam disjuncti, ita, ut duos faciant Comitatus.

Vigefimus fecundus eft *Pefthienfis* Comitatus ad Danubium fluvium, habens Pilifienfem Comitatum ad occafum, ex altera parte Danubij, Neogradienfem ad feptemtrionem, & Tolnenfem ad meridiem, Szolnokenfem exteriorem ad ortum. Ejus præcipua loca funt Pefthinum è regione Budæ Urbis Regiæ, quam fic defcribit Nicolaus Olahus: pro ftatu illo in quo tunc fuerat; Pefthum Civitas ad orientem Danubij ripam, è regione Arcis Budenfis confpicitur, mœnibus in latum orbem circumdatis, Danubio utrinque compacta, incolis partim Hungaris, partim Germanis frequens, & ex utráque parte longis fuburbijs infignis, vinis exoticis, non Sirmicis modò, ijfque optimis (quæ perinde ac Cretica funt) dulcis fapore præftantibus; fed & Baronianis, Somodianis, & alterius generis. Præter hæc Mercaturis omnigenis eft celebris: Mercatorum enim magnus eft ad eam concurfus, eò enim conveniunt magno numero Poloni, Silefitæ, & pleræque nationes externæ, in eáque vina mercantur. Ager tamen illius arenofus, fterilifque eft, nullius frumenti magìs, quàm peponum, rapæ, & raphani minoris ferax. In eodem Comitatu *Vacia* Civitas Epifcopalis ad ripam Danubij (qui Infulam illic mediocrem circumfluit) fita eft, à Pefthо Boream versùs quinque milliaribus recedens: Locus propè montem arboribus plenus, & ex altero orientali latere propter viridaria, & campum latè diffufum non modicæ amœnitatis.

Vigefimus tertius Comitatus eft *Exterior Szolnok*, è regione Pefthienfis ad fluvium Tibifcum, eundem habens ab ortu; Hevefienfem Comitatum ab occafu, Torontalenfem ex altera parte Tibifci, & Bathienfem ad meridiem. Caput illius eft Szolnok Civitas, à qua etiam cognominatur, éftque munita ad Tibifcum fluvium, ubi is Zagyvam fluvium recipit. Miræ eft fertilitatis, abundátque copiâ magnâ pifcium & pecorum.

Vigefimus quartus Comitatus *Bathienfis* ad ripam Danubij infra Comitatum Pefthienfem, & fupra Comitatum Bodrogienfem. Cujus caput eft Batha, five Bachia, fita ad Danubium fluvium, Civitas Epifcopalis, fub Archi-Epifco-

ſcopalis. ſub Archi-Epiſcopo Colocenſi, cui perpetuò eſt unitus illius Epiſcopatus. In eodem Comitatu eſt etiam Colocia Sedes Archi-Epiſcopalis, & Bath, Monoſtor.

Vigeſimus quintus Comitatus eſt *Cſongradienſis* ad Tibiſcum fluvium, ab ejuſdem nominis Arce ſic cognominatus. In hoc eſt etiam Szegedinum oppidum tam Camerâ ſalis, qui ex navigio vectus, eò loci deponitur, quàm loci amœnitate maximè commendabile.

Vigeſimus ſextus Comitatus eſt hujus partis Hungariæ *Bodrogienſis* inter Danubium fluvium, & Tibiſcum; terminatur à ſeptemtrione Bathienſi Comitatu, ab occidente Baranienſi, Comitatu Sirmienſi pariter trans Danubium à meridie, & ab oriente, Comitatu Cſanadienſi trans Tibiſcum, extenditúrque úſque ad confluentiam Tibiſci in Danubium; ſic dictus à Bodrogo Caſtro ad ramum Danubij ſito.

Memorabilia.

1. Qui tractum hunc inter Tibiſcum & Danubium incolebant, olim habebant peculiare Idioma ab Hungarico planè diverſum, ij enim erant ex Jazigum Metananaſtarum gentibus, átque etiamnum Jáz nuncupantur. 2. Mirè abundat hic tractus Hungariæ piſcibus; ſcribit Nicolaus Olahus ſibi à fide dignis viris narratum, mille circiter lupos, ſeu lucios mixtos carpionibus, quorum longitudo unam ulnam adæquabat, in his locis quandòque uno floreno Hungarico emi poſſe. Addunt alij in his partibus, ac alijs Tibiſci vicinis, tantam aliquando eſſe piſcium copiam, ut cùm intra regionis limites diſtribui nequeant, néquè evehi ad circumpoſitas, porcorum dentur gregibus. In his inter Danubium & Tibiſcum locis ad ſeptemtrionem campus eſt Cumanorum, in quo Cumani per Sedes, ſive ut ipſi vocant Seſſiones dividuntur. 4. Alunt hi ingentes pecorum & equorum greges, ex quibus ſibi non parvas comparant opes. In mediterraneo tamen, ſunt aquæ, & lignorum inopes, niſi quòd ad aquandum pecora puteos effodiant. Ager nullius leguminis magìs ferax, quàm peponum. Ad ignis uſum utuntur arundinibus, & ſicco fimo animalium, ac modicis lignis è longinquo advectis: vino ntuntur accolæ Sirmico, à quo Danubius profluus eos dirimit. 5. Naſcuntur hìc equi & velocitate, & fortitudine non contemnendi, ſed quòd magna ferant capita, pænè ridiculi. 6. Data eſt hæc pars Terræ Cumanis à ſua patria profugis à Bela IV. Hungariæ Rege, qui poſtea Chriſtiani effecti ſunt à Roberto Archi-Epiſcopo Strigonienſi. Eorum Judex ſupremus eſt ipſemet Regni Hungariæ Palatinus. 7. Ad oſtia ferè Tibiſci in Danubium ſe exonerantis, eſt Tételinum, Præpoſitura olim reditibus quatuor millium Ducatorum dives.

§. IV.

Quartæ partis Hungariæ, quâ continetur totus ille tractus, qui eſt trans Tibiſcum fluvium, extendit ſe ad limites ipſius Tranſylvaniæ, initiúmque ſumit à finibus Ruſſiæ rubræ, & terminatur incluſivè ad Severinum, in confinijs Valachiæ.

Primus Comitatus eſt *Ugoczienſis*, à ſeptemtrione habens Comitatum Beregienſem, ab ortu Maramaroſienſem, ab utróque eum Tibiſco fluvio dividente, ab occaſu verò Bihorienſem, demum à maridie Szakmarienſem, ejus autem caput eſt Ugocza Caſtrum in colle duobus milliaribus diſtans à Szakmarino, & Tibiſcum versùs pauló plus.

Secundus eſt *Szakmarienſis* inter Ugoczienſem ad ſeptemtrionem Bihorienſem Comitatum ad occaſum, & Tranſylvaniam ad ortum ac meridiem. Sic denominatus à Szakmarino Civitate, & Arce munita ad amnem Samuſium ſita.

Tertius eſt Comitatus *Zabolczenſis* versùs Tibiſcum fluvium, inter Zemplinienſem Comitatum ad ſeptemtrionem ex altera parte Tibiſci, Bihorienſem ad ortum, Heveſienſem ad occaſum. Ejus caput eſt Caſtrum vetus Zabolcz, ab uno è ſeptem primarijs Ducibus Hungarorum, qui pannoniam occupârunt, qui ibidem conſedit, ſic dictum. Ejus præcipuus locus eſt Arx Czáge, olim Czákvár dicta, unde originem ſuam ſumit Illuſtriſſima, & antiquiſſima familia Czakiana.

Quartus Comtiatus eſt *Bihorienſis* inter Tibiſcum ad ſeptemtrionem, Szakmarienſem ad ortum, Tranſylvaniam ad meridiem, & Zabolczenſem Comitatum ad occaſum; ſic dictus à vetuſto Caſtro *Bihor* nuncupato.

Quintus eſt *Torontalienſis* habens Tranſylvaniam ad ortum, Tibiſcum fluvium, & Kûlsô Zolnokienſem Comitatum ad occaſum, Zabolczenſem ad ſeptemtrionem, Aradienſem ad meridiem; Ejus præcipuus locus eſt Thur.

Sextus Comitatus eſt *Kôlsô Zolnokienſis* adjacens priori per influxum Tibiſci.

Septimus Comitatus trans Tibiſcum eſt *Craſznenſis*, à Craſzna fluvo ſic dictus.

Octavus Comitatus eſt *Aradienſis* inter Comitatum Torontalienſem ad ſeptemtrionem, & Cſanadienſem ad meridiem, ac inter Tibiſcum & confinia Tranſylvaniæ.

Nonus Comitatus eſt *Zarandienſis* Aradienſi Comitatui pariter vicinus, recedente Tibiſcum versùs.

Decimus Comitatus eſt *Cſanadienſis*, qui ab ortu terminatur Tranſylvania, ab occaſu Tibiſco fluvio, quo dividitur à Bodrokienſi Comitatu, à ſeptemtrione Ara-

ne Aradienſi, & à meridie Temeſienſi Comitatu. Ejus caput eſt Cſanadinum, (unde etiam denominatur) Civitas Epiſcopalis, ſub Archi-Epiſcopo Colocenſi, ſita juxta fluvium Maruſium, qui paulò infra in Tibiſcum cadit.

Undecimus Comitatus eſt *Bekenſis*, Comitatui Aradienſi conterminus, recedítque in fines Tranſylvaniæ.

Duodecimus Comitatus eſt *Cſongradienſis*, qui ad Tibiſcum jacet, inter Comitatum Torontalenſem, & Cſanadienſem, ex parte Tranſylvaniæ Comitatum Aradienſem habens. Caput illius eſt Civitas Cſongrád, à quà ſuam denominationem accipit, quæ ſita eſt ad fluvium Kőrős, ubi is exoneratur ad Tibiſcum.

Decimus tertius Comitatus eſt *Temeſienſis*, qui à ſeptemtrione terminatur Comitatu Cſanadienſi, ab ortu Tranſylvaniæ regione, à meridie Danubio fluvio ſeparatur à Servia, uti ab occaſu Tibiſco fluvio à Comitatu Bodrogienſi; Ejus caput eſt Temeſvarinum Urbs olim ampla, & probè munita, átque populoſa, & omni genere commerciorum abundantiſſima; ad fluvium Temeſium ſita.

Decimus quartus Comitatus fuit *Severienſis*. Ejus caput erat Severinum Caſtrum Hungaricè Szőrény ad Iſtrum fluvium in limine Moldaviæ. Hujus Præfectus olim vocabatur Banus Severienſis, qui Magiſtratus olim fuit apud Hungaros magni nominis, ſed amiſſo Severino incuriâ Noſtrorum, & à Turcis occupato, deſijt hic Banatus.

Memorabilia.

Tractus hic terræ, præter Tibiſcum habet quatuor magìs nominatos fluvios, nempe: Samuſium, triplicem Chryſium, Hungaris Kőrős dictum, Maroſium (Maros) & Temeſium (Temes) juxta quos etiam quaſi ſecunda diviſione variè ſubdividitur. Hinc Regio illa, quæ ſita eſt inter Samuſium, & Tibiſcum fluvios meridiem verſùs vocatur *Samosköz*, ea ex re ita nominata, quia ſita eſt, inter Samos & Tibiſcum fluvios, in qua ſunt oppida: Maramoros, Rivulus Dominarum, ſeu Nagy Bánya, Felsŏ Banya, Aranyos, Medgyes, Nyalab, Apati, Varallya, Dobocz, Zatar, Uylak, Egri, Peled, Forgala, & multa alia præterea. Ea verò Regio, quæ ultra, & ad prædictum Samuſium, & citra montem ſylvoſum jacet, vocatur *Szilágyság*, ubi inter alia oppida: Zetra montem ſylvoſum jacet, ... kota ad ripam Samuſij, & Civitates Szathmar, & Németi, & plurimæ Valachorum villæ continentur.

Tum meridiem verſùs occurrens inter Tibiſcum & Samuſium fluvios ac montes Varadinenſes ad orientem exiſtentes, úſque ad oppidum Debreczinum Regio, *Nyerköz* appellatur, in qua ſunt oppida Barecz, Demanyhida, Károly,

Károly, Szánto, Bethe, Nagy, & Kis Kálló, Szent Margaretha, Béltők, Székelyhida, Markosfalva, Bezermény, & alia oppida; infra verò orientem versùs, est Civitas Varadinum, Sedes Episcopi, Ecclesiâ Cathedrali, & Sepultura D. Regis Ladislai, miraculis clari, & Sigismundi Imperatoris inclyta, in qua olim diu noctúque ex ejusdem Imperatoris fundatione Psalmi Davidici ad ejus tumbam mutatis vicibus continuabantur. Arx hujus conspicua fuit tum statua equestri D. Ladislai ærea ingentis molis, tum ædium magnificentiâ, quas Sigismundus Thurzo Episcopus ædificaverat, & dein Georgius Monachus ejusdem loci Episcopus, & S. R. E. Cardinalis ampliaverat. Civitatem ejusdem nominis à septemtrione Kőrős fluvius, is qui rapidus dicitur, pleno alveo, multis alijs fluvijs auctus intersecat, à meridie autem supra arcem exoneratur ad fluviolum Bercze: brachium exile ipsius Kőrős. Huic sunt vicina: Pűspőki, Biharium, Kereſztes, & alia oppida. Occidentem versùs latissimi sunt campi alendis pecoribus commodissimi, in queis est oppidum Debreczen, Civium oppulentiâ, & sex nundinis annuis, pecorúmque mercaturâ, & alijs ex rebus insigne: inferiùs sunt: Angyal-háza, Nádudvar, Oſztupal, Banhalom, ac alia Haidonica oppida. Aquæ, & lignorum hæc pars terræ est indiga. Utuntur proinde accolæ in fomentum ignis, arundinibus, cespitibus, & lignis aliunde adductis. Quanta autem in his partibus sit pecorum copia, vel inde colligere licet, quòd Nicolaus Olahus scribat sibi fuisse notum Civem Debreczinensem, cujus nomen erat Gaspar Birò, qui decem millia Boum sæpè alebat venalium. Hinc versùs meridiem in orientali ripa Tibisci sunt: Bala, S. Nicolaus, Varsány; in adversa verò ripa velocis Kőrősij, seu Chrysij: S. Andreas, Alba Ecclesia, Bekeny, & inter utrúmque Thur, oppidum.

Deinde tractus qui est inter tres Kőrős, velocem, nigrum, & album dicitur *Kőröskőz*, in quo versùs radices montis est Arx Fekete Báthor, & Arx Ureg, infra quas, ad meridiem vergunt oppida: Chasa, Zadan, Mezergyan, Keleser, Gyarmath, Sarkad. Hinc magìs ad orientem Arx munita Gyula, Berely, Teleki, Miske, Talpas, Feltőt oppida. Illa dein Regio, quæ inter album Kőrős, & Maros fluvios in meridiem porrigitur, vocatur *Maroskőz*, in qua versùs promontorium Makra, (in quo optima nascuntur vina.) Sunt dein Arces: Solymos, Lippa, Világosvár; tum ad Kőrősi ripam: Pankota, Zaránd, Kereki. Dehinc magìs ad meridiem sita sunt oppida: Simánd, Pali, Præpositura Orodiensis, non parvi nominis: Arx Nagylak, oppida Bozzas, Rivásháza, Kuthas, Perek, Hetes, S. Ladislaus, Csongrad, & alia plurima. Demum Regio illa, quæ sita est inter Temesium & Marusium fluvios, vocatur *Temeskőz*. Oritur autem Temes fluvius ex rupe, aut monte, qui oppido Káránse-

bes imminet, qui illud, ac Castellum, & oppidum Lugos aluit, ac dein meridiem versùs defluit, & Arcem Temesvár fortissimam, ab ipso amne ita denominatam attingit. Hæc autem Arx obstabat Turcis, ne à Samandria pertransito Danubio Temesium trajicere, & Hungariæ fines invadere possint. Locus hic quondam populosissimus fuit, & omni genere commeatuum, ac piscium maximè copiosus. Fluvius verò Temesius per latissimos primùm defluens campos, partim in Danubium se se evomit supra Belgradum, partim non nihil ad occidentem aliquot factis insulis (quarum aliquot arundinibus, & arboribus frequentes ob vehementiam ventorum huc illuc moveri, natareque videntur) conversus propè Titulium orientali Tibisci ripæ se infundit. In ripa occidentali Temesij sunt: Sarad (cui in ripa ulteriori opponuntur Iktar, & Rekus) Czona, Beregszáz, Chokány, Aracha; Arces Becze, & Beczkerek, & multa alia oppida. E regione autem, in ripa orientali Marusij incipiendo à borea meridiem versùs sunt ex ordine Biszere, Zendi, Zôldin, Egres, S. Michaël, Csanadinum, Episcopatu, & Ecclesiâ vetustâ, & loci commoditate spectabilis, Zombor, Desk, Zeurek; mediterraneæ verò Zécsén, Zákan, Kenecz, Horoszeg, Szental, Oroszlan, Galad, Monostor, Csoka. Postremò inter Temesium flumen, & Danubium est campus, qui *Moxons* appellatus, in cujus medio sylvoso est Arx, Eer Somlyo. Hinc in fine hujus tractûs *Severinum* Arx infra Trajani pontis vestigia cum tribus alijs: Orzova, Peth, Mihályd illis subditis. In ripa verò septemtrionali Danubij, è regione Samandriæ sunt ex ordine ad boream, Keré, Dombo, Haram, Buhoczin, S. Ladislaus, & Pedh, jam à multis annis per Turcas occupata loca.

2. In hoc ipso tractu minoris nominis fluvij sunt: *Kraszna*, qui Somlyobator Arcem, & Karolium præterfluens & aliud Bathor, in Samosium influit ad Samos oppidum. Item fluvius Kállo, qui devolvitur in Chrysium flumen infra Gyulam ad S. Andreæ oppidum. Item Crasso, qui influit in Lacum Beczkerek. 3. Lacus habet duos, nempe jam præmentionatum Beczkerek, & alterum, in quo est sita Arx naturâ fortissima, Ecset. 4. Visuntur adhuc hîc Trajani pontis vestigia, qui sanè magnificis extructus fuit à Trajano Imperatore operibus, quod licet ex Dionis sequenti descriptione cognoscere: Per ea (inquit) tempora Trajanus lapideum pontem in Istro fecit, opus sanè mirandum, & maximè mirabile, cui altera illius opera vix adæquare possis. Viginti stant ex quadrato lapide pilæ, quarum altitudo centum & quinquaginta pedum præter fundamenta habetur, latitudo sexaginta pedes continet. Distant inter se centum & septuaginta pedibus; fornicibus verò conjunguntur. Impensa profectò ingens, & vix credibilis; sed illud mirari convenit, quánam ratione, & quibus viribus, quóve artificio in illa gurgitum altitudine, támque præci-

præcipiti fluvio,tum triangulæ columnæ extrui potuerint, cum tantarum molium fundamenta ſtabiliri. Vada præterea limoſa erant, néque amnis alto derivari poterat. Quanta præterea ſit altitudo aquæ, & quàm latus pateat amnis, haud equidem enarraverim. Diffunditur per ea loca ſpatioſus, átque interdum mole concitatus ripas longiùs ſubmovet: ubi verò arctatur, verticoſus, & ferox, ædificia & pontes non patitur; & rurſum liber ab anguſtijs in pelagi formam totus expanditur, iterúmque eò quaſi retentus profundior, & rapidiùs fertur. Arduum igitur, & maximè laborioſum fuit, in ea fluminis parte pontem ædificare. Hunc pontem poſtea Hadrianus demolitus eſt, alia quàm Trajanus ædificaverat ductus ratione, hic, ut omnibus anni temporibus Romano Exercitui eſſet contra Barbaros ſecurus per Danubium tranſitus; ille ne Barbari pertranſito commoditate pontis Danubio, Romanam ditionem incurſare poſſent. Extant etiam nunc aliquot pilæ, pontis ipſius reliquiæ. Huic Ponti hæc erant inſcripta: Providentia Auguſti verè pontificis virtus Romana quid non domet? Sub jugum ecce rapitur Danubius!

Quintam partem Hungariæ magnæ,conſtituunt tres Daciæ Provinciæ,nempe: Tranſylvania, Moldavia,& Valachia ſeu Tranſalpina. Et quidem duæ poſteriores Provinciæ in certos Comitatus non ſunt ſubdiviſæ, ſed gubernantur integrè à ſuis Principibus vulgò Vajvodis nuncupatis, qui tamen jure à Regibus Hungariæ dependent. Tranſylvania verò cùm incolatur à tribus præcipuè nationibus, nempe: Hungaris, Siculis, & Saxonibus: in varios quóque, & quidem trifarios ſubdividitur diſtrictus; Hungari ſuos diſtrictus appellant Comitatus; Siculi & Saxones ſuos,nuncupant Sedes. Comitatus igitur Tranſylvaniæ numerantur ſeptem, nempe: 1. Colos. 2. Doboczenſis. 3. Belsô Szolnok. 4. Albenſis. 5. Tordenſis. 6. Kûkûllôeenſis. 7. Hunyadienſis. Siculi pariter ſeptem habent diſtrictus ſeu ſedes, & duas filiales. Sunt autem: 1. Maroſzék. 2. Udvarhely-ſzék. 3. Cſiik. 4. Sepſi. 5. Kisdi. 6. Orbai. 7. Aranyasſzék; filiales verò Gyergyo & Káſzon. Saxones item ſeptem, & itidem duas filiales; ſunt verò: 1. Medgyes-ſzék. 2. Szegesvár. 3. Kô-halom. 4. Nagy-Singh. 5. Szeben. 6. Száſzſebes. 7. Száſzvaros. Filiales verò: Vjegyház, Szerdahely. Et licet harum trium Provinciarum deſcriptionem jam dederimus Diſſertatione Quarta, partis 1. Decadis 2. Selectiorum, & curioſiorum, variarum ſcientiarum miſcellanearum; quia tamen poſtmodum devenerunt ad meas manus manuſcripta Nicolai Olahi Archi-Epiſcopi Strigonienſis viri eruditiſſimi, atque in his partibus nati, & enutriti, adeóque teſtis oculati, ac locorum, ac rerum geſtarum in iiſdem periti, utpote ex ipſis Principibus Valachiæ progeniti, ſed in Tranſylvania nati & in juventute educati, ideo nonnulla adhuc ex ijſdem manuſcriptis placuit in compendio hìc adjungere.

Primò igitur Tranſylvania undecúnque cincta eſt altiſſimis alpibus, & ex ea maximè parte, quâ à Tranſalpinis ſecernitur. 2. Uno ſaltem ex latere, quo ſeptemtrionem & Moldavos reſpicit, patentiorem habet aditum. 3. Ex Hungaria tres ad eam patent viæ, æquè difficiles, & ſalebroſæ. Una appellatur via Meſzes ex ea parte, quâ Samos; altera Kőrős dicitur, quâ Kőrős, ſeu Chryſius; tertia Porta ferrea(Vas kapu)quâ Maros labuntur flumina. 4. Ex Valachia ſeu Tranſalpina anguſtus eſt ad eam ingreſſus; hanc ob rem Turcæ, qui hinc invadere tentabant Tranſylvaniam, magnam ſæpè à parva manu accepêre cladem. 5. Regio tota nunc planitiem, nunc ſylvas alternatim habet, aquarum divortijs interſecta. 6. Eſt agri fertilis, vini ferax, auri, argenti, ferri, aliorúmque metallorum locuples, prætereàque ſalis plena; Boum item, ferarum, urſorum, piſcium abundantiſſima, ut naturam incuſare non poſſis, quin omnia vitæ neceſſaria in eam contulerit Regionem. 7. In hac ſunt quatuor diverſi generis nationes: Hungari, Siculi, Saxones, & Valachi. Hungari & Siculi eâdem utuntur linguâ, niſi quòd Siculi peculiaria gentis ſuæ habeant aliqua vocabula; Saxones dicuntur Saxonum Germaniæ eſſe coloniæ, per Carolum Magnum eò traductorum, quod verum eſſe, arguit linguæ utriúſque populi conſonantia. Valachi Romanorum coloniæ eſſe traduntur, ejus rei argumentum eſt, quòd multa habeant communia cum idiomate Romano, cujus pleràque numiſmata eò loci reperiuntur, haud dubio, magnæ vetuſtatis Imperijque iſthic Romani monumenta. 8. In Tranſylvania Sajo, Biſztricza, duo Samos magnus, & parvus, qui viſzſza folyó, hoc eſt: adversè fluens appellatur: duo Kőrős(olim Chriſij) velox & albus; Maros(qui olim Amerrois, Mariſus, vel Maroſſus vocabatur) Aranyas, Kükűllő, & Ompai flumina oriuntur, poſtea diverſis aucta fluvijs, tam intra, quàm extra Tranſylvaniam, majore eorum parte fiunt navigabilia. 9. Sajó in finibus Siculiæ, ſeptemtrionem versùs ortum habet, qui primùm mixtus Biſztriczâ amne, Civitatem ejuſdem nominis & opibus & Civium multitudine ſatis potentem alluente, ſupra oppidum Dées(in cujus montibus effoditur ſal) in Samoſium magnum, ex radicibus Alpium Moldaviæ emerſum ingreditur. 10. Samoſius verò parvus oritur ſupra oppidum Vásárhely, ex radice Alpis *Kalata* ad meridiem ſitæ. 11. Inter montes Samoſij parvi, & velocis Kőrős ad Alpes Valachorum, úſque ad majorem Samos fluvium ſunt oppida; Gyalu, Almás, Hunyad. Arces: Vásárhely Seek, Iklod, Némethi, Alpret, Mihályi, Chicho. 12. Non longè à Gyalu, Kőrős ipſe velox oritur in loco, cui Kőrősfő, hoc eſt caput Kőrős eſt nomen, qui in meridiem currens, ac in anguſtijs montium, crebris reflexionibus, gyríſque, ut non ſecùs quàm ſæpiùs reverſus, uno die vigeſies

circiter

circiter transmeetur; cum magno strepitu primò pagum Fekete, tum extra Transylvaniam Rév,& Telegd Arces: deinde Varadinum Civitatem præterlabens, rectè meridiem versùs decurrit, admissóque utriúsque alterius Kőrős albi, & nigri fluvio in Tibiscum supra Csongrád exoneratur. 13. Fons nigri Kőrős oritur ex Alpibus *Belenes*, propè Arcem Fekete Bator; albi verò Kőrős in montibus Transylvaniæ meridionalibus circa oppidum *Abrug Bánya*, qui penes *Kőrős Bánya*, ac *Féltőt*, & Arcem *Gyulam*, átque *Bekes* in meridiem decurrit, átque cum alijs duobus Kőrős in loco jam dicto miscetur. Fons verò Maros, seu Marusius in Siculia ortum habet, qui admisso Görgény fluvio, & alijs rivulis eodem ferè tractu ortis, ad viscera penetrat Transylvaniæ, ac tandem non longè à Gerend oppido, fluvium Aranyas penes vicos: Lupsa, Tcoroczko, & oppidum Torda (in cujus montibus sal est) defluentem admittit. 14. Ideo verò nomine Aranyas appellatur, quia non secùs ac de Tago Hispaniæ, ac Pactolo Lydiæ fluminibus memoriæ proditum est, aureas devehit arenas. 15. Hinc Marusius ipse admissis supra Albam Gyulam (quæ Sedes Episcopi Transylvaniensis est, multísque opulentis Sacerdotijs celebris) Kűkűllő, Ompai, & alijs fluviolis penes eandem Albam Gyulam, & oppida Vincz, & Borberek dirimens meridiem versùs, penes Kapronczam, & Varallya labitur, relicta ad partem Arce fortissima Hunyad, & Déva Arce in altissimo monte condita: deinde progrediens Lippam arcem, & Orodium Præposituram, & Ecclesiam Collegiatam, Nagylak Arcem, præterfluens ad Szegedinum oppidum Tibisco miscetur. 16. Inter fontem Aranyas, & ejus ostia à septemtrione incipiendo meridiem versùs sunt oppida, & villæ: S. Rex, Decze, Arx Szent-Mihálykő, Lupsa, Potxaga, Zalatina, Bakay: Item Kőbölkút, Somkrek, Boncz Hida, Ludas, Kolos (ubi sal ex monte extrahitur) & alia nonnulla. 17. Sequitur dein Claudiopolis (Hungaris Kolosvár, Germanis Clausemburg, quæ olim Zeugma fuisse traditur) Civitas & situ, & opibus, & rerum omnium copiâ, ac mercatoribus inclyta: Item Abbatia Kolos Monostor, Torda oppidum (ubi similiter sal scinditur) & multa alia. 18. Ultra sub Siculia intra Alpes, quæ orientem versus Transylvaniæ imminet, & quibus Transylvania ab Hungaria disjungitur, sunt oppida: Regen, Vásárhely, Zakad, Terem, Nagylak, Saros; Udvarhely, Réhalom, Arx Kűkűllő, non minùs munita, quàm amœna: Civitas Medgyes & situ, & arte munita; altera Brassovia, sive Corona, antea Zarmigethusa appellata, ad fines Transylvaniæ orientem versùs sita, tum munita, tum civium, & mercatorum frequentiâ celebris, victu verò commoda: ad hæc Transalpinorum, aliorumque externorum hominum Emporium. 19. Cibinium caput est Sedium Saxonicalium, quâ

orientem & meridiem reſpicit in colle, quà verò alias plagas in ipſius collis lateribus extructa eſt: Fons eſt in loco Urbis editiore, ex quo aqua per canales eò deducta in labrum decidit; hâc magna pars incolarum utitur. Quà ab occidente intratur in loco Urbis humiliore, admiſſum eſt brachium Cibinij amnis, qui pleno alveo extra delabens in fluvium Alutam complures rivulos ex ſeptemtrionalibus Siculiæ plagis ortos, priùs admittentem, non procul à Turri rubra exoneratur. 20. Magna eſt hæc Urbs ac potens, & non ſolùm ædificijs magnificis decora, ſed omnibus negotiationibus, alijſque rebus florens. Ad hæc munitiſſima, quæ præter mœnia, quæ & lata ſunt, & Turribus crebris robuſta, foſsâ ex omni parte, præterquam ab oriente aquaticâ, & latâ ac profundâ circumducta eſt, quam extrinſecùs in omnem Urbis partem latiſſima, & ampliſſima vivaria, per triplicem & quadruplicem ordinem, alicubi ad unum ferè milliare Italicum circumcingunt, ob quæ non poteſt aliunde ad mœnia hoſtibus patere acceſſus, quàm per vias, quæ ducunt diverſis è regionibus ad Urbis portas, aſt hæ quóque vallo, clauſtris & alijs munitionibus ſatis firmatæ ſunt, ut vix alia ratione Urbs expugnari poſſit, præterquam inediâ, aut Civium negligentiâ, vel diſcordiâ, quibus potentes ſæpè Urbes periclitatæ ſunt. 21. Hujus Parochia Cathedralis ſuo præſente Infulato digna, viginti & quatuor Sacerdotum adaucta Aris, olim conſpicua fuit. 22. Addit Raicherdorffer Chronographiæ Tranſylvanicæ ſcriptor ſequentia: Huc annua frumenta in ſubterraneas foſſas ad multos annos citra ullam publicæ annonæ jacturam conſervandi gratiâ conferuntur: Nec deſunt molendina triticaria ita elaborata, ut nulla arte ab hoſtibus eſuriem Civitati molientibus eripi poſſint: Adde, quòd paſſim per Civitatis ſingulos vicos placidiſſimo flumine rivulus decurrat. 23. Meminit item Civitatem hanc, poſt Sereniſſimi quondam Ludovici Regis felicis memoriæ interitum, ad ſeptennium úſque in aſſiduis bellorum tumultibus (dum ſcilicet Tranſylvania propter infeliciſſimam Inter-Regis Joannis coronationem in diverſum eſſet diſtracta) ſe ſe contra omnium hoſtium impetum citra externarum gentium præſidium & auxilium, armis ſuis, & ſumptibus proprijs, quàm ſtrenuiſſimè conſervâſſe, néque etiam Cives ulla obſidione aut oppugnatione, vel hoſtium incurſione aut formidine ductos, ut defeſſis viribus, in aliquam deditionem provocati fuerint, ſed alijs quóque Civitatibus tam auſtera & militari defenſione robuſtiorem animum præbuiſſe, ne hoſtium arrogantibus minis territi in defectionem ſe trahi paterentur. 24. Quin & poſtquam Turcæ Tranſylvaniam ſuæ tyrannidi ſubjeciſſent, nunquam ijſdem ad hanc Civitatem patuit acceſſus, ut eandem ſubjugare, & præſidio ſuo firmare potuiſſent, niſi quòd quadam vice mille ſuorum in eam dolo induxiſſent, ſed hi quóque

poſt-

poſtmodum induſtriâ & dexteritate Civium, cùm ij ad famam hoſtilem excurriſſent, Civitate excluſi ſunt, nec ampliùs unquam admiſſi. Poſtremis verò his annis, cùm Tranſylvania ſpontè ad Coronam Hungariæ redijſſet, Civitas quóque hæc præſidium Cæſareum ultrò admiſit, & úſque ad hunc diem illud retinet; interea tamen temporis undecúnque tandem orto incendio miſerè conflagraverat, cum ingenti incolarum detrimento. 25. Non procul ab ea ad radicem alpium, quæ ſunt Tranſalpinam versùs, eſt turris fortiſſima ſub eorundem Civium Cibinienſium ditione exiſtens, quæ *rubra* vocatur, hâc Turcæ perardua alpium itinera ſæpè Tranſylvaniam invasêre, ſed cum maxima ſui clade, ut ſupra dictum eſt. 26. A Cibinio non longè deſtitutum eſt oppidum Vizakna, propè quòd copioſus ſal effoditur. 27. Civitati Szaſzváros in loco amœno & fertili ſitæ, & ob propinquum illi flumen ad incolendum commodæ ſubeſt ad unum milliare ſeptemtrionem versùs vicus quidam, cui nomen eſt Kenyérmezö, latinè Campus panis; huic adjacet campus ejuſdem nominis, planus, longè diffuſus, memorabilis à pugna illa famoſiſſima Turcarum, & Hungarorum, Ducibus Stephano Báthori Tranſylvaniæ Vajvodâ, & Paulo Kiniſio Temeſvárienſi Præfecto tempore Matthiæ Regis Corvini commiſſa, in qua tanta utrínque facta eſt cædes, ut rivulum, qui in medio campo labitur ſanguine mixtum fluxiſſe, ij, qui prœlio interfuerunt, teſtarentur. Noſtrorum magna pars perijt, & Epiſcopi Tranſylvanienſis ejus temporis, ducenti equites cataſracti in ea pugna deſiderati ſunt; victoria tamen manſit penes noſtros deletis Turcarum triginta ferè millibus, cæteris ad turpiſſimam fugam actis. 28. Cenſus habent Saxones ſtatutos quos Regi conferunt: agriculturæ, & alijs laboribus ſunt mirum in modum dediti, fœminæ perinde opus faciunt ac mares, quæ patientiſſimæ ſunt laboris: his ex cauſis Saxones opulenti ſunt. 29. Ad radices alpium, quæ Tranſylvaniam à Tranſalpina dividunt; Arx munitiſſima Fogaras eſt condita, rivulis, qui ex alpibus delabuntur, in queis Truttæ ſunt & alij piſces delicatiores, alijſque rebus amœna. Hæc Arx eſt veluti quidam Ducatus; unde Arcis hujus Domini, & poſſeſſores, ſcribunt ſe Dominos non Arcis, ſed terræ Fogaras: ſubjecti enim ſunt ei Bojarones hoc eſt Barones Valachi: qui Arcis Dominos obſervant ut Principem. Atque hæc potiſſimùm ex manuſcriptis Nicolai Olahi. Moldaviæ autem & Valachiæ deſcriptionem citata Diſſertatione dedimus. Verùm occaſione factæ mentionis Valachorum occurrunt nonnulla adhuc de Valachis hîc adnotanda.

Noto igitur primò. Valachorum, ſive Vlachorum nomen ante Annum 1300. nec apud Latinos nec apud Græcos ſcriptores extitiſſe, ſed à Latinis fuiſſe vocatos ſimpliciter Romanos, à Græcis verò mutuato vocabulo, à Ruſſis Patzinacos, ac dein per decurſum temporis Vlachos.

Noto

Nota 2. Valachos, qui Moldaviam, & Transalpinam incolunt, seipsos pro Romanorum progenie tenere; dicunt enim communi modo loquendi; *Sie noi sentem Rumeni:* etiam nos sumus Romani. Item: *Noi sentem di sange Rumena.* Nos sumus de sanguine Romano. Joannes quóque Hunniades inter Valachos Transsylvaniæ natus, ex Corvina Romana familia, ortum se ducere gloriabatur.

Nota 3. De horum Valachorum denominatione Æneam Sylvium (qui dein Pontifex factus Pius XI. dictus est) Europæ cap. 2. sic scribere: *Colonia Romana eò deducta, Duce quodam Flavo, à quo Flavia nuncupata, exin longo temporis tractu corrupto, ut fit, vocabulo. Vlachia dicta, & pro Flaccis Vlachi apellati, sermo adhuc genti Romanus est, quamvis magna ex parte mutatus, & homini Italo vix intelligibilis.*

Noto 4. Vero similiorem tamen originem denominationis esse ex Slavonico vocabulo Wlach, quo nomine à Slavis omnes Itali nuncupantur, ex quo dein à Latinis & Græcis dicti sunt Vlachi, ac tandem Valachi, sic & Hungaricè vocantur Olachi, cùm Olasz significet Italum in communi.

Noto 5. Colonias has Romanas, ad illas Daciæ partes deductas fuisse à Trajano, qui primus ex Imperatoribus Romanorum, Daciam debellavit, ac Juris Romani effecit, Romanóque Imperio subjecit.

Noto 6. Valachiam Regionem distingui in duas Provincias, nempe in Valachiam propriam seu superiorem, & Moldaviam seu Valachiam inferiorem, sive in montanam & campestrem, & illam dici à Græcis, Slavis, & Turcis Hungaricam Valachiam, à Latinis Transalpinam, ab ipsis autem Valachis montanam, hanc verò à Slavis Moldovlachiam à flumine Molda, & à Græcis olim Maurovlachiam id est nigram à frumento nigro, cujus est ager ille feracissimus, à Valachis autem Moldavia, Geographi tamen universam Regionem in Valachiam & Moldaviam distinguunt.

Noto 7. Tractu temporis hos Valachos, se diffudisse non solùm in Transsylvaniæ partem aliquam, sed etiam in Hungariam circa Tibiscanas ejusdem partes.

Noto 8. Eosdem Vlachos extendisse se, partim occasione bellorum, partim spontanea migratione per Thessaliam úsque ad montem Pindum, & ad montes Bosniæ, & per Bulgariam, nam ut tradit Leonicus lib. 2. historicorum. *Pindum montem Vlachi incolunt, quibus eadem cum Dacis est lingua, nec quiquam à Dacis, qui Istrum incolunt, distare cognoscuntur.*

Noto 9. Hinc Vlachos à Græcis dictos fuisse postmodum, non solùm qui Vlachicâ linguâ loquebantur, sed etiam ipsos Bulgaros, & montanos Bosnenses.

Noto 10.

Noto 10. Valachos per montes Rasciæ, Bosniæ & Croatiæ degentes, etiamsi multi Romanorum progeniem se esse arbitrentur, & tempore occupatæ à Slavis Dalmatiæ in montes secessisse autument, tamen cùm nullum Romanæ linguæ vestigium retineant, non esse reipsâ, sed duntaxat sic fuisse denominatos per commixtionem Vlachorum per illas partes.

Noto 11. Hinc Bulgaros & pastoritiæ duratos vitæ laboribus agrestes juvenes incertis sedibus vagos, communi Dialecto Vlachos fuisse dictos, unde defactò quóque in Pannonia, ovium curam habentes pastores, Valachi slavonicè nuncupantur.

Noto 12. Valachos quo nomine censebantur pastores montana Bosniæ incolentes cùm Mladino Dalmatiæ, Croatiæ, & Bosniæ Bano, militaria servitia præstitissent, ad plana Croatiæ descendisse, & Croatis immixtos, agros colere permissos fuisse.

Noto 13. Inde verò multiplicatos maritimorum quóque Civitatum agros infestâsse, ac tandem oram littoralem maris Dalmatici occupâsse, qui ob id num etiam Morlachi, quasi Marini Valachi à Slavis nuucupantur, ad distinctionem illorum, qui partes Croatiæ incolunt, & simpliciter Valachi nuncupantur.

Demum ut huic Catalogo Comitatuum Hungariæ, Croatiæ, & Transylvaniæ finem imponamus, addo hîc Zupanias, seu Comitatus Dalmatiæ, in quos olim divisa fuerat.

I.

Chlebiana, hodie Hliuno.
Tzentzena, hodie Cetina.
Emota, hodie Imota.
Pleba, forsan Pliewa.
Pesenta, ubi nunc Diœcesis Tininiensis.
Parathalassa, Latinè Maritima, Slavè Pri moryc.
Brebera, Bribir.
Nona, Slavè Nivi.
Tnena, Latinè Tinninium, Slavè Klin.
Sidraga, ubi nunc Diœcesis Scardonensis.
Nina, nisi sit idem cum Nona, & in duas Zupanias divisa.

Boanus, Latinè Banus, quod Dux, Slavè Ban.
Tenet Cribasan, Carbava.
Litzam, Slavè Lika.
Govzecha, ubi nunc Diœcesis Segniensis.
Bolligradum, Slavè Bielograd. Vocatur etiam Alba Maris, ad differentiam tam Albæ Hungaricæ, quæ Regalis, quâm Serviæ, quæ Græca dicebatur.
Scardona, Slavè Scardin.
Stoblum, forsan Stulba.
Corj, Latinè Corinium, Slavè Karin.
Claboca, forsan Klapaz, propè fontes Unæ fluvij.

Communiter tamen Geographi non nisi XI. Zupanias,seu Comitatus ponunt Dalmatiæ, sed hi, fortè solùm, maritimas partes Dalmatiæ, numerârunt: Hæc ex Joanne Lucio, de Regno Dalmatiæ, & Croatiæ.

CATALOGUS V.

Urbium, & Civitatum sub Corona Hungariæ.

Liberæ, Regiæque Civitates in Hungaria.

Alba Græca.
Alba Regalis.
Baka Bánya.
Bartpha.
Bazinium.
Brezno Bánya.
Buda.
Cassovia.
Cibinium.
Cremnicium.
Carpona.
Dilna.
Eperjesinum.
Gynsium.
Kesmarkinum.
Kismartonium.
Leuschovia.
Libetha.
Modra.
Mons Regius.
Nagy Bánya.
Neozolium.
Pesthum.
Posonium.
Rust.
Szakolcza.
Schemniczium.
Sopronium.
Trenchinium.
Tyrnavia.
Veterozolium.

Aliæ Civitates olim nominatiores, Hungariæ

Agria.
Chanadinum.
Colocia.
Comaromium.
Filekinum.
Hatvaninum.
Lippa.
Mursa, Eszék.
Nitria.
Ovarinum.
Varadinum.
Papa.
Quinque Ecclesiæ.
Szegedinum.
Szigethum.
Sirmium.
Strigonium.
Temesvarinum.
Tokainum.
Vacia.
Weszprimium.
Zolnokinum.

Civitates Croatiæ.

Carolstadium, Costanovitium, Siscia, Wichicza.

Dalmatiæ Urbes.

Ænona, Jadera, Ragusium, Spalatum, Catara, Narona, Sebenium, Tragurium.

Sclavoniæ Civitates.

Petri Varadinum, Posega, Sirmium, Valpo, Varasdinum, Zagrabia.

Transylvaniæ Urbes Præcipuæ.

Cibinium.
Brassovia, seu Corona.
Alba Julia.
Bisztricza.
Segesvaria.
Medgyesinum.
Zabesus.
Colosvária, vulgò Claudiopolis.

Civitates Bosniæ.

Banyaluka, Jajcza, Magelaum, Medczera, Sarajum seu Saralium, Tina.

Bulgariæ Urbes præcipuæ.

Axionopolis, Mesembria, Xicapolis, Sardica, aliàs Sophia, Terrovim, Varna.

Serviæ Urbes.

Alba Græca, quam alij referunt inter Urbes Hungariæ, Justiniana Secunda, & Vulpiana, nunc Prisna, Novus Mercatus vulgò Novibazar, vel Novivásár, Procupia, Samandria, Scupi seu Scopia.

CATALOGUS VI.

Fluviorum, qui sunt sub Corona Hungariæ.

Agrius vel *Agra* fluvius seu amnis Hungariæ, Urbem cognominem rigans, qui post duodecim millia passuum inter Urbes Szolnok, & Tokaj à latere dextro, Tibiscum influit.

Alma vel *Almus* fluvius Hungariæ, Szigethum præterfluens, à latere sinistro Dravo incidens.

Aluta fluvius Transylvaniæ, in finibus Russiæ oriens, Transylvaniam, & Valachiam transfluens, tandem in Istrum se exonerans paulò supra Nicapolim.

Aranyas fluvius Transylvaniæ, aurifer ad Urbem Torenburg, qui aliquot milliaribus, supra Albam Juliam Marosio miscetur.

Arava sive *Arva* fluvius Hungariæ, Arvensem Comitatum præterfluens, & ad confinia Comitatûs Lyptoviensis in Vagum se exonerans.

Baracza fluvius Hungariæ, in Comitatu Temesiensi in Craſznam fluvium incidens.

Baskara, vel rectiùs *Waskara* fluvius Sclavoniæ, ſupra S. Demetrium in Szavum influens.

Bednia fluvius Sclavoniæ in Comitatu Varaſdinensi in Dravum ſe devolvens.

Bela fluvius Hungariæ, in Comitatu Lyptoviensi in Vagum influens.

Beg ſive *Begh* fluvius Hungariæ, in Comitatu Temesiensi in Lacum Beczkerék decurrens.

Berethon fluvius Hungariæ, qui inter Szathmar & Varadinum fluens, Kalo fluvio miſcetur.

Biſztricz ſive *Wiſztricza* fluviolus Sclavoniæ, ſupra Wiroviticzam Dravo influens.

Blava fluvius Hungariæ inferioris, in comitatu Posoniensi.

Bodogro fluvius Sclavoniæ, in Comitatu Valkonensi.

Bodrog fluvius ſuperioris Hungariæ, qui ex monte Carpatho ortus, & auctus aliquot fluvijs in Tibiſcum propè Tokainum ſe exonerat.

Boſſnia fluvius Bosniæ, à quo etiam denominatur, & ad Urbem Arky à meridie Savo jungitur.

Boſſveta fluvius Sclavoniæ in Comitatu Seirmiensi in Savum infra S. Demetrium influens.

Buſulo fluvius Croatiæ in Klinam fluvium decurrens.

Caraſna ſive *Kraſzna* fluvius Hungariæ in Comitatu Ugocziensi à meridie in Tibiſcum decurrens.

Carttsca fluvius Croatiæ in Comitatu Crisiensi.

Comeriz fluvius Croatiæ.

Cotalena fluvius Croatiæ in Comitatu Crisiensi.

Chryſus vulgò *Kóres*, aliàs fluvius Tranſylvaniæ, Varadinum percurrens, iſque triplex, unus ortus prope Abrukbányam dicitur Fejér Kóres, ſive Albus, & Juliam rigat, alter Fekete Kóres ſeu niger, qui oritur in agro Claudiopolitano, & tertius Sebes Kóres, qui ſimul dein conjuncti in unum fluvium ſe ſupra Cſongradum in Comitatu Orodiensi in Tibiſcum exonerant.

Ciaſna fluvius Croatiæ, in Comitatu Crisiensi propè Kamengrad.

Cneſnicza fluvius Sclavoniæ in Comitatu Poſegiensi infra Arki influens in Savum.

Colapis vulgò *Kulp* fluvius Croatiæ, qui Carolſtadium alluens, auctus aliquot fluvijs, ad Craſtovitium in Savum cadit, quinque millibus paſſuum ſupra Segeſtiam Inſulam.

Colu-

Colubra fluvius Serviæ, à meridie in Savum influens.

Comencza fluvius Croatiæ, Novigradium præterfluens.

Crazina fluvius Sclavoniæ in Comitatu Varaſdinenſi, cognomine Municipium alluens.

Craſnicza fluvius Sclavoniæ, in Comitatu Valponenſi, Civitatem Valpo rigans.

Craſſo fluvius Hungariæ ad Urbem Belgradum Danubium ingrediens.

Czernik fluvius Sclavoniæ infra Gradiskam Savo illabens.

Danubius primus, ex quatuor præcipuis fluminibus, totam Hungariam inchoando à Poſonio, Belgradum úſque, ac inde Serviam, Bulgariam, & Beſſarabiam decurrit, ac tandem ſeptem oſtijs in Pontum Euxinum, ſeu Mare Nigrum, ſe ſe exonerat.

Draſto fluvius Sclavoniæ, in Comitatu Poſegienſi.

Dravus, unus ex quatuor præcipuis fluminibus Hungariæ, qui Hungariam nferiorem à Sclavonia ſeparans infra Murſam, ſeu Eſzekum, in Danubium iinfluit.

Drina fluvius Serviæ, à meridie Savo ſe jungens.

Dunavecz fluvius Hungariæ, in Comitatu Scepuſienſi, Hungariam à Polonia ſeparans.

Glogonicz fluvius Sclavoniæ, in Comitatu Varaſdinenſi.

Granus fluvius Hungariæ, qui præterfluens Neozolium, & Vetèrozolium Montanas Civitates, ad Strigonium in Danubium evolvitur.

Ginzium fluviolus Hungariæ, in Comitatu Sopronienſi, dictus aliàs Gyöngyös, qui infra Pinkam, à latere ſiniſtro Rabæ fluvio illabitur.

Gyöngyös alter ejuſdem nominis Hungariæ fluvius, in Comitatu Neogradienſi.

Hernadus fluvius Hungariæ ſuperioris, oriens ex montibus Carpathicis, & Urbem Caſſoviam præterfluens, fluviúmque Tarczam recipiens, à latere dextro infra Tokainum miſcetur Tibiſco.

Hieraſus fluvius Daciæ vulgò *Pruth* dictus, oritur in Ruſſia rubra, Provincia Poloniæ, aliunde in ortum fluens per Valachiam, uti poſtea in Mare etiam, & infra Axiopolim, in Iſtrum ſe exonerat.

Kakas fluvius ſuperioris Hungariæ, in Comitatu Borſodienſi, in fluvium Zagyvam influens.

Kalo, vel *Calo* fluvius Hungariæ ſuperioris Tibiſco influens.

Kanis fluviolus non procul à Murany in Granum fluvium incidens.

Kapos fluvius Hungariæ, in Comitatu Sümegienſi.

Kerka fluvius Hungariæ, in Comitatu Caſtriferrei.

Kiſſutza fluvius Hungariæ. in Comitatu Trenchinienſi.

Kleva fluvius Croatiæ, influens in Colapim fluvium.

Kőrős vide Chryſius.

Latorcza fluvius Hungariæ, in Comitatu Ungvarienſi.

Leita fluvius Hungariam ab Auſtria dividens, qui in brachium Danubij, ſupra Ovarinum incidit.

Lendva fluvius Hungariæ, in Comitatu Caſtriferrei.

Liva fluvius Hungariæ, inter Cremniczium, & Neozolium.

Liſznicza fluvius Croatiæ, in Comitatu Criſienſi.

Lunga fluvius Sclavoniæ, in Comitatu Zagrabienſi.

Maja fluvius Croatiæ incidens in Klinam fluvium.

Markalcz fluvius Hungariæ, præterfluens ad Papam.

Marius vulgò *Maros* fluvius, oritur ex monte Carpatho in Tranſylvania; juxta oppidum Novum Mercatum dictum, deinde Albam Juliam, Lippam, & & Cſanadinum rigans, ad Szegedinum decurrit in Tibiſcum.

Marzina fluvius Sclavoniæ in Comitatu Poſegienſi.

Morava fluvius Hungariæ, eam à Moravia ſeparans, incidit in Danubium paulò ſupra Poſonium.

Moravus fluvius duplex, unus minor in Servia, & alter major in Bulgaria.

Mura fluvius aliàs Styriæ, qui tandem Dravo miſcetur in ipſo limite inferioris Hungariæ, cum quo & Inſulam efficit, Muraköz dictam.

Nagh fluvius Hungariæ, in Comitatu Sûmegienſi.

Nitria fluvius Hungariæ oritur ſupra Bajmoczium Arcem, & oppidum, indéque præterfluit Arces Nagy-Tapolcsán, Nitriam, Surán, & Ujvarinum, ac tandem propè Guttam, olim præſidium, in Danubium evolvitur.

Odra Croatiæ fluvius, influens in Colapim.

Oker fluvius Hungariæ, ſupra Quinque Eccleſias influens in Sârviz fluvium.

Ompai fluvius Tranſylvaniæ.

Onviz fluvius Croatiæ, in fluvium Wariz defluens.

Oriava fluvius Sclavoniæ, in Comitatu Poſegienſi, Poſegam præterfluens.

Otrobay fluvius Hungariæ ſuperioris, in Comitatu Biharienſi.

Parna fluviolus Hungariæ, Tyrnavienſis territorij fines alluens.

Petrin fluvius Croatiæ, alluens Præſidium Petrinium.

Pinka fluvius Hungariæ inferioris, in Comitatu Caſtriferrei, qui ab occidente ad latus ſiniſtrum, Araboni (vulgò Raba) fluvio miſcetur.

Pliva fluvius Boſniæ.

Rabna fluvius ſuperioris Hungariæ, in Comitatu Scepuſienſi in Hernád fluvium influens.

Rab-

Rabnicz fluvius inferioris Hungariæ, qui Arraboni fluvio, ab occasu miscetur.

Raba fluvius Hungariæ, per Comitatum Zaladiensem, Castriferrei, & Jaurinensem decurrens.

Rechnicz fluvius inferioris Hungariæ, in Comitatu Castriferrei.

Revucza fluvius Hungariæ, in Comitatu Trencsiniensi in Vagum influens.

Rossiloviz fluvius Croatiæ.

Sajo fluvius Hungariæ superioris, prætercurrens Comitatum Thornensem, & Bodroghiensem, infra Onodinum in Tibiscum dilabens.

Sala fluvius Hungariæ inferioris, decurrens per Comitatum Zaladiensem, à quo hic & nomen desumit.

Samusius fluvius superioris Hungariæ, qui prodit è finibus Transylvaniæ, & Nagy-Banyam, Medgyes Arcem, & Szathmarinum irrigat, ac dein ad Samos oppidum in Tibiscum delabitur.

Sárviz fluvius Hungariæ inferioris, qui ex Balaton lacu proveniens, ad oppidum Batham Danubium influit.

Sárviz alter fluvius Hungariæ superioris, qui Zagyva fluvio junctus ad Urbem Zolnokum Tibisco influit.

Savus, unus ex præcipuis quatuor fluvijs Hungariæ, qui Hungariam, & Sclavoniam à Croatia, Bosnia, & Servia separans, post cursum trecentorum millium passuum in Danubium cadit ad Taurunum seu Belgradum.

Staunicza fluvius Hungariæ, percurrens pagum Divi Joannis in Comitatu Lyptoviensi, & in Vagum decurrens.

Stella fluviolus Croatiæ, in Comeriz fluvium incidens.

Smecianka fluvius Hungariæ, pagum cognómine percurrens, in Comitatu Lyptoviensi in Vagum influens.

Strig fluvius Transylvaniæ, in Marusium fluvium infra Szentkirály influens.

Tarcza fluvius superioris Hungariæ, qui Comitatum Sárosiensem præterfluens, & Eperjesinum alluens, infra Cassoviam Hernado junctus, Tibisco miscetur.

Tarna fluvius Hungariæ, in Comitatu Neogradiensi.

Temesius fluvius Hungariæ, qui in alpibus Valachiæ Transalpinæ ortus, perluit Karansebesum, Lugas, & postea Temesvarinum; antequem autem in Tibiscum influat, & Beczkerek lacum efficit.

Thelernitza, sive *Tlebernicza* fluvius Sclavoniæ.

Thurocz fluvius Hungariæ inferioris, Comitatum Thurocziensem pertransiens, & in Vagum fluvium ad pagum Rutka se exonerans.

Tibiscus, unus ex quatuor præcipuis Hungariæ fluvijs, ortus in Comitatu

Mara-

Maramorosiensi propè Runam oppidum, totam ferè Hungariam intersecans, revolvitur tandem multis alijs fluvijs auctus, in Danubium duobus milliaribus Germanicis infra Petri Varadinum, & quatuor supra Belgradum.

Tvar fluvius Hungariæ inferioris, qui Insulam Szigethinam efficit.

Tyrna fluvius Hungariæ in Comitatu Posoniensi, à quo Tyrnavia nomen suum desumit, utpotè qui medium ejus pertransit.

Vagus fluvius Hungariæ, qui Comitatus, Lyptoviensem, Thuroczienſem, Trencsiniensem, & ex parte Nitriensem, ac Posoniensem decurrens, duobus milliaribus supra Comaromium in Danubium devolvitur.

Valestina fluvius Sclavoniæ, ad Gradiskam Savo influens.

Valpo fluvius ejusdem Sclavoniæ.

Vesa fluvius ejusdem Sclavoniæ.

Ungh fluvius superioris Hungariæ, Comitatum Unguariensem præterfluens, à quo is etiam denominationem suam accipit, ac in Bodrogh fluvium influens.

Unna fluvius Croatiæ, qui ex alpibus Dalmaticis oriens, Urbémque Wihitsch ut Insulam ambiens, infra Arcem Dubitz, à latere dextro Savum allabitur.

Vaskaru fluvius Sclavoniæ, in Comitatu Posegiensi.

Zagyva, *Zagywa*, vel *Zamyga*, item *Sagia* fluvius Hungariæ, in Novigradiensi Comitatu oriens, & in Comitatu Pesthiensi in Sárviz fluvium ad dextram influens.

Zarzad fluvius Hungariæ, Zathmár bányam præterfluens.

Zevack fluvius Hungariæ, in Comitatu Maramarosiensi in priorem influens.

CATALOGUS VII.

Thermarum, & Aquarum salubrium, & medicinalium in Hungaria.

Agrienses, aquæ calidæ.

Barsienses, aquæ medicinales.

Budenses, Thermæ Regiæ.

Budenses, aliæ calidæ.

Bajmocziensés, in Comitat. Nitriensi.

Bellicienses, in Comitatu Barsiensi Thermæ.

Cremniczenses, Rosolinæ dictæ.

Garamszegienses.

Levenses, acidulæ celebres.

Lyptovienses Thermæ, in pago D. Joannis.

Lyptovienses aliæ, in pago Lucska.

Mislenses, in Comitatu Abaujvariensi.

Hefflanienses, in Comitatu Sopronienfi.

Půstienses, in Comitatu Nitriensi.

Reviczenses, in finibus Croatiæ, acidulæ celeberrimæ.

Stubenses, seu Thurocziensés, in Comitatu Thurocziensi, Thermæ.

Strigonienses, Thermæ.

Sopro

Sopronienſes, Thermæ.
Schemnicziensſes, Thermæ dictæ Sklenovienſes.
Sovarienſes Thermæ.
Sároſienſes Aquæ ſalſæ.
Scepuſienſes aquæ acidæ, & medicinales.
Trencſinienſes, Thermæ.
Varadinenſes, Thermæ.
Varaſdinenſes, Thermæ.

CATALOGUS VIII.

Initia Urbium, & Hungariæ augmentum

Tata erigitur ab Adeodato Magnate Hungariæ, ſed origine è Regno Siciliæ, ex familia nobiliſſima S. Severini, qui S. Stephanum è ſacro Fonte levavit, Anno *969*.

S. Stephanus, capto Gyulâ Tranſylvaniæ Vayvodâ, Principatum Hungariæ ſubjecit.

900. *Alba Julia* in Tranſylvania à Duce Gyula reſtauratur.
Agria à D. Stephano ædificijs eſt exculta; ab Agrianis Illyricis, Pannonijſque populis, vel rectius ab eorum Duce *Agron* eſt condita longè ante Hunnorum in Pannoniam adventum: ac demum à Petro Perenyi primùm munita.
In loco qui dictus eſt mons Noë, S. Stephanus Urbem *Albam* condidit.

1000. Arcem & in ea Monaſterium in ſacro Monte Pannoniæ Sancti Martini dicto, condidit S. Stephanus.
Ab Aba Rege oppidum conditur, dictum *Aba Uyvár*.
Andreas Rex Bohemos, Polonos, & Auſtrales, triennij ſpatio ſibi ſtipendiarios fecit.

1050. *Belgradum* à Salomone Rege Græcis ereptum, & Hungariæ incorporatum fuit, dein verò cùm de eo cum Græcis, & Thracibus, ac Bulgaris frequenter dimicatum eſſet, ab Hungaris dirutum, ſed poſteà à Stephano Nemana Boſniæ Rege ac Thraciæ Deſpote cognomento Bano, Ludovici Primi Regis Hungariæ ſocero reſtauratum erat. Sigiſmundus demùm Imperator ejuſdem Ludovici gener opportunitate loci, & ſitûs allectus, factâ cum Georgio Deſpote Namaniæ ſucceſſore, permutatione, & traditis illi in Pannonia, ampliſſimis ditionibus illud regno ſuo Pannonico adjunxit. *Iſtvanfius lib. 7. Regni Hungariæ Hiſtoricus.*
Dalmatiam, Croatiam, & Sclavoniam S. Ladislaus perpetuò jure Hungariæ adjicit.

S. Ladislaus à cœlesti internuntio comparente intra venandum ad Chrysium fluvium monitus, fundat Varadinum, Urbémque munit, & in ea Templum magnificum condit, eidémque Antistitem
1080. præficit.
Vacia à Geysa Rege in loco certaminis, & victoriæ contra Salomonem Regem obtentæ conditur, & à Vacio Eremicola, qui sylvam eam ubi Urbs condita est incolebat, sic denominatur.

Tyrnavia à Bela II. condita, vel potiùs muris cincta, circa Annum 1140.
Medgyesinum in Transylvania ædificari cœptum, Anno 1146.
Cibinium in Transylvania extructum, Anno 1160.
1100. *Claudiopolis* in Transylvania inchoata ædificari Anno 1178.
Szegesvarinum in Transylvania ædificatur Anno 1196.
Varasdinum ab Andrea II. Rege, ac Bela IV. Filio ejus est conditum, & libertate donatum.

Száz Város in Transylvania conditur, Anno 1200.
Brassovia sive *Corona*, ibidem ædificatur, Anno 1203.
Besztercza ibidem extrui cœpta, Anno 1206.
1200. *Enyedinum* ibidem inchoatum, Anno 1239.
Leutschovia ædificata, Anno 1245.
Bela IV. *Zagrabiam* muris firmat.
Eidem se Styria subdit.

Cassovia in præsidium efformatur, circa Annum 1290.
1250. Stephanus V. Mysiam Hungariæ tributariam facit.
Andreas III. magnam Austriæ partem sibi subdit.

Fogarasinum in Transylvania cœpit erigi, Anno 1300.
Carolus Rex, *Barthfam* fundat, Anno 1324.
Carolus Rex Serviam, Ramam, Galiciam, Russiam, Cumaniam, Bosniam, Bulgariam, potentissima Regna Ungarico subjicit Imperio,
1300. & adjecto Gargano Monte, Salernum quóque ei paruit.
Ludovicus Rex Siculos, Moldavos, & Ruthenos Hungariæ subjicit, itémque Valachos.
Idem Neapolitanum Regnum armis occupat, quod tamen hortatu Pontificis, iterum Joannæ Reginæ reddit.

Eperiesinum muro cingitur, Anno 1394.
Ut tutiùs Valachis imperaret Ludovicus, Severinum à Severo Imperatore olim conditum, jam vetustate collapsum restaurat.
1350. Idem ad Hierassam Dacorum amnem Castellum *Terch* ædificat.

Sigismun-

Sigiſmundus in Peſthana Civitate Arcem ædificat, & munit.
Munkachinum Theodorus Quærentianus Princeps Ruthenus, peraltâ & profundâ foſsâ ex ſaxo mero circumduxit, ac propugnaculis munivit.

In agro Hunyadico, Joannes Corvinus Caſtellum extruit arte & naturâ munitiſſimum, Anno 1440.
Vicegradum à Matthia Rege inſtauratum, & ſplendidiſſimè cultum.
1400. *Tata* ab eodem Rege elegantiſſimis ædificijs fuit adornata.
Lippa primùm muro cincta à Georgio Marchione Brandeburgico, qui Joannis Corvini Matthiæ Regis naturalis filii viduam, in uxorem duxerat.

Torda in Tranſylvania cœpit erigi, Anno 1455.
Matthias Rex Viennam, & potiorem Auſtriæ partem ſibi ſubjugat.
Idem Moraviam, Sileſiam, & Luſatiam Provincias ſubigit, & armis, Bohemicum Diadema obtinet.
Bohemi, ut liberiùs Hungariam poſſint populari, Caſtella Galgoczium, & Vadnam in monte, item Breznicze in finibus Poloniæ
1450. conſtruunt; ſed hæc duo dein diruta ſunt à Matthia Corvino Rege, utpotè latronum domicilia.
Sabaczium in Sirmio à Turcis erectum, authore Sabacio, Samandriæ Præfecto ad lacum, cui ex oppoſito aliud præſidium noſtri erexerunt, 1470.
Szigethum primò Oſvaldus Ruthenius turri fortiſſima, & vallis firmavit, ac tandem Enningus cognomento Turcus, locum longè munitiorem reddidit.

Sumptuoſiſſimum illud Strigonienſe Sacellum, à Thoma Bakotsh ab Erdôd Archi-Epiſcopo Strigonienſi erectum.
1500. Exterior munitio Comaromij, quod primùm munitum fuit à Rege Matthia Corvino, Anno 1471. temporibus Ferdinandi I. erigitur, & ſub Leopoldo modernoglorioſiſſimo Rege perficitur.
Palota Arx, primò ad voluptarios ſeceſſus ædificata à Nicolao Ujlaki, in valle potiùs, quàm in plano, deinde palatio aucta à Laurentio ejuſdem filio, indéque nomen adepta, ac ſucceſſu temporis, foſſis latis, ac mœnibus præaltis cincta priori ſæculo.
Szolnokinum extructum eſt juſſu Ferdinandi Primi, Anno 1564. eodem loco, quo ante multa ſæcula Septemviri, Hungarorum progenitores ex Scythia ac ſeptemtrione, in Pannoniam migrantes,

illud in planitie condiderant, quod tamen vetustate, jam planè corruerat.

Callovia Arx ædificata, Anno 1573.
Szakmarinum à Bathoreis Somlianis Castello fuit firmatum, & dein
1550. à Lazaro Svendio nova Arce in insula, quam ibi Samusius in duo divisus brachia efficit, ex materia arboribus cespite repletis est munitum.

Petrina à Turcis ædificari cœpta.
1592. *Carolostadium* in Croatia à Carolo Archiduce Austriæ fundatum & munitum.
Uyvarinum à veteri, ad hunc, quo nunc est locum translatum, & munitum.

Comes Nicolaus Eszterházy Palatinus, Arcem *Frakno* ædificat.
Idem insignem Basilicam Tyrnaviæ PP. Societatis JESU à fundamen-
1600. to erigit.
Comes Paulus Palffi (postea Palatinus) Præses Cameræ, Arcem Posoniensem è fundamento educit.

Comes Nicolaus Zriny, arcem ædificat *Zriny-Vár* dictam, quæ tamen ob pacem factam cum Turcis demoliri debuit.
Leopoldopolis à Leopoldo I. dicta ædificari cœpit, Anno 1665.
1650. *Citadella* Cassoviensis erigitur, & paucos post annos diruitur.
Comes Paulus Eszterházy (nunc R. H. Palatinus) Arcem Kis-Marton è fundamento erigit.
Nitria ab Episcopis loci, Kolloniczio, & Palffio meliùs munita.

Eszekinum, & *Petri Varadinum*, per Leopoldum Cæsarem muniuntur, & fortificantur.
Sub eodem Pijssimo Imperatore, recuperantur à Turcis, tota ferè Hungaria, Sclavonia, Bosnia, & Transylvania, iterúmque Coronæ Hungariæ uniuntur.



CATA

CATALOGUS IX.

Imaginum Miraculosarum Beatissimæ Virginis, sub Corona Hungariæ, magnâ Industriâ collectus à Celsissimo S.R.I. Principe, PAULO ESZTERHAZI, Regni Hungariæ Palatino.

EJUSDEM CELSISSIMI PRINCIPIS PRÆNOTATIO.

Advertendum est non paucas miraculosas Imagines, Bellicis tumultibus, nec non hæreticorum, aliorúmque Iconoclastarum furore destructas esse, nec ampliùs extare; quæ quamvis sublatæ sint, olim nihilominus magno in honore, ac veneratione fuêre, quod Historiæ, tam veteres, quàm recentiores tradunt: maxima tamen pars earundem in præsens etiam, cum summo Orthodoxæ fidei solatio, & salutis animarum lucro, ac emolumento, tam privatæ, quàm publicæ venerationi exposita, infinitis propemodum miraculis, ad invidiam Orci, & Inimicorum Ecclesiæ Catholicæ claret, & coruscat.

Notari quóque debet varias esse Imagines Miraculósas, quæ privatos inter parietes delitescunt, & à paucis devotis Clientibus cognoscuntur. Et siquidem in publico ignorantur, hîc loci apponi non potuerunt.

Sequitur Catalogus Imaginum Miraculosarum, *IN HUNGARIA.*

Ad Lacum, in Pago B. Virginis.
Fraknensis, in Frakenau.
Arcensis, in Arce Frakno.
Kismartoniensis, in Kismarton, apud Patres Franciscanos.
Candida, in Arce Kismarton.
Devota, Kismartonij, ad Moniales.
Tallensis, in Tall.
Posoniensis, Posonij.
Rôjtensis, in Rôjt.
Lauretanensis, Laureti.
Pratensis, in Pratis B. Virginis.
Locensis in Lók.
Oslensis, in Osli.
Uyheliensis, in Bodrok Uyhel.
Lauretana, Homonnæ.
Tyrnaviensis, in Moderdorff.
Uzlopiensis, in Uzlop.
Budensis, Budæ.
De Monte Pest, Pesthi.
Ratotiensis, in Ratot.
De Monte Borsmon, in Borsmonostor.
Vimpasiensis, in Vimpasz.
Csanadiensis, in Csanád.
Quinq; Ecclesiensis, Quinque Ecclesijs.
Lendvensis, in Arce Also Lendva.
Strigoniensis, Strigonij.
De Columna, ante Arcem Frakno.
De Cripta, in Cripta Kismarton.
Sexardiensis, Sexardij.

Tômôsiensis, Tômôsvarini.
Varadiensis, Varadini.
Refugium Peccatorum, Agriæ.
De Insula, in Insula Danubij.
Albensis, Albæ Regiæ.
De Cervo, Tolnæ.
Regia, Budæ.
Libertatis, Pesthini.
Patrona nostra, Thuroczij.
Consolatrix, in Sziklos.
De Gratia, Severini.
Pulcherrima, In Leleſz.
De Fontibus, Jaſzoviæ.
Immaculata, Lubloviæ.
Suavitatis, Scepusij.
De Eremo, in Klastrom.
Devota, Cassoviæ.
Gratiarum, Leutschoviæ.
Cœli Maria, in Liſzka.
Patrona nostra, Veteri-Budæ.
Serena, Colocæ.
Auxiliatrix, Szegedini.
De Arundine, Gyulæ.
De Sylva, in Sáros.
De Szala, in Szalavár.
De S. Paulo, in S. Paulo, ad Balathon.
Gratiosa, in Nyir-Bátor.
De Puteo, Novizolij.
Admirabilis, Veterozolij.
Intemerata, Cremnicij.
De Partu, Schemnicij.
Csepregiensis, in Csepreg.
Immaculata, in Tihan.
Amabilis, in Szalavár.
De Consolatione, Veſzprimij.
De Monte, in Ilok.
De Sale, in Sránkemén.
Ad Gradus, Tyrnaviæ Coll.Soc.JESU.
Pacis, Scepusij.
De Armis, Bartfæ.
Antemuralis, Zemplinij.
Mater Pia, in Kapornok.
Veneranda, Sirmij.
Potentissima, Eſzekini.
De Valle, Gyulakeſzi.
Insulana, Csaktornyæ.
Castissima, ad Sanctam Helenam.
Kůſzôgiensis, Kůſzôgini.
De Pratis, Pecs-Váradini.
De Sacro Monte, ad Sanct. Martinum.
Prædicanda, Comaromij.
Solatij, Malaczkæ.
Clementissima, Sopronij.
Janua Cœli, Murai Szombat.
Plorans, in Pecz.
Deipara, in Sz. Haraſzt.
Christianorum, Cseitæ.
In Petra, Szkalkæ.
Solitaria, in Rosemberg.
Fidelis, Carnonæ.
Nitida, Jaurini.
Rosea, Bozokini.
De Rupe, Kesmarkini.
Fortissima, in Sciavnik.
Ad Sylvam, in Dunavez.
De Puteo, in Talya.
Advocata, Tokaini.
De Bakon, in Zircz.
A Sancto Gallo, in Sz. Gál.
In Alto, Propekézark.
Ad Radicem, in Hibe.
De Vago, in Vazecz.
Sub Monte, ad Montem Zobor.
Dulcissima, Szolnokini.
De Sangvine, Jaurini.
Potens Auxiliatrix Christianorũ, ex pago Pôcz, ubi sæpiùs lachrymata est, translata Cassoviam.

IN SERVIA.

Ecclesiæ, Belgradini.
Minorum, Belgradini.
De Ponte, Belgradini.
Lauretana, Nissæ.
Beata, Nissæ.
Istria, Samandriæ.

IN BULGARIA.

Regina Cœli, Uscopiæ.
Gloria nostra, Pristiniæ.
De Ponte, Sophiæ.
Fluminis, Sophiæ.
Fortunata, Sophiæ.
De Campis, Uscopiæ.
Sola, Jagodini.

IN DALMATIA.

De Brazza, Brazzæ.
De Brenno, Ragusæ.
De Castello, Ragusæ.
De Porta, Ragusæ.
Lavensis, Ragusæ.
Dela Croma, Ragusæ.

IN BOSNIA.

Banalucensis, Banalucæ.
Jadrensis, Jaiczæ.
Svonicensis, Svonichæ.
In Bosnensis, In Bosnasami.
Mater DEI, Banalucæ.
Protectrix, In Bosnasami.

IN TRANSYLVANIA.

Alba, Albæ Juliæ.
Virgo Puerpera, Hunyadini
Virgo Virginum, Colosvarini.
Domina nostra, in Szelen.
Patrona, in Fogaras.

IN CROATIA.

Remetensis, in Remete.
Tersatensis, Tersati.
Lepoglavensis, Lepoglavæ.
Lauretana, Varasdini.
Zagrabiensis, Zagrabiæ.
Crisiensis, Crisij.
Bihácsiensis, in Bihács.
Honorata, Carolostadij.
Admirabilis, Vinicæ.

CATALOGUS X.

Catalogus Vetustissimorum Nominum præcipuorum locorum sub Corona Hungariæ, quibus olim appellabantur, præpositis ijsdem novis Nominibus, quibus hodie appellantur, ordine alphabetico.

Licèt hæc omnia produxerimus jam part. 3. Decadis 2. selectiorum, & curiosiorum miscellaneorum variarum scientiarum, placuit tamen ex ijs magis præcipua excerpere, & his Catalogis interserere, nonnullis novis adjectis. Abruk

Abruk Banya, *Autararium*, oppidum Tranſylvaniæ.
Adon, *Potentiana*, *Salinum*, Caſtrum inferioris Hungariæ, infra Budam.
Alba Julia, *Apulum*, Urbs Tranſylvaniæ.
Almiſſa, *Alminium*, *Pagontinum*, Civitas Dalmatiæ.
Arſa, *Arſatianum*, oppidum Hungariæ, ad Dravum fluvium.
Babolicza, *Caretha*, *Vallis Cariniana*, Caſtrum inferioris Pannoniæ.
Babolcza, *Manſvetium*, *Pons Sociorum*, *Pons Manſvetudinis*, Caſtrum Hung.
Bakony, *Bakonia ſylva*, ſylva vaſta Hungariæ.
Balaton, *Volcææ Lacus*, Lacus inferioris Hungariæ.
Banyaluka, *Bladona*, Urbs Boſniæ.
Barbomium, *Barbis*, oppidum Hungariæ, cujus rudera adhuc extant ad Dravum fluvium.
Baranyvár, *Varonianum*, oppidum Hungariæ, Comitatûs Baranienſis caput.
Bars, *Uſcenum*, Caſtrum Hungariæ, ad Granum fluvium, à quo Barſienſis Comitatus denominatur.
Batha, *Autianæ*, oppidum inferioris Hungariæ ad Danubium, ubi Sarvizium fluvium recipit.
Beluſia, *Curta*, oppidum inferioris Pannoniæ.
Bonmonoſtor, *Bonnonia*, olim Pannoniæ Urbs, nunc pagus ad Danubium fluvium, inter Eſzekum, & Belgradum.
Bontuda, *Burgatium*, Caſtrum Hungariæ, cujus rudera aliqua adhuc extant propè Comaromium.
Boſvetha, *Bacuntius* fluvius inferioris Pannoniæ, in Sclavonia.
Braſſovia, *Corona*, *Prætoria auguſta*, *Stephanopolis Patroviſſa*, Urbs Tranſylvan.
Bombyda, *Cimbriana*, oppidum Bulgariæ.
Buda, olim *Sicambria*, alijs *Aquincum*, Urbs Hungariæ.
Bitinium, *Oeſcus*, oppidum Myſiæ.
Buzas, *Napuca*, Caſtrum Tranſylvaniæ.
Clauſenburg, *Coloſvár*, *Petriuſſa*, *Claudiopolis*, Urbs Tranſylvaniæ.
Cliſſa, *Lapſica*, *Clitia*, *Audetrium*, *Salo*, Caſtrum Dalmatiæ.
Cluſſi, *Æquium*, oppidum Sclavoniæ.
Comora, *Crumerum*, Civitas Hungariæ.
Demnio, *Delminum*, oppidum Sclavoniæ.
Dée, *Comidara*, Caſtrum Sclavoniæ.
Draſan, *Theutoburgum*, pagus Hungariæ.
Drabomnicz, *Raguſium*, Urbs Dalmatiæ.
Eſchuek, *Cæſaria*, oppidum Hungariæ.

Eſzék,

Eszék, *Mursa*, Castrum Hungariæ.
Fertő, *Peysa*, Lacus Hungariæ.
Friburg, *Caldaliana*, oppidum in confinio Hungariæ, & Styriæ.
Fűzel, sive *Teplicza*, *Aquaviva*, sive *Aquaria*, oppidum Hungariæ, in confinibus Styriæ.
Gabovium, *Barbis*, oppidum Pannoniæ, cujus rudera visuntur ad Dravum fluvium.
Gyula, *Julia*, Civitas Transylvaniæ.
Gradisch, *Ulpia*, *Trajana*, *Zarmigethusa*, olim Civitas, nunc pagus Transylvan.
Gvizzirg, *Rigus*, oppidum Hungariæ.
Istrig, *Sargetia*, fluvius Transylvaniæ.
Ivonigrad, *Asisia*, Castrum Bosniæ.
Karon, *Carnocum*, Castrum Hungariæ, in Comitatu Valkonensi.
Kemén-Salo, sive *Sala-kemén*, *Acuminicum Rhitium*, oppidum Hungariæ, ad Dravum.
Kecskemét, *Partiscum*, Civitas Hungariæ.
Keres Bánya, *Aurerianum*, oppidum Transylvaniæ.
Kőrős, *Chrysius*, fluvius Hungariæ.
Kerka, *Tinia*, Urbs Bosniæ.
Kőrmend, *Cormendinum*, oppidum Hungariæ.
Kesmark, *Cæsareopolis*, Civitas Hungariæ.
Kis Davnocz, *Claudius Mons*, Mons Hungariæ.
Krempak, *Carpates*, Mons inter Hungariam, & Poloniam.
Labatlan, *Commercium*, olim Civitas, nunc pagus Hungariæ.
Leva, *Leventium*, Civitas Hungariæ.
Leutschovia, *Leuconium*, Civitas Hungariæ.
Lympach, *Olimacum*, oppidum Hungariæ, nunc Indigenis *Alsó Lendva*.
Maros, *Marisius*, fluvius Hungariæ.
Mestri, *Mestriana*, oppidum inferioris Pannoniæ.
Moson, *Motenum*, *Musenburgum*, *Limusa*.
Mülbach, *Zeugma*, oppidum Transylvaniæ.
Neomarch, *Nova Marchia*, Civitas Transylvaniæ,
Paxs, *Lussonium*, Castrum Hungariæ.
Pescha, *Argiruntum*, oppidum Croatiæ.
Pockaricz, *Peccatinum*, oppidum inferioris Pannoniæ.
Pelys, vel *Pilis*, *Pelysia*, oppidum Hungariæ.
Perechsaaz, vel rectiùs *Berekszaz*, *Peregia*, oppidum superioris Hungariæ.
Polina, *Hiulca*, *Palus*, Palus Pannoniæ inferioris.

Posega, *Basiana*, *Piscutina*, Civitas Sclavoniæ.
Petropolis, *Varadinum Petri*, Fortalitium in Sclavonia.
Prisna, *Justiniana Secunda*, *Vulpianum*, & *Villa Vulpiæ*, Urbs Serviæ.
Pruck, *Leitopons*, *Lusipons*, *Motenum*, Civitas in finibus Austriæ, & Hungariæ, ad Lejtam fluvium.
Rachzkavi, *Intercisa*, oppidum Pannoniæ olim, nunc vicus, in confinio Styriæ, & Hungariæ.
Rascia, *Dardania*, pars Serviæ.
Ratsa, *Rhittium*, oppidum inferioris Hungariæ.
Rigomezô, *Casobus*, *Casovius*, *Campus merulæ*, planities Serviæ.
Samendria, *Spenderobis*, Urbs Serviæ.
S. Andreas, *Legio XIV. Germanica*, Locus, & Insula propè Budam.
Schiltberg, *Mons Clypeorum*, Mons inferioris Hungariæ, Incolis *Vértes*.
Szegesvár, *Segetusa*, *Sciburgium*, *Sándava*, *Singidava*, Urbs Transylvaniæ.
Scabring, *Scarabantia*, Civitas inferioris Hungariæ, Incolis *Czepreg*.
Sellye, *Sala*, *Salijs*, oppidum Hungariæ.
Sisseck, *Siscia*, Castrum Sclavoniæ.
Sminderom, *Singidunum*, Civitas Serviæ.
Spalatro, *Spalatum*, *Palatium Diocletiani*, Urbs Dalmatiæ.
Strigonium, *Istrogranum*, Civitas Hungariæ.
Tolna, *Altinum*, Civitas Hungariæ.
Theta, *Cæsarea*, Tata Castrum Hungariæ.
Valkovár, *Valcum*, Civitas Hungariæ.
Valpo, *Cibalis*, Civitas in Sclavonia.
Vacia, *Vaccia*, Civitas Hungariæ.
Vrana, *Aurana*, *Blandana*, oppidum Dalmatiæ.
Vilach, *Ivollum*, Castrum inferioris Hungariæ.
Zara, *Jadera*, Urbs Dalmatiæ.
Zagrabia, *Swroga*, *Vicus Italicus*, Civitas Sclavoniæ, *Syrmium*, *Zeugminum*.

CATALOGUS XI.

Continens Archi-Episcopatus, & Episcopatus Coronæ Hungariæ.

Præmitto, & observo 1. A Sancto Stephano, primo Rege Hungariæ, Anno Christi, Millesimo, præter Archi-Episcopatum Strigoniensem, fuisse Decem Episcopatus designatos in Hungaria.

Præ-

Præmitto, & observo 2. Non continuò hos Episcopatus fuisse erectos, sed successivè, & primum fuisse Colocensem, quem Sanctus Rex fundaverat, adhuc antequam coronatus fuisset in Regem, Coronâ Sacrâ missâ à Sylvestro Papa, ejúsque primum Antistitem constituerat *Astricum*, Ordinis S. Benedicti Religiosum, quòd accidit Anno Christi 1001.

Præmitto, & observo 3. Fundationi Episcopatûs Colocensis successisse fundationes Episcopatuum: Agriensis, Veszprimiensis, Vaciensis, & Csanadiensis. His verò: Fundationes, Sirmiensis, Bachiensis, Jaurinensis, Transylvaniensis. & Quinque Ecclesiensis.

Præmitto, & noto 4. Bachiensem Episcopatum fuisse à Sancto Rege fundatum, Anno Christi 1003. postquam debellâsset Avunculum suum Gyulam, & Transylvaniam Hungariæ adjunxisset.

Præmitto, & noto 5. Eodem Anno, & ea ipsa occasione fuisse à Sancto Rege fundatum Episcopatum Transylvaniensem.

Præmitto, & noto 6. Bachiensem Episcopatum postmodum Canonicè seu authoritate Papæ, in perpetuum unitum fuisse Episcopatui Colocensi, & Colocensem Episcopatum, post hanc Unionem, auctum esse, & erectum in Archi-Episcopatum.

Præmitto, & noto 7. Transylvaniensem Episcopatum esse eundem, quem alij vocant Alba Juliensem, alij Cibiniensem, seu Hermonstadiensem, nam & alij ponunt simpliciter Episcopum Transylvaniensem, alij Episcopum Albæ Juliæ in Transylvania, alij Cibiniensem, seu Hermonstadiensem in Transylvania. Vocabatur autem hic Episcopus, Transylvaniæ Episcopus, quia præfuit in Spiritualibus illi Provinciæ; Alba Juliensis, quia Albæ Juliæ habebat suam ordinariam Residentiam; Cibiniensis verò, seu Hermonstadiensis, vel quia ibi etiam quandóque resedit, vel quia Capitulum Cibiniense viginti quatuor Canonicorum cum suo Præposito Infulato eidē erat subjectum.

Præmitto, & noto 8. Transylvaniensem Diœcesim antiquissimis temporibus, & longè ante tempora S. Stephani Regis, dictam fuisse Agensem, & Milconiensem Diœcesim, uti habetur in Bulla Bonifacij IX. & Pij II. emanata, Anno 1464. Sed & *S. Nicetam* fuisse Dacorum Episcopum, circa Annum Christi 396. testantur Annales Ecclesiastici.

Præmitto, & noto 9. Episcopatum Varadinensem erectum, aut saltèm auctum fuisse à S. Rege Ladislao, extructa insigni, ac Magnæ Matri ab eodem dicata Ecclesia.

Præmitto, & noto 10. Bosnensem Episcopatum accessisse tunc primò Archi-Episcopatui Colocensi, postquam Bosnia incorporata fuisset Coronæ Hungariæ, quæ Incorporatio accidit, Anno 1135. sub Bela cœco Rege Hun-

3. Archi-Episcopatus Ragusinus.
Episcopi Suffraganei.
Stagnensis.
Merianensis.
Tribunensis.
Stephanensis.
Bratiensis.
Rosonensis.
Curzolensis.
Lactarensis.

CATALOGUS XII.

Archi-Episcoporum Strigoniensium.

1. Sanctus Adalbertus. Natione Bohemus, qui Ducem Geizam & populum ejusdem, non longo tempore, quo versatus est in Hungaria, in Fide Catholica confirmavit, & multos ad eandem induxit. An autem Sanctum Stephanum baptizaverit res difficultate non caret. Cùm S. Stephanus natus fuerit Anno Christi 985. Adventus autem Sancti Adalberti in Hungariam contigerit, Anno Christi 989. Quo titulo autem dicatur fuisse primus Archi-Episcopus Strigoniensis. Vide paulò supra dicta.

2. Astricus seu Anastasius. Ex primo Archi-Abbate S. Martini de Monte Pannonio. Qui Coronam auream, & Titulum Regium à Sylvestro II. Papa, S. Stephano impetravit; ab eodem Rege creatus est primus Archi-Episcopus Colocensis, & solùm ex eo ponitur in Catalogo Archi-Episcoporum Strigoniensium, quòd Sebastianum Archi-Episcopum Strigoniensem à S. Rege Stephano nominatum, utriúsque luminis orbitate affectum, triennio in gubernanda Diœcesi Strigoniensi suppleverit.

3. S. bastianus. Ex Religioso S. Benedicti, & eodem Cœnobio Divi Martini. Qui fuit primus Archi-Episcopus Strigoniensis, nominatus à S. Rege Stephano, Anno 1002. Non ut Catalogus vetus Archi-Episcoporum Strigoniensium ponit Anno 1009. Hic tres Reges Hungariæ successivè coronavit, nempe Petrum, Abam seu Ovonem, & Andream Primum, qui coronatus est Anno 1047.

4. Neæmias. Qui bis eundem Regem Salomonem coronavit.

5. Desiderius. Vir eloquentissimus, qui suâ eloquentiâ tribus fratribus de Regno inter se contendentibus, horâ unâ, pacem persvasit, factum est id, Jaurini Anno 1064. 2. Januarij.

6. Seraphinus. Qui Colomanno Regi, ut transitum Christiano exercitui per Hungariam, (quem priùs is denegaverat) contra Saracenos, concederet, efficaciter persvasit.

7. Laurentius. Hic Stephanum II. Regiâ Coronâ insignivit, Anno Christi 1114.

8. Marcellus. Hic Belæ cœco hujus nominis Secundo, in consilijs, & Regno gubernando oculus fuit.

9. Martinus I. seu Martyrius. Qui vixit adhuc Anno 1161. sepultus sub ara, quam ipse Deiparæ posuit.

10. Lucas Panffi. Hic Stephanum III. Regem coronavit, Vir famâ sanctitatis celebris.

11. Nicolaus I.

12. Job. Ex Episcopo Quinque Ecclesiensi.

13. Guilielmus.

14. Joannes I. Ex Archi-Episcopo Colocensi. Hic de suo, Venerabile Archi-Capitulum Strigoniense, prædijs multis locupletavit.

15. Robertus. Qui Belam IV. Regem coronavit, Anno 1236.

16. Matthias. Cujus tempore Strigonium à Tartaris fuit captum & expilatum, multis occisis, cum quibus & ipsemet Præsul occubuit.

17. Stephanus IV.

18. Benedictus.

19. Philippus. Ex Episcopo Zagrabiensi.

20. Lodomerius.

21. Michaël.

22. Thomas I. Hic Carolum I. Regem coronavit, Anno 1310.

23. Boleslaus. Cujus tempore Locustæ totam terræ frugem sunt depastæ, & solis ad ejusdem preces vineis pepercêre.

24. Martinus II. Szalai. Hic præseferre intendebat ubique Turonensis Martini & magnificentiam, & munificentiam.

25. Csanadinus de Telegd. Hic super funere Caroli I. Regis, Albæ Regali elegantem sermonem funebrem habuit, Anno 1334.

26. Nicolaus II. Monosloy. Hic & sago, & togâ plurimùm valuit, Ecclesiasticas in Pannonia, & Martias in Bosnia summa cum laude administrabat expeditiones. In eóque Religio temporibus illius fuit statu, ut tertia Regni pars, in divinum possideretur obsequium.

27. Thomas II. Hic Mariam Ludovici I. Filiam, Anno Christi 1382. ac dein & Carolum II. cognomento Parvum, Anno 1384. in Regem coronavit.

28. Demetrius Cardinalis. Primus ex Hungariæ Regibus Cæsarem coronavit, multásque Leges condidit, & Statuta posuit, pro disciplinæ Ecclesiasticæ observatione.

29. Thomas II. de Bank. Hic solus conspirationi Magnatum in captivitatem Sigismundi Regis, animosè contradixit.

30. Joan

30. Joannes III. Kaniſai. Et pro Eccleſia, & bello rebus glorioſè geſtis, clarus.

31. Georgius I. Paloczy. Hic Albertum Regem creavit, Anno 1430.

32. Dionyſius de Szech Cardinalis. Hic infantem adhuc Ladislaum V. Poſthumum, ac dein Vladislaum I. ac demum & Matthiam Corvinum in Reges coronavit. Obijtque dierum plenus, meritorum plenior, ſicut enim erat ſapientiâ Illuſtriſſimus, ita virtute Eminentiſſimus.

33. Joannes IV. Vitéſius. Ex Epiſcopo Varadinenſi. Hic gente Slavus dicitur fuiſſe, olim Matthiæ Corvini Regis in pueritia inſtructor, in ſumma dein apud eundem Regem erat authoritate, & gratia, ex qua tamen poſtmodum excidit, & carceris ſubijt ſententiam, cujus etiam pudore & dolore, (licèt iterum dignitati ſuæ reſtitutus) conſumptus, obijt. Huic eidem, cùm adhuc fuiſſet Epiſcopus Varadinenſis, ob plurima præclara illius merita, Comitatum Bihorienſem idem Rex Corvinus in perpetuum, ejúſque ſucceſſoribus Epiſcopis, donavit.

34. Joannes V. Alemannns, poſtea Archi-Epiſcopus Salisburgenſis.

35. Joannes VI. Aragonius, Legatus Pontificius ad Regem Corvinum miſſus, & Beatricis Reginæ frater. Hic bis quotannis, viſitandas ab Epiſcopis Diœceſes inſtituit.

36. Hypolitus Eſtenſis Cardinalis. Qui novennis huic Titulo nomen dedit, quam tamen dignitatem poſtmodum lubens reſignavit.

37. Thomas Bakocz Cardinalis, ex Epiſcopo Agrienſi, quem Hypolito Eſtenſi Cardinali per commutationem ceſſit. Vir virtute & ſapientiâ ſummus: dignitate verò maximus, utpotè & Archi-Epiſcopus, & Cardinalis, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Sacræ Sedis Apoſtolicæ de Latere Legatus. Author fuit duarum Excellentiſſimarum & Illuſtriſſimarum, & ad hanc úſque diem florentiſſimarum Familiarum. Erdődianæ ſcilicet, & Palffianæ. Ipſius quóque opus fuit, elegantiſſimum illud Strigonienſe Sacellum, cui ſimilia per totam Europam vix aliqua, vel certè paucula numerantur.

38. Georgius II Szathmary, ex Cancellario Regio, & Epiſcopo Quinque Eccleſienſi, Anno Chriſti 1521. Qui ſequenti anno moriens, ſexaginta millia aureorum, imaginem Corvi, annulum roſtro præmentis (quæ erat Matthiæ Regis Corvini ſignaturæ nota) referentium, teſtamento, pro bono Regni publico, reliquit.

39. Ladislaus Zalkanus. Hic fuit Regis Ludovici II. Conſiliorum moderator, & cum eodem in prœlio Mohaczienſi glorioſè pro fide, & patria, occubuit.

40. Paulus de Varda. Poſt clădem Mohaczianam primus Archi-Epiſcopus Stri-

pus Strigonienſis, & ſimul ultimus ejuſdem Sedis reſidens. Nam inde hoſtili ferociâ amotus, coactus fuit cum ſuo Capitulo migrare Tyrnaviam. Coronavit in Regem, Ferdinandum Primum, qui ultimus eſt Albæ Regalis coronatus. Ac dein factus eſt ab eodem, per Regnum Hungariæ primus Locumtenens Regius.

41. Nicolaus Olahus, ex Epiſcopo Agrienſi, à Sacra Sede confirmatus 3. Auguſti, Anno 1554. Hic primus Societatem JESU in Hungariam induxit, & Tyrnaviæ collocavit. Coronavit Maximilianum I. in Regem, Poſonij. Fuit vir eximiæ virtutis, ac prudentiæ, ac ſingularis doctrinæ, nobilitatis quóque magnæ, utpotè ortus ex Familia Principum Valachiæ.

Vacabat dein Archi-Epiſcopatus per multos annos, & Diœceſis, quoad Spiritualia adminiſtrabatur per Vicarios. Et quidem Anno 1576. Vicarium egit Nicolaus Telegdinus, qui fuit ſimul Præpoſitus Strigonienſis, ut liquet ex Originalibus Litteris, ab eodem, ad Summum Pontificem Gregorium XIII. 12. Maij exaratis, in quibus inter alia ſupplicat, de ejiciendo Tyrnaviâ primo prædicante Hæretico, fraudulenter ſubingreſſo, ut videlicet Sua Sanctitas Cæſari, ut Regi Hungariæ, hoc negotium commendaret.

42. Antonius Verantius Cibinienſis, ex Epiſcopo Agrienſi. Munificentiâ, facundiâ, rerúmque experientiâ clarus, & Fidei Orthodoxæ propugnator eximius. Cùm adhuc eſſet Epiſcopus Quinque Eccleſienſis, erat cum Franciſco Zaio Claſſis Danubianæ Præfectus, & extraordinarius Ferdinandi Primi ad Solimannum Turcarum Imperatorem Legatus, quem in Aſiam úſque, eſt ſecutus. In Archi-Epiſcopatu autem conſtitutus, factus eſt Locumtenens Regius. Unitarios, Zvinglianóſque virulenta Inferni portenta, robore, virtutéque è Regno exegit, utinam duo adhuc alia monſtra his ſimilia, ijs ſociare potuiſſet! obijt Anno 1571. ætatis 73.

43. Stephanus II. Fejérkői. Qui viginti & aliquot annis in ſpe fuit Archi-Præſul Strigonienſis, ſede tam diù vacante, in re autem menſe uno, quo finito, vitam clauſit, & honorem.

44. Joannes VII. Kutaſy, ex Epiſcopatu Jaurinenſi translatus, & 4. Junij confirmatus. Hic Sedem ſuam Jaurinenſem Turcis cedere debuit, quam tamen uti & Strigonienſem, adhuc ſuo tempore recuperatam vidit. Helveticum Tyrnaviâ excluſit Novatorem, erátque Locumtenens Regius. Obijt Tyrnaviæ 17. Septembris, Anno 1601.

45. Franciſcus Forgach. Ex Epiſcopatu Nitrienſi translatus, & 5. Novembris, Anno 1607. à Sede Apoſtolica confirmatus, S. R. E. Cardinalis, & Locumtenens Regius. Hic poſtliminio 42. Annorum, Societatem JESU, uti & PP. Franciſcanos à Stephano Boczkaio expulſos, Tyrnaviam, reduxit.

46. Petrus Pazmannus Cardinalis, è Societate JESU. De quo meritò dici potuit: *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit DEO, & vix est inventus similis illi.* Erat siquidem ingenio præstantissimus, judicio maturrimus, doctrinâ politissimus, eloquentiâ uberrimus, Theologiâ juxta cæteráque omni litteratura etiam de pulpitis spectatissimus, rerum experimentis, átque usu clarissimus, consilio profundissimus, scriptis libris, orbi notissimus. Nobilitas Pannoniæ, potissimùm ejus comitati, ac dexteritati post DEUM, debet adscribere, suam ad Fidem Orthodoxam conversionem. Plurima Domicilia Religiosorum, & Seminariorum erexit & fundavit, summâ trecentorum ferè millium æquante. Ferdinandum Secundum, & Tertium; Posonij illum, hunc Sopronij Apostolicâ ornavit Coronâ. Obijt demum Posonij, Anno 1637. die 19. Martij.

47. Emericus Losi. Ex Episcopatu Agriensi translatus, & 16. Novembris confirmatus. Paucis annis gessit Archi-Episcopatum. Ut ergo brevi suæ dignitatis tempore multa compleret, Posoniensi Seminario solenni munificentiâ inscripsit nomen, Tyrnaviæ verò Studij Juris Patrij fecit fundationem. Obijt 1641.

48. Georgius Lippai. Ex Episcopo Agriensi, duodecimus Archi-Episcopus Strigoniensis, confirmatus à Sede Apostolica, Anno 1645. 16. Novembris. Vir raræ virtutis & prudentiæ, liberalitatis item & munificentiæ. Cujus rei testimonia exhibent: Ujvariensis præsidij munitio: Cremnicziense Templum & Cœnobium Ordinis S. Francisci Seraphici: Templum & Collegium ac Domus Probationis Societatis JESU Trenchinij: Collegium Generale Cleri Regni Hungariæ Tyrnaviæ, ac ibidem, Juris Cæsarei, & Canonici Studium, ab eodem fundatum. Obijt Posonij, Anno 1666.

49. Georgius Szelepcsényi. Ex Archi-Episcopo Colocensi, & Episcopo Nitriensi, ac Regni Annis plus quàm viginti Cancellario, confirmatus à Sede Apostolica, Anno 1685. die 14. Martij. Vir erat summæ prudentiæ, consilij magni, eximiæ doctrinæ, ac eloquentiæ. Hic in morte sua, supra quingenta millia florenorum legavit, in variorum Religiosorum Cœnobia, & Collegia, ac Clericorum Seminaria erigenda, ínque pauperum Sacerdotum subsidia, Beneficiorum Ecclesiasticorum meliorationem, aliásque pias causas, & fundationes. Obijt pientissimè Litovitij in Moravia, Anno 1685. die 14. Januarij. Nonagenario major.

50. Georgius Szecheni. Ex Episcopo Jaurinensi, & Archi-Episcopo Colocensi, 21. Martij, Anno 1685. nominatus, & 1686. die 2. Septembris confirmatus. Piè obijt in Domino Posonij, Anno salutis 1695. 12. Calendis Martij. Posteaquàm annos ætatis septem & nonaginta superâsset. Sacerdos

dos vixit annis 64. Episcopus, quâ Quinque Ecclesiensis, quâ Wesprimiensis, quâ Jaurinensis annis 49. Simul Archi-Episcopus Colocensis annis 16. ac demum Strigoniensis, annis 10. Vixit incontaminatæ castimoniâ vitæ temperantiâ, sobrietate, justitiâ, & æquanimitate, laboris & curarum assiduitate, vix ulli secundus, & facultatum à Domino sibi concessarum, quas œconomicis suis industrijs plurimùm auxit, dispensator fidelis, & munificus. Utpotè qui in diversorum Religiosorum fundata Cœnobia, & Collegia, aut magno subsidio amplificata, in Convictus, & Seminaria condita, in complura utriúsque sexus Monasteria, Hospitalia, & erecta Templa, aliáque publici boni monumenta, mira prorsus, ac vix unquam auditâ liberalitate, facile vicies quinquies centena millia florenorum, profudit, & erogavit.

51. Leopoldus è Comitibus à Kollonicz, S. R. E. Cardinalis. Ex Episcopo Jaurinensi, & Archi-Episcopo Colocensi nominatus, Anno 1695. de 14. Julij. Qui, quæ & quanta bona, pro Cæsare, Ecclesia, Regno, totaque Christianitate præstet, præstiterit, & præstiturus sit, non est hujus loci, & temporis enumerare. Non enim possunt hæc pauculis pagellis comprehendi, integris Libris ad id opus erit. Interim id unum in votis habemus, ut optimus, & zelosissimus Præsul, quàm diutissimè Vivat.

ADNOTATIO.

Circa hunc Catalogum Archi-Episcoporum Strigoniensium, prout is erat ab aliquo Anonymo olim collectus, & ad Calcem Decretorum Regni Hungariæ additus, ac à nobis continuatus, nonnulla ex ijs, quæ ex Archivijs Romanis à R. Patre Martino Czeles Soc. JESU sunt excerpta, mihíque Româ transmissa, meritò sunt hîc addenda.

Primò igitur in ijs habetur, Desiderium fuisse Archi-Episcopum Strigoniensem, Anno 1076. & huic successisse Nehemiam seu Neæmiam, cùm in veteri Catalogo Archi-Episcoporum Strigoniensium, præponatur Nehemias, & hujus successor ponatur Desiderius.

Secundò. Lucas Panffi ponitur Archi-Episcopus, ad Annum 1232. Et Job ad Annum 1290. In quibus annis vetus Catalogus discrepat. Additur insuper Lucam Archi-Episcopum fuisse famâ sanctitatis celebrem, post cujus obitum Gregorius IX. Papa, per Episcopum Csanadiensem, institui curavit Examen, in ordine ad ejusdem Canonizationem.

Tertiò Post Joannem Kanisium, ponuntur quatuor Archi-Episcopi Strigonienses; nempe:

Primus Georgius, ex Epiſcopo Patavienſi, qui Confirmationem Româ accepit 22. Decembris, Anno 1418.

Secundus Joannes, ex Epiſcopatu Labacenſi translatus, & 25. Martij confirmatus, Anno 1420.

Tertius Georgius, ex Epiſcopatu Tranſylvanienſi translatus, & 16. Novembris confirmatus, Anno 1423.

Quartus Thomas, ex Præpoſito ejuſdem Eccleſiæ Strigonienſis factus Archi-Epiſcopus, & confirmatus 8. Junij, Anno Chriſti 1429. De quibus tamen in veteri Catalogo nulla fit mentio, ſed poſt Joannem Kaniſium immediatè ponitur Georgius Paloczy, quibus tamen Archivijs indubitata fides eſt adhibenda, cùm in illis adnotentur authenticè & dies, & anni Confirmationis Romanæ, eorundem. His accedit quòd per horum Archi-Epiſcoporum interpoſitionem, inter Joannem Kaniſai, & Georgium Paloczy, ſeries annorum, ſive ſuccedentium ſibi Archi-Epiſcoporum, nullatenus perturbetur.

Porrò de Archi-Epiſcopatu S. Adalberti, & Sebaſtiani, ac Aſtrici ſeu Anaſtaſij, vide ſupra dicta, in prænotationibus hujus Catalogi. Ne verò fiat occaſio erroris circa nomen Aſtrici & Anaſtaſij, unius ejuſdémque Archi-Epiſcopi, ſciendum eſt, eundem, cùm eſſet Abbas, vocatum fuiſſe Aſtricum, poſtmodum verò cùm factus fuiſſet Archi-Epiſcopus, aſſumpſiſſe nomen Anaſtaſij.

Quartò. Præterea in ijſdem Archivijs reperitur pro Anno 1085. Acha Archi-Epiſcopus Strigonienſis.

Et ad Annum 1132. Felicianus Archi-Epiſcopus Strigonienſis.

Et ad Annum 1260. Philippus ex Epiſcopo Zagrabienſi, qui quidem ponitur in ordine Archi-Epiſcoporum Decimus nonus, ſed ad Annum 1272. Ex quibus clarè colligitur, veterem noſtrum Catalogum Archi-Epiſcoporum Strigonienſium non planè integrum, & circa aliquos, in aſſignandis annis non per omnia exactum, eſſe.

CATALOGUS XIII.

Epiſcoporum Agrienſium.

Agrienſis Epiſcopatus, novem integris continetur Comitatibus, Habétque pariter decem Archidiaconos. Primus eſt Cathedralis, cujus eſt viſitare Comitatum Borſodienſem. 2. Eſt Præpoſitus Beatæ Virginis, qui viſitat Comitatum Zemplinienſem. 3. Præpoſitus S. Petri, qui viſitat Comitatum

Bere-

Beregiensem, & parem Comitatum Zabolcz, in districtu Kisvarda. 4. Est Archidiaconus de Pontoka, qui visitat Comitatum Szaradiensem. 5. Est Archidiaconus de Tarczafö, qui visitat Comitatum Sárosiensem. 6. Est Archidiaconus de Aba-Ujvár, qui visitat Comitatum Aba Ujvariensem. 7. Est Archidiaconus de Patha, qui visitat partem Comitatûs Heves. 8. Est Archidiaconus de Zabolcz, qui visitat Comitatum Zabolczensem, præter districtum Kisvarda. 9. Est Archidiaconus Hevesiensis, qui visitat alteram partem Comitatûs Hevesiensis. 10. Est Archidiaconus Ungvariensis, qui visitat Comitatum Ungvariensem.

Porrò Episcopus Agriensis, est primus *Suffraganeus* Archi-Episcopi Strigoniensis. 2. Est Trium Comitatuum Supremus ac Perpetuus Comes, nempe Hevesiensis, & utriúsque Szolnok. 3. Olim hujus Episcopatûs proventus annui traduntur se extendisse ad centum millia Aureorum, sequitur tam ordo, & series Episcòporum Agriensium, úsque ad Annum 1697.

Primus Episcopus Agriensis ponitur Catapranus, Anno 1009. *Sed fortassis ante hunc, vel statim post hunc ponendus esset* Buldus, *qui Martyrio fuit affectus cum Sancto Gerardo Episcopo Csanadiensi, & traditur fuisse Episcopus Agriensis, Anno Christi* 1047. Sic igitur in ordine.

2. Buldus.
3. Petrus.
4. Laurentius.
5. Cletus.
6. Andreas.
7. Martinus.
8. Thomas I.
9. Andreas.
10. Chanadinus de Telegd, postèa Archi-Episcopus Strigoniensis.
11. Nicolaus I. Monosloi, dictus postea Archi-Episcopus Strigoniensis.
12. Michaël.
13. Emericus Zudár, Anno 1384.
14. Joannes I. postea Archi-Episcopus Strigoninnsis.
15. Stiborius de minori Sobovics, Baccalaureus in Decretis, confirmatus à Sacra Sede Romana 13. Augusti, Anno 1410.
16. Stephanus I.
17. Thomas II. Vasfejö cognomine.
18. Petrus de Rozgon, ex Episcopo Wesprimiensi translatus, die 23. Maij confirmatus, à Sacra Sede Romana, Anno 1425. & vixit adhuc 1440.
19. Dionysius de Széch, postea Archi-Episcopus Strigoniensis.
20. Simon de Rozgon.
21. Ladislaus de Hedervára, Anno 1464.
22. Joannes Vitélius, postea Archi-Episcopus Strigoniensis.

23. Gabriel Italus, ex Ordine S. Francifci Seraphici, S. R. E. Cardinalis.
24. Urbanus de Nagy Luche, Sacræ Coronæ Cuftos, obijt, Anno 1493.
25. Thomas III. Bakocz de Erdőd, poftea Archi Epifcopus Strigonienfis.
26. Hyppolitus Eftenfis, Cardinalis.
27. Ladislaus Zalkanus, poftea Archi-Epifcopus Strigonienfis, cæfus cum Rege Ludovico in campo Mohacz, Anno 1626.
28. Petrus de Varda, poftea Archi-Epifcopus Strigonienfis.
29. Julius Medices, confirmatus 27. Septembris, Anno 1520.
30. Simon II. ab Erdőd.
31. Antonius I. Grittus.
32. Francifcus de Frangepanibus, ex Ordine Fratrum Minorum de obfervantia, confirmatus 30 Maij, Anno 1539.
33. Nicolaus Olahus, confirmatus 4. Julij, Anno 1550. poftea Archi-Epifcopus Strigonienfis.
34. Francifcus de Ujlak, ex Epifcopo Jaurinenfi, confirmatus 3. Augufti, Anno 1554.
35. Antonius II. Verantius nominatus, Annno 1558. & confirmatus 17. Julij, Anno 1560. ex Epifcopatu Quinque Ecclefienfi, ad quem necdum confecratus fuerat, poftea Archi-Epifcopus Strigonienfis.
36. Stephanus I. Radeczius Cibinienfis, Locumtenens, & Cameræ Præfefectus. Hic per errorem in Catalogo Archi-Epifcoporum Strigonienfium proximæ editionis ponitur poft Antonium Verantium. Quia licèt is fuccefferit Verantio in Locumtenentia Regia, non tamen fucceffit eidem in Archi Epifcopatu.
37. Stephanus Mathifius, ex Epifcopo Vacienfi, confirmatus 23. Octobris, Anno 1600.
38. Joannes Byber, ex Electo Epifcopo Quinque Ecclefienfi confirmatus 7. Aprilis, Anno 1631.
39. Emericus Lofi, poftea Archi-Epifcopus Strigonienfis.
40. Georgius Lippai Cancellarius Regni, poftea Archi-Epifcopus Strigonienfis.
41. Georgius Jakufith, confirmatus 18. Septembris, Anno 1646.
42. Benedictus Kifdi, Academiæ Caffovienfis Fundator, confirmatus 8. Aprilis, Anno 1652.
43. Thomas Palffi ab Erdőd, ex Epifcopo Cfanadienfi, confirmatus 12. Decembris, Anno 1667.
44. Francifcus Szegedi, ex Epifcopo Vacienfi, confirmatus 21. Martij, Anno 1672.

45. Geor-

45. Georgius Barſony, ex Epiſcopo Varadinenſi.
46. Ferdinandus Palffi, ex Epiſcopo Cſanadienſi confirmatus 27. Septembris, Anno 1678.
47. Petrus Korompai, ex Epiſcopo Vacienſi, confirmatus 20. Aprilis, Anno 1682.
48. Georgius Feneſi, ex Epiſcopo Cſanadienſi, confirmatus 12. Maij, Anno 1687. Vivit, & Vivat!

CATALOGUS XIV.

Epiſcoporum Quinque Eccleſienſium.

Tres duntaxat ſunt Epiſcopi in Eccleſia Romana, quibus competit jus Pallij, ſeu Privilegium utendi, Pallio Epiſcopali intra Miſſarum ſolennia in Eccleſijs ſuæ Diœceſis, (quod aliàs ſolis Archi-Epiſcopis, & Patriarchis à Papa conferri ſolet) Atque inter hos tres, unus eſt, Epiſcopus Quinque Eccleſienſis, habet pro ſua Diœceſi tres ſequentes Comitatus: Baranienſem, Valkonenſem, & Tolnenſem, fundatus eſt hic Epiſcopatus à S. Stephano Rege, Anno Chriſti 1009.

Primus Epiſcopus Quinque Eccleſienſis fuit Boniportus, Sancti Stephani Regis Sacellanus.
2. Anonymus.
3. B. Maurus, Ordinis S. Benedicti.
4. Anthimius.
5. Fabianus.
6. Stephanus I.
7. Simon.
8. Anonymus.
9. Macharias.
10. Anonymus.
11. Calanus I. paleatus Dalmatiæ, & Croatiæ Gubernator.
12. Calanus II.
13. Job, poſtea Archi-Epiſc. Strigon.
14. Bartholomæus I. Anno 1222.
15. Achilles, Anno 1250.
16. Ladislaus I.
17. Antonius.
18. Petrus, Anno 1309.
19. Job II.
10. Paulus I.
21. Ladislaus II.
22. Bartholomæus II.
23. Nicolaus I.
24. Wilhelmus.
25. Valentinus Cardinalis.
26. Joannes Rudolphus de Han, ex Ordine S. Benedicti 12. Auguſti confirmatus, Anno 1410.
27. Henricus.
28. Joannes II. Vitéſius, inſignis Poëta, ſub nomine Joannis Pannonij.

29. Sigismundus Ernestus Hampo.
30. Georgius Szakmarius, Cancellarius Regni, postea Archi-Episcopus Strigoniensis.
31. Philippus More, ex Præposito Agriensi.
32. Joannes Saracenus.
33. Georgius II. Sulyok.
34. Stephanus II. Bordovicz, postea Jaurinensis.
35. Joannes Eszekius, ex Præposito Alba Regalensi Anno 1539. qui Anno 1540. cum Stephano Verbŏczio ad Solimannum orator fuit missus.
36. Stanislaus Varelleus, Anno 1541.
37. Paulus II. de Gregoriancz, postea Jaurinensis.
38. Georgius II. Tompa, die 4. Julij confirmatus, Anno 1550.
39. Antonius Verantius, postea Episcopus Agriensis confimatus 3. Augusti, Anno 1554.
40. Georgius IV. Draskovicz, Confessarius Ferdinandi I. Cæsaris, & Regis Hungariæ, confirmatus 17 Julij, Anno 1560. postea Archi-Episcopus Colocensis, & Episcopus Jaurinensis, & Cancellarius Regni, ac tandem S. R. E. Cardinalis, Anno 1574.
41. Andreas Duitius, Apostata à Fide, Anno 1568.
42. Joannes IV. Monosloi, confirmatus 15. Maij, Anno 1573.
43. Nicolaus II. Telegdinus, Ecclesiæ Strigoniensis Præpositus, confirmatus 15. Maij, Anno 1579.
44. Joannes Kutasi, Præpositus Major Strigoniensis, & Canonicus, postea Episcopus Jaurinensis, ac demum Archi-Episcopus Strigoniensis.
45. Georgius Szalatnoki, Anno 1601.
46. Petrus Demetrovicz, Præpositus Zagrabiensis, 16. Octobris confirmatus, Anno 1611.
47. Joannes Byber, 29. Julij cornfimatus, Anno 1613. postea Episcopus Agriensis.
48. Georgius VI. alter Draskovicz, ex Canonico Strigoniensi, & Præposito Sancti Thomæ de Monte Strigoniensi, confirmatus 10. Decembris, Anno 1620 postea Episcopus Jaurinensis.
49. Thomas Balasffi, Anno 1622.
50. Paulus David, Anno 1625.
51. Benedictus Vinkovicz.
52. Joannes Chech.
53. Stephanus Bosnyak, Theologus, confirmatus 14. Julij, Anno 1642.
54. Georgius Széchenyi, confirmatus 6. Maij, Anno 1644. postea Episcopus Jaurinensis, Archi-Episcopus Colocensis, ac tandem Strigoniensis. 55.

55. Paulus Hoffman, ex Præposito Majori Strigoniensi, confirmatus 2. Augusti, Anno 1655. postea Wesprimiensis.

56. Fr. Joannes Salix, Ordinis Cisterciensis, Magister in Theologia, confirmatus 21. Novembris, Anno 1661.

57. Joannes Gubassoczi, ex Canonico Strigoniensi, postea Episcopus Nitriensis, & Cancellarius Regni.

58. Paulus Szecsenyi, ex Ordine S. Pauli primi Eremitæ confirmatus 18. Aprilis, Anno 1678. postea Wesprimiensis Episcopus, & Archi-Episcopus Colocensis.

59. Matthias Radonai, ex Abbate Szalavariensi, nominatus.

60. Stephanus Dolni, ex Præposito Majori Strigoniensi, nominatus 11. Decembris, Anno 1696.

CATALOGUS XV.

Episcoporum Jaurinensium.

1. Desiderius, floruit adhuc, Anno 1064.
2. Cosmas, 1220.
3. Georgius I. 1240.
4. Georgius II. 1262.
   Alij desiderantur.
5. Nicolaus, 1321.
6. Colomannus, 1351.
7. Gvilielmus, 1384.
8. Joannes I. 1405.
9. Clemens, ex Præposito Csanadiensi, confirmatus 22. Februarij, Anno 1435.
10. Georgius III. 1440.
11. Antonius, 1446.
12. Augustinus, 1464.
13. Urbanus, Regni Thesaurarius, Anno 1486.
14. Thomas Bakoczius, Regni Cancellarius, Anno 1498.
13. Franciscus, Antistes Budensis - Anno 1504.
16. Joannes Gosztoni, Anno 1414.
17. Blasius Paxius, cœsus in campo Mohacz, Anno 1526.

Post cladem Mohaczianam Episcopatum hunc occupavit, Paulus Paquitius, homo profanus, aliàs militaris, cœsus postea in prœlio contra Turcas, Anno 1438.

18. Franciscus Ujlaki, Anno 1539. sed confirmatus primò 2. Junij, 1550.
16. Paulus, ex Episcopo Zagrabiensi, confirmatus die 15. Maij, An. 1554.
20. Zacharias Delphinus, S. R. E. Cardinalis, 1570.
21. Joannes Listius, cum dispensatione ætatis, confirmatus 15. Maij, Anno 1573.

22. Georgius Draskovich, Regni Cancellarius, ex Epiſcopo Zagrabienſi, Anno 1528. creatus poſtmodum S. R. E. Cardinalis à Sixto V. Calendis Januarij, Anno 1585. Fuit is à Ferdinando I. Cæſare & Rege Hungariæ, ad Concilium Tridentinum Orator miſſus, ibique in communi PP. conſeſſu, luculentam orationem habuit.
23. Joannes Kutaſi, Regni Cancellarius, poſtea Archi-Epiſcopus Strigonienſis.
24. Joannes Hereſſenius, ex Epiſcopo Zagrabienſi, confirmatus 26. Octobris, Anno 1587.
25. Martinus Pethe, Anno 1600.
26. Demetrius Nepragyi, Anno 1608.
27. Nicolaus Dallos, nominatus, Anno 1624. confirmatus, 1625.
28. Stephanus Sennyei, Cancellarius Regni, Anno 1630.
29. Georgius alter Draskovicz, Anno 1638.
30. Joannes Puſki, Anno 1649.
31. Georgius Szechenyi, Anno 1659. ex Epiſcopo Weſprimienſi, confirmatus, Anno 1665. poſtea Archi-Epiſcopus Strigonienſis, 1685.
32. Leopoldus à Kollonicz, ex Epiſcopo Neoſtadienſi, poſtea Cardinalis, & Archi-Epiſcopus Strigonienſis.
33. Chriſtianus Auguſtus, è Ducibus Saxoniæ, Anno 1695. Vivit, & Vivat.

CATALOGUS XVI.

Epiſcoporum Weſprimienſium.

Epiſcopatum hunc fundavit, S. Stephanus primus Rex Hungariæ, primam autem ejuſdem Eccleſiam, proprijs expenſis exædificavit Giſe a S. Stephani Regis Uxor, & jam Regina, poſt acceptam Coronam Regiam Româ à Sylveſtro II. Papa. Unde factum eſt, ut Weſprimienſis Epiſcopus in perpetuum, eſſet Reginæ Cancellarius.

Deſiderantur autem Primorum duorum Sæculorum, nomina hujus Diœceſis Epiſcoporum. Niſi quòd

Anno 1047. hujus Diœceſis Epiſcopus fuerit nomine Benethe. Et Anno 1085. Coſmas.

Subſequentibus dein Sæculis fuêre ſequentes.

Rupertus, Anno Chriſti 1222.
Budinus.
Albertus.
Joannes.
Paulus. 1263.
Benedictus.

Joan-

Joannes Vitésius, Anno 1421.
Petrus II. de Rozgon, confirmatus 5. Maij, Anno 1424.
Joannes, Præpositus Ecclesiæ S. Petri de Veteri Buda, confirmatus 7. Januarij, Anno 1426.
Simon de Rozgon, Præpositus S. Margarethæ, confirmatus 3. Augusti, 1428.
Georgius, Anno 1500.
Petrus Cardinalis, Secretarius Regni, Anno 1507.
Petrus Berislaus, factus Dalmatiæ, & Croatiæ Banus, Anno 1512.
Thomas Szalaházi, Anno 1526.
Paulus Bornemisza, Presbyter Diœcesis Quinque Ecclesiensis, confirmatus 4. Julij, Anno 1550.
Andreas Keves, confirmatus 3. Augusti, Anno 1554.
Martinus de Kechet.
Stephanus Fejérkövi, Anno 1582. postea Archi-Episcopus Strigoniensis.
Andreas Monosloi, confirmatus 21. Junij, An. 1599. ex Præposito Posoniensi.
Ladislaus Vitalis.
Petrus.
Franciscus Ergelius, ex Episcopo Bosnensi, confirmatus 29. Martij, An. 1610.
Paulus David, confirmatus 6. Octobris, Anno 1631.
Stephanus Szent Andrási.
Georgius Lippai, ex Episcopo Quinque Ecclesiensi, confirmatus 9. Junij, Anno 1633. postea Agriensis, ac tandem Archi-Episcopus Strigoniensis.
Georgius Jakusith, postea Episcopus Agriensis.
Georgius Szelepchenyi, dein Nitriensis, ac tandem Archi-Episcopus Strigoniensis.
Georgius Szechenyi, ex Episcopo Quinque Ecclesiensi, confirmatus 9. Junij, Anno 1653.
Paulus Hoffman.
Stephanus Sennyei, confirmatus 14. Januarij, Anno 1669.
Paulus Szechenyi, confirmatus 24. Novembris, Anno 1687. Vivit, & Vivat.

CATALOGUS XVII.

Episcoporum Nitriensium.

Habet hic Episcopatus, pro sua Diœcesi, totum Comitatum Trenchiniensem, & partem Comitatûs Nitriensis. Et Episcopus Nitriensis est Supremus, ac Perpetuus Comes ejusdem Comitatûs. Ecclesiam Cathedralem Duodecim Canonicorum habet, in ipsa sua Residentia, & Arce quam inhabitat, cámque magnificam, & argenteâ, & aureâ Supellectile Sacrâ locuple-

tem, Corporibúſque Sanctorum Andreæ & Benedicti Eremitarum ac Martyrum nobilem. Nulla verò Diœceſis per Hungariam eſt magìs proviſa quoad Parochos, & Alumnatus pro eorundem ſucceſſione, quàm hæc Nitrienſis. Fuit autem hic Epiſcopatus tardiùs erectus, quàm alij Epiſcopatus Hungariæ, ut ſupra Catalogo 5. §. 1. diximus.

Primus illius Epiſcopus traditur fuiſſe Edvardus, Anno 1158.
2. Joannes I. qui floruit adhuc Anno 1205.
3. Vincentius I. Anno 1220.
4. Jacobus. 1226.
5. Adam. 1245. occiſus à Tartaris.
6. Nicolaus I. 1254.
7. Vincentius II. 1271.
8. Petrus I. 1280.
9. Paſchaſius. 1296.
10. Joannes II. 1307.
11. Benedictus. 1316.
12. Mesko. 1330. poſtea Weſprimienſis.
13. Frater Vitus. 1337. Secretarius, & Cancellarius Ludovici I. Regis.
14. Stephanus I. 1351.
15. Ladislaus. 1386. poſtea Weſprimienſis.
16. Frater Dominicus I. Pœnitentiarius Papæ. 1379.
17. Vitus II. Anno 1390.
18. Gregorius I. 1392.
19. Michaël. 1395.
20. Petrus II. 1405.
21. Hinco. 1419.
22. Georgius de Berencze. 1433.
23. Dionyſius de Zech. 1439. poſtea Agrienſis, tandem Archi-Epiſcopus Strigonienſis.
24. Nicolaus. 1456.
25. Thomas de Debrethe. 1468.
26. Frater Georgius. 1486.
17. Gregorius II. 1489.
28. Antonius Præpoſitus Poſonienſis, 1492. ad Alexandrum VI. Romam ab Vladislao Rege Ablegatus.
29. Nicolaus II. de Bachka. 1501.
30. Stephanus II. de Szathmár. 1505.
31. Sigiſmundus Turzo, Anno 1514.
32. Stephanus III. Podmaniczki, 1517. Perſonalis præſentiæ Regiæ in Judicijs Locumtenens.
33. Franciſcus Turzo, 1544. fuit etiam Epiſcopus Tranſylvanienſis, & Locumtenens Maximiliani Imperatoris, obijt 1579.
34. Paulus Bornemiſza, 1557. ex Epiſcopo Tranſylvaniæ, qui ſede ſuâ erat pulſus.
35. Zacharias Moſſoczi, 1582.
36. Stephanus Jerzeviczi, ex Epiſcopo Weſprimienſi confirmatus 19. Novembris, 1388.
37. Franciſcus Forgach, 1606. Cancellarius Regni, poſtea Archi-Epiſcopus Strigonienſis, & Cardinalis.
38. Demetrius Naprágyi, 1608.

29. Va-

39. Valentinus Lepes, 1613. Cancellarius Regni, ſimul Archi-Epiſcopus Colocenſis.
40. Joannes Telegdi, 1622.
41. Joannes Pûski, 1647. poſtea Jaurinenſis, & Archi-Epiſcopus Colocenſis.
42. Georgius Szelepchenyi, 1649. Cancellarius Regni, ac dein Archi-Epiſcopus Colocenſis, demum verò Strigonienſis.
43. Leopoldus è Comitibus à Kollonicz, 1668. 30. Septembris confirmatus, poſtea Jaurinenſis, ac dein Strigonienſis Archi-Epiſcopus, & Cardinalis.
44. Thomas Palffi, ex Agrienſi, 1671. Cancellarius Regni, & ſimul Præpoſitus Jaſzovienſis, & Poſonienſis.
45. Joannes Gubaſoczi, 1608, Cancellarius Regni ex Vacienſi 13. Maij confirmatus.
46. Petrus Korompai, ex Agrienſi, Cancellarius Regni, 1687.
47. Jacobus Hasko, 1689. reſignavit raro exemplo, ſponte Epiſcopatum.
48. Blaſius Jaklin, 1690. Regni Cancellarius.
49. Ladislaus Mattyaſovſzki, ab Anno 1696. Regni Cancellarius. Vivit, & Vivat!

CATALOGUS XVIII.

Epiſcoporum Vacienſium.

Complectitur Epiſcopatus hic pro ſua Diœceſi Comitatatus Kis Nograd. Peſth, Chongrad, Szolnok Exteriorem.

Primi deſiderantur.

Anno 1102. Floruit Stephanus, cujus tempore Tartari Vaciam expilârunt.

Anno 1222. Brictius.
Anno 1262. Stephanus II.
Anno 1351. Michaël.
Anno 1384. Petrus.
Anno 1405. Nicolaus.
Anno 1464. Vincentius.
Anno 2484. Nicolaus II.
Anno 1490. Nicolaus de Bathor.

A duobus verò poſtremis Sæculis ſucceſsêre ſequentes:

Joannes Orſzág, Decretorum Doctor.
Ladislaus Szalkanus, poſtea Archi-Epiſcopus Strigonienſis.
Stephanus Brodericus, qui fuerat à Ludovico II. ad Clementem VIII. Legatus, & ab eodem Cancellarius Regius factus, confirmatus eſt 30. Maij. Anno 1539.
Auguſtinus Spadalier, confirmatus 3. Maij, 1550.
Blaſius de Varadino, Præpoſitus Eccleſiæ Scepuſienſis, confirmatus à Sacra Sede 3. Auguſti, 1554.

 Joan-

Joannes de Hylak, Presbyter Diœcesis Sirmiensis, & Commendator perpetuus Abbatiæ Piliſienſis, Ordinis S. Benedicti, confirmatus 17. Julij, An. 1560. vixit adhuc 1579.

Zacharias Moſſoczi, 1580.

Martinus Pethe de Hethes, confirmatus 26. Octobris, 1587.

Stephanus Mathiſi, ex Epiſcopatu Cſanadienſi translatus Rector Altaris S. Andreæ in Eccleſia Poſonienſi, confirmatus à Sacra Sede 23. Januarij, Anno 1589.

Stephanus Szuhaj.

Petrus Radoviczius Presbyter Zagrabienſis, confirmatus 15. Decembris, 1600.

Paulus Almaſi, confirmatus 27. Januarij, 1610.

Nicolaus Dallos, 1622. poſtea Jaurinenſis.

Stephanus Sennyei, de Kis Sennye, confirmatus 27. Januarij, 1627. poſtea Jaurinenſis Epiſcopus, & Regni Cancellarius.

Paulus David, 1630.

Georgius Draskovitz, 1635. poſtea Epiſcopus Jaurinenſis.

Georgius Nagyfalvai, Canonicus & Cuſtos Eccleſiæ Jaurinenſis, confirmatus 13. Auguſti, 1640.

Ladislaus Huſzutoti, 1647.

Joannes Püski, 1649. poſtea Jaurinenſis.

Matthias Tarnoczi, ex Epiſcopo Cſanadienſi confirmatus 15. Junij, 1655. Vir eximiæ virtutis, & famæ ſanctitatis.

Thomas Palffi ab Erdőd, poſtea Agrienſis.

Franciſcus Szent Győrgyi, 1662.

Franciſcus Szegedi, poſtea Agrienſis.

Georgius Pongracz de Szent Miklos, & Ovár, confirmatus 2. Maij. 1672.

Joannes Gubaſoczi, ex Epiſcopo Quinque Eccleſienſi, confirmatus 12. Julij, 1677. poſtea Nitrienſis, & Regni Cancellarius.

Petrus Korompai, SS. Theologiæ Baccalaureus, confirmatus 29. Aprilis, 1681. poſtea Nitrienſis, & Regni Cancellarius.

Frater Joannes Kéri, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ Generalis emeritus, SS. Theologiæ Doctor, ex Epiſcopo Cſanadienſi, confirmatus 8. Junij, 1982. primus poſt acceptum Vacium, 1684. Sedem ſuam acceſſit.

Nicolaus Balogh, confirmatus 18. Martij, 1686.

Michaël Dvornikovich, ex Epiſcopo Cſanadienſi, Juris utriúſque Doctor, & Juris Cæſarei, olim in Academia Tyrnavienſi, Publicus & Ordinarius Profeſſor, Vivit, & Vivat!

CA-

CATALOGUS XIX.

Archi-Episcoporum Colocensium.

Primus Archi-Episcopus Colocensis nominatus à S. Stephano Rege S. Astricus seu Anastasius, ex Abbate S. Martini de Monte Pannonio, Ordinis S. Benedicti, Anno Christi 1000. Cujus Successores unus vel alter desideratur.

Quibus successêre sequentes.

Fabianus, Anno 1085.
Desiderius, 1093.
Ugolinus. 1102.
Francita. 1131. ex Episcopo Zagrabiensi. Intermedij desiderantur.
Petrus I. ex Archi-Episcopo Spalatensi, 1180.
Vigrinus. 1222.
Ugolinus II. occisus à Tartaris. 1240.
Benedictus, Cancellarius Belæ IV. Regis. 1265.
Joannes I. postea Archi-Episcopus Strigoniensis.
Ladislaus I. ex Episcopo Zagrabiensi.
Stephanus I. 1303.
Demetrius. 1316.
Ladislaus II. ex Ordine Minorum, à Joanne XXII. confirmatus, jussúq; ejusdem Romæ consecratus. 1317.
Fr. Dionysius. 1351.
Ludovicus. 1384.
Joannes II. 1435.
Petrus II. de Rozgon.
Stephanus II. 1464.
Gabriel. 1471.
Georgius I. 1474.
Petrus III. qui sub Rege Matthia Corvino, carceri Arvensi mancipatus fuerat, & sub Vladislao II. ad instantiam Alexandri II. liberatus. 1490.
Georgius II. Comes de Frangepanibus, ex Ordine S. Francisci, qui à Ludovico II. Rege Hungariæ, ad Carolum V. Cæsarem, & Imperij Principes missus fuerat, pro auxilio contra Turcas impetrando, Anno 1521.
Paulus Tomoræus, ex Ordine S. Francisci, qui pro fide, & Patria gloriosus occubuit, 1526. cum Ludovico II. Rege, à quo constitutus fuerat Dux totius exercitûs.
Franciscus II. Comes de Frangepanibus, ex Ordine S. Francisci, 1533.
Georgius Draskovitz, 1582. Administrator Episcopatûs Jaurinensis, à Sixto V. S.R.E. Cardinalis creatus, 1583.
Martinus Pethe de Hethes, ex Episcopo Varadinensi, Administrator Episcopatûs Jaurinensis, 1600.
Demetrius Napragyi, Administrator Diœcesis Jaurinensis, 1610.
Joannes Telegdi, Administrator Diœcesis Nitriensis.

Joan-

Joannes Pûski, Administrator Diœcesis Jaurinensis, confirmatus 14. Februarij, 1650.
Georgius Szelepchenyi, Administrator Diœcesis Nitriensis, postea Archi-Episcopus Strigoniensis.
Georgius Szechenyi, Administrator Diœcesis Jaurinensis, confirmatus 18. Aprilis, 1678.
Joannes Gubasoczi, Administrator Diœcesis Nitriensis, 1685.
Leopoldus Comes à Kollonicz, Administrator Diœcesis Jaurinensis, & S.R.E. Cardinalis, 1686. postea Archi-Episcopus Strigoniensis.
Paulus Szechenyi, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, Administrator Diœcesis Wesprimiensis, Vivit, & Vivat!

CATALOGUS XX.

Episcoporum, qui Ecclesiam Zagrabiensem à sui fundatione, usque ad præsentem gubernârunt Annum.

Primus Duh, *id est Spiritus*.
2. Bartholomæus.
3. Francita.
4. Bernardus, velut alij Bernaldus.
5. Macilinus, Canonicus Jerosolym.
6. Dominicus, sub Rege Emerico.
7. Prodanus.
8. Gothardus I.
9. Stephanus I.
10. Stephanus II.
11. Philippus, postea factus Archi-Epi-Episcopus Strigoniensis.
12. Timotheus.
13. Antonius.
14. Joannes I.
15. Michaël.
16. Augustinus.
17. Stephanus.
18. Ladislaus, postea factus Archi-Episcopus Colocensis.
19. Jacobus.
20. Dionysius.
21. Nicolaus.
22. Paulus.
23. Eberhardus.
24. Andreas.
25. Joannes II.
26. Benedictus.
27. Demetrius Chupor, Anno 1444. Hic Sedes vacabat per Annos 40.
28. Osvaldus.
29. Lucas.
30. Thomas Erdôdi.
31. Joannes III. Erdôdi.
32. Simon Erdôdi.
33. Nicolaus Olahus, postea factus Archi-Episcopus Strigoniensis.
34. Wolffgangus Gyulas.
35. Paulus Gregorianczi, postea Jaurinensis.
36. Matthias Brumanus.
37. Georgius Draskovicz, postea Jaurinensis.

38. Joan-

38. Joannes IV. Monoſzlay.
39. Petrus Hereſſinchy.
40. Caſparus Sztankovachky, fuit ſimul Croatiæ Banus.
41. Nicolaus Szelnichey.
42. Fr. Simon Bratulich, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ.
43. Petrus Domitrovich, ex Epiſcopo Quinque Eccleſienſi, confirmatus 15. Julij, 1613.
44. Franciſcus Ergelius.
45. Benedictus Vinkovich, ex Epiſcopo Quinque Eccleſienſi, confirmatus 28. Aprilis, 1642.
46. Martinus Bogdan, confirmatus 3. Auguſti, 1643.
47. Petrus Petretich, confirmatus 1. Februarij, 1649. poſtea Archi-Epiſcopus Colocenſis.
48. Fr. Martinus Borgovich, ex Generali Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, Magiſter in Theologia, poſtea Archi-Epiſcopus Colocenſis, confirmatus 11. Junij, 1668.
49. Alexander Ignatius Mikulich, ex Epiſcopo Tininienſi, confirmatus 11. Octobris, 1687.
50. Stephanus Szeliſchovich, ex Præpoſito Eccleſiæ Zagrabienſis, confirmatus 10. Januarij, 1665. Vivit, & Vivat!

CATALOGUS XXI.

Epiſcoporum Tranſylvaniæ.

Primi deſiderantur.

Reginaldus. 1262.
Fr. Benedictus. 1315.
Artolphus.
Goblinus. 1384.
Emericus. 1398.
Stephanus. 1405.
Georgius Lépes. 1419. die 1. Auguſti confirmatus.
Nicolaus I.
Ladislaus Geréb. 1489.
Nicolaus II. de Batha. 1504.
Franciſcus de Varda. 1514.
Nicolaus Gerendi. 1525.
Joannes Goſztoni. 1527.
Joannes Statilius, Diœceſis Traguriensis, confirmatus die 30. Maij, Anno 1539.
Paulus Abſtemius ſeu Bornemiſza, ex Epiſcopo Weſprimienſi confirmatus 3. Auguſti, 1554.
Vacabat dein denominatio à Rege Apoſtolico, Epiſcopatûs Tranſylvanienſis.

Demetrius Napragyi, nominatus à Sigismundo Bathori Principe Transylvaniæ, 1600.

Stephanus Szent Andrasi nominatus, 1625.

Stephanus Simandi nominatus, 1635.

Sigismundus Zongor, nominatus.

Joannes Palfalvai nominatus, 1655.

Franciscus Szent Györgyi, nominatus.

Franciscus Szegedi nominatus, 1662.

Matthæus Szent Tamasi nominatus, 1670.

Andreas Sebestényi nominatus, 1681.

Stephanus Kada nominatus, 1687. consecratus ad Ecclesiam Infidelium.

Andreas Illyés nominatus, Anno 1696. consecratus Episcopus Transylvaniæ, 1697. Vivit, & Vivat!

CATALOGUS XXII.

Episcoporum Varadinensium.

Episcopatus Varadinensis designatus fortassis fuit à S. Stephano Primo Rege Hungariæ, sed fundatus, ac locupletatus est postmodum à S. Ladislao Rege, dum devictis Cumanis, Dei monitu ad Chrysium fluvium insignem Basilicam in Dei Genitricis Honorem posuisset, oppidóque Varadino adjecto, eandem munivisset, & stabilisset.

Primus Episcopus ejusdem ponitur (in fine Decretorum Hungariæ prioris editionis) Colomannus filius Geizæ II. Regis, Anno 1009. Verùm erroneè, tam quoad ejus parentem, quàm quoad annum, quo factus est Episcopus. Colomannus siquidem hic non fuit filius Geizæ II. hic enim regnavit ab Anno 1161. úsque ad Annum 1191. adeóque longè post ipsum Colomannum, sed erat filius Geizæ Primi cognomento Magni, & fratris majoris natu S. Ladislai, qui obijt 1076. cui in Regno successit S. Ladislaus Rex, eodem anno, qui cùm nullos haberet liberos mares, & Geiza reliquisset duos filios, Colomannum, & Almum, quorum alterutrum succedere in Regnum opportebat. Rex autem Ladislaus Colomannum Divino quodam instinctu sanguinarium fore præviderat, adeóque jusserat eum sacris initiatum Ecclesiæ Varadinensis fieri Episcopum, Altero designato in Regni Successorem; contrarium licèt evenerit, post mortem enim S. Ladislai, Hungari Colomannum, è Polonia revocatum in Regem, ipso Almo annuente, elegerunt, & coronârunt, Anno 1096.

Huic dein 2. Successit Anonymus quidam, circa Annum 1100.

3. Mercurius floruit, circa Annum 1156.

4. Anonymus alter, circa Annum 1170.

5. Nico-

5. Nicolaus. 1174.
6. Joannes I. 1180.
7. Vatha. 1186.
8. Elvimus. 1189.
9. Simon. Legum Doctor. 1214.
10. Alexander. 1220.
11. Benedictus I. 1232.
12. Vincentius. 1250.
13. Zozimus. 1259.
14. Lodomerius. 1171. postea Archi-Episcopus Strigoniensis.
15. Thomas. 1281.
16. Bartholomæus. 1284.
17. Benedictus II. 1201.
18. Emericus I. 1300.
19. Ivanka. 1318.
20. Andreas I. de Báthor. 1329.
21. Demetrius. 1346.
22. Dominicus I. 1373.
23. Emericus II. Zudar. 1376.
24. Ladislaus. 1378.
25. Joannes II. 1383.
26. Lucas. 1397.
27. Eberhardus. 1406.
28. Andreas II. 1415.
29. Joannes III. de Milanefibus, Legum Doctor, confirmatus 22. Aprilis, 1426.
30. Dionysius Jakchi, confirmatus 23. Julij, 1427.
31. Joannes IV. 1436.
32. Joannes V. 1440.
33. Joannes VI. 1447.
34. Joannes VII. Alemannus. 1466. postea Archi-Episcopus Strigoniensis, ac demùm Salisburgensis.
35. Joannes VIII. 1475.
36. Valentinus Farkas, 1491. confirmatus 3. Septembris, 1496.
37. Dominicus II. 1497.
38. Georgius I. Szakmari. 1501. postea Quinque Ecclesiensis, ac tandem Archi-Episcopus Strigoniensis.
39. Sigismundus Thurzo. 1506.
40. Franciscus Perenyi, 1519. qui in clade Mohacziana occubuit.
41. Emericus Czibak. 1526.

Hìc sæcularis & profanus, Episcopatum invasit, & à Joanne Inter-Rege obtinuit, qui tamen Diœcesim sedulò administravit, néque Hæresi unquam eam inquinari permisit, occisus dein in Transylvania 1534. cujus tunc Præfecturam gerebat. Erat autem is ex Familia Cibo, Liguriæ in Italia.

42. Fr. Georgius II. Cardinalis. 1539. occisus 1550.
43. Matthias Zebestinus, confirmatus 3. Augusti, 1554.
44. Franciscus Forgách. 1557. postea Strigoniensis Archi-Episcopus, Cardinalis, confirmatus 17. Julij, 1560.
45. Stephanus Radeczius. 1568. postea Agriensis.
46. Gregorius Bornemiszsza, 1570.
47. Martinus Pethe, ex Episcopo Vaciensi, confirmatus 16. Januarij, 1589.
48. Nicolaus Micatius, ex Episcopo Zagrabiensi, confirmatus 15. Decembris, 1600.
49. Joannes Telegdi. 1613.
50. Joannes Byber. 1622. postea Agriensis.
51. Emericus Losi. 1625. postea Archi-

chi-Episcopus Strigoniensis, confirmatus 19. Decembris, 1630.

52. Ladislaus Huszototi, confirmatus 22. Aprilis, 1639.

53. Benedictus Kisdi, confirmatus, 1647. postea Agriensis.

54. Sigismundus Zongor, confirmatus 19. Junij, 1649.

55. Joannes Palfalvai. 1659.

56. Georgius Bársony. 1660. postea Agriensis.

57. Joachimus Lusenski, confirmatus 7. Maij, 1678.

58. Augustinus Benkovicz, Ordinis S. Pauli primi Erem. General. Emeritus, confirmatus 25. Maij, 1682. Vivit, & Vivat!

CATALOGUS XXIII.

Episcoporum Csanadiensium.

Primus hujus Diœcesis Episcopus fuit S. Gerardus Patriâ Venetus, ex antiqua Familia Sacredonorum, qui abdicato opimo S. Marci Canonicatu, Monachum induit in Monasterio S. Georgij Martyris, Ordinis S. Benedicti, sub Beato Joanne Mauroceno, primo ejus Monasterij Abbate. Hic dein devotionis gratiâ Hierosolymam petiturus, in Hungariam venit, Anno Christi 1030. verùm ob singularis Sanctitatis famam detentus est in Hungaria à S. Stephano Rege, átque septem ferè annis contemplationi rerum divinarum, vacavit in Monasterio Beel agri Budensis, deinde ab eodem Rege inde evocatus, institutus est primus Episcopus Csanadiensis 1036. quem sanctissimè gubernavit Annis undecim, Martyrium subivit, Anno Christi 1047.

Vacabat postmodùm aliquantisper Episcopatus.

Floruit dein alter hujus Diœcesis Episcopus, Desiderius I. Anno Christi 1097.

Cujus Successores desiderantur.

Postmodùm floruit alter Desiderius, 1222. Post hunc floruerunt sequentes.

Antonius. 1305.
Benedictus. 1308.
Jacobus Longobardus. 1333.
Joannes I.
Thomas.
Paulus.
Nicolaus.
Joannes II. 1384.
Lucas. 1395.
Gregorius. 1397.
Fr. Dosa. 1405.
Ladislaus. 1423.
Paulus II. 1438.
Albertus. 1458.
Janus Pannonius. 1464.
Joannes III. 1480.
Georgius. 1490.
Lucas. 1495.
Nicolaus de Czak. 1500.
Joannes III. 1515.

Desi-

Desiderius. III. 1522.
Franciscus de Chachol. 1526. cœsus cum Rege Ludovico II. in campo Mohacz.
Joannes IV. Barsabasi. 1539.
Franciscus Ugodi. 1550.
Petrus Paulini. 1560.
Joannes Colosvarius. 1560. fuit Ablegatus Regni ad Concilium Tridentinum.
Balthasar Melegh. 1573.
Stephanus Mathisi. 1583.
Paulus Szegedi. 1589.
Faustus Verantius. 1600.
Georgius Zalontoki. 1602.
Martinus Herocitius. 1609.
Joannes Dubowski. 1625.
Joannes Ivánczi. 1630.
Georgius Duboczi. 1638.
Joannes Půski.
Sigismundus Zongor. 1647.
Matthias Tarnoczi. 1648.
Thomas Palffi. 1655.
Fr. Hyacinthus Macripodari. 1662.
Ferdinandus Palffi. 1672.
Frater Joannes Kéri de Ipoly Kér. 1681.
Georgius Fenesi. 1685. postea Agriens.
Michaël Dvornikovicz. 1687.
Stephanus Tellekesi. 1696. Vivit, & Vivat!

CATALOGUS XXIV.

Episcoporum Syrmiensium.

Thomas. 1351.
Joannes. 1384.
Gregorius. 1396.
Ladislaus. 1399.
Jacobus Blasius Mikola de Szalakemen, confirmatus 20. Martij, Anno 1420. vixit adhuc 1435.
Urbanus.
Joannes Vitézius, 1480. à virtute, & doctrina laudatus.
Stephanus Crispus, varijs Legationibus clarus, 1490.
Nicolaus de Bocke.
Dominicus, ex Præposito Albensi.
Joannes Országh de Guth. 1514.
Ladislaus Macedonius, cœsus in campo Mohacz, 1626.
Martinus Pethe de Hethes, 1589.
Fr. Stephanus de Tyrnavia, Ordinis S. Pauli primi Erem. Prior Generalis, confirmatus 20. Martij, 1589.
Fr. Simon Bratulicz, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ Prior Generalis, confirmatus 15. Junij, 1601.
Ladislaus Maithényi, Præpositus Veteris Budæ, confirmatus 18. Maij, 1616.
Georgius Nagyfalvai. 1625.
Nicolaus Bôjthe. 1638.
Petrus Mariani. 1649.
Frater Petrus Jurievich. 1655.
Frater Paulus de Tauris. 2662.

Frater Joannes Kéri, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ Prior Generalis emeritus, SS. Theologiæ Doctor, nominatus, 1679.

Franciscus Jani, Juris utriúsque Doctor, Præpositus Csornensis, nominatus 1688. confirmatus 4. Calendas Februarij, 1697. Hic primus post Tyrannidem Turcarum, ad suam Sedem redijt. Vivit, & Vjvat!

CATALOGUS XXV.

Episcoporum Bosnensium.

Bosnia incorporata fuit Coronæ Hungariæ, sub Bela Cœco Rege Hungariæ, Anno 1138. Episcoporum Bosniæ pariter seriem habere ex integro, non potui nisi ab Anno 1315. Præterquàm quòd Anno 1238. floruerit in Bosnia Episcopus Joannes Teutonicus, ex Ordine S. Dominici, ad Episcopatum ob singularem vitæ sanctitatem assumptus, ac dein Anno 1285. Frater Andreas ex eodem Sacro Ordine Prædicatorum. Sequitur jam aliorum ordo, & successio, quamvis & hæc nonnihil interrupta.

Frater Petrus primus floruit, Anno Christi 1315.

Peregrinus. 1391.

Joannes. 1405.

Benedictus, confirmarus 13. Augusti, 1410.

Julius Dionysius.postea Varadinensis.

Josephus Beuca, Diœcesis Strigoniensis Plebanus, confirmatus 15. Martij, 1428.

Matthias. 1486.

Lucas. 1492.

Gabriel. 1495.

Nicolaus Kesserû. 1504.

Michaël Kesserû de Chybat. 1514.

Georgius Palinorus, Vir omni Scientiâ, & vitæ integritate clarus, cœsus in campo Mohacz. 1526.

Vacabat dein hic Episcopatus plus quàm 40. annis.

Dein Fr. Antonius de Mattheis, Ordinis S. Francisci de Observantia, Provinciæ Bosniæ Provincialis, confirmatus est & consecratus in Episcopum Bosniæ die 26. Augusti, Anno 1573.

Fr. Franciscus de S. Stephano, Minister Provincialis, Ordinis FF. Minorum de Observantia, confirmatus 14. Novembris, 1588.

Nicolaus, 1591.

Georgius (juxta Archivum Romanum Ludovicus) Uylaki, confirmatus 20. Decembris, 1600.

Franciscus Ergelius, Præpositus Ecclesiæ Zagrabiensis, consecratus ad Ecclesiam in partibus infidelium 30. Julij, 1607.

Joannes Telegdi, Præpositus Major Strigoniensis, confirmatus 27. Januarij, 1610.

Thomas Balasfi. 1618.
Stephanus Sennyei. 1622.
Joannes Posgai. 1628.
Comes Vincentius Zuggoni.
Joannes Tomko Mrnyarwsich., confirmatus 10. Novembris 1631. SS. Theologiæ Doctor.
Fr. Thomas Marnyawsich, ex Ordine S.Francisci de Observantia, 1639.
Fr. Marianus Maranish. 1649.
Fr. Matthæus Bealics. 1662.
Fr. Nicolaus Plumbeus, Ordinis. S. Francisci strictioris Observantiæ, SS. Theologiæ Lector, confirmatus die 1. Septembris, 1670.

CATALOGUS XXVI.

Episcoporum Corbaviensium.

Matthæus. 1185.
Vitus. 1435.
Franciscus. 1458.
Nicolaus. 1462.
Christophorus Ragusini. 1490.
Vitalis Nicolichi de Flumine, confirmatus 8. Aprilis, 1499.
Nicolaus Keselö. 1520.
Hermolaus de Hermolais.
Evangelista de Braschy, Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassanensis Professus, confirmatus die 17. Augusti, Anno 1537.
Didacus de Loysa, Canonicus Regularis S. Augustini, Magister in Theologia, Suæ Majestatis Cæsareæ Capellanus, confirmatus 11. Martij, 1538.
Albertus Divinius de Cathuro, Ordinis FF. Prædicatorum, Theologiæ Professor, confirmatus die 26. Julij, 1549.
Laurentius de Garralis, & Bergam, Ordinis FF. Prædicatorum, Theologiæ Professor, confirmatus 17. Juli., 1550.
Dionysius Pioppius, Ordinis FF. Prædicatorum, Theologiæ Professor, confirmatus 17. Julij, 1560.
Joannes Telegdi. 1608.
Joannes Posgai. 1635.
Joannes Tomko Mernyawsich. 1638.
Joannes Salix, Cisterciensis Abb. 1655.
Matthæus Szent Tamasi. 1659.
Georgius Horvàth. 1681.
Valentinus Drugeth de Homonna.
Stephanus Dojchich, Canonicus Zagrabiensis. Vivit, & Vivat!

CATALOGUS XXVII.

Archi-Episcoporum Spalatensium, in Dalmatia.

Præmitto 1. Spalatensem Ecclesiam, & Dioecesim esse eandem, quæ ab initio prædicationis Evangelij in Dalmatia, vocabatur Salonensis. Præ-

Præmitto 2. Primum, qui Illyrijs prædicavit Evangelium, fuiſſe S. Paulum Apoſtolum, qui ab Hieruſalem prædicando Evangelium, venit ad fines úſque Illyrij, non tamen per ſe ipſum intravit Illyrium (cujus pars Dalmatia quóque fuit) ſed eò miſit Titum diſcipulum ſuum, ſicut ipſemet ſcribit ad Timotheum: *Creſcens abijt in Galatiam, Titus in Dalmatiam.*

Præmitto 3. Solonam fuiſſe Metropolim Dalmatiæ, Urbem potentem, magnam & antiquam.

Præmitto 4. S. Titum non diù manſiſſe in Dalmatia, ſed inde evocatum fuiſſe à S. Paulo, & ab eodem conſtitutum Epiſcopum Cretæ Inſulæ.

Præmitto 5. Poſt diſceſſum S. Titi in Dalmatiam à S. Petro Apoſtolo miſſum fuiſſe *Domnium* nomine ſuum diſcipulum, natione Syrum, patriâ Antiochenum, qui Dalmatiæ populis, Verbum Vitæ, quod per Titum inchoatum fuerat, prædicaret.

Præmitto 6. S. Domnium fixiſſe ſuam Sedem Salone, adeóque fuiſſe primum Epiſcopum Salonenſem.

Præmitto 7. Deſtructâ & eversâ per Barbaros Urbe Salonâ, Sedem Epiſcopalem fuiſſe translatam, in Urbem Spalatenſem, quæ ædificata eſt ex ruinis Salonæ, ad palatium Diocletiani Imperatoris patria Salonenſem quod is extruxerat, nuncupabatúrque Salonæ Palatium latum, vel Salonæ Palatium lætum, & poſtea per contractionem dictum eſt Spalatum.

Præmitto 8. Olim cùm pleno jure fuiſſet ſubjecta Dalmatia Coronæ Hungariæ, in publicis Regni Conventibus, & Comitijs. Archi-Epiſcopum Spalatenſem, habuiſſe inter Eccleſiaſticos tertium locum, nempe immediatè poſt Archi-Epiſcopum Colocenſem, átque poſt Spalatenſem, Archi-Epiſcopum Jadrenſem, ac demum Archi-Epiſcopum Raguſenſem.

Præmitto 9. Archi-Epiſcopum Spalatenſem eſſe, & ſcribi Primatem Dalmatiæ, & olim fuiſſe ejuſdem Metropolitam.

Sequitur nunc Ordo Epiſcoporum, ac dein Archi-Epiſcoporum Spalatenſium, & olim Salonotenſium.

1. S. Domnius.
2. Gazanus.
3. Sympherius.
4. Iſicius I.
5. Iſicius II.
6. Venantius.
7. Honorius I.
8. Maximus I.
9. Paſcaſius.
10. Cæſarius.
11. Juſtinus.
12. Clicerius.
13. Honorius II.
14. Januarius.

15. Sce-

15. Stephanus.
16. Honorius III.
17. Fruntinianus I.
18. Petrus I.
19. Proclinius.
20. Honorius IV.
21. Damianus.
22. Natalis.
23. Maximus II.
24. Fruntinianus II.
25. Theodorus I.
26. Justinianus.
27. Antoninus.
28. Maximus III.
29. Amabilis.
30. Joannes I.
31. Georgius I.
32. Theodorus II.
33. Joannes II.
34. Joannes III.
35. Petrus II.
36. Marinus I.
37. Martinus.
38. Marinus II.
39. Theodorus II.
40. Petrus III.
41. Leo I.
42. Joannes IV.
43. Joannes V.
44. Petrus III.
45. Martinus II.
46. Forminus.
47. Gregorius I.
48. Joannes VI.
49. Vernaculus.
50. Dometi.
51. Theodorus IV.
52. Vitalis I.
53. Georgius II.
54. Vitalis II.
55. Petrus IV.
56. Leo II.
57. Ursus.
58. Petrus V.
59. Georgius III.
60. Maximus IV.
61. Theodorus V.
62. Joannes VII. primus Archi Episcopus in Spalato.
63. Petrus VI.
64. Marianus.
65. Martinus III.
66. Leo III.
67. Petrus VII.
68. Justinus.
69. Januarius.
70. Fruntinianus III.
71. Paulus.
72. Martinus III. Comes Spalatensis.
73. Drabalis. Spalatensis Civis.
74. Joannes VIII. Patriâ Spalatensis.
75. Laurentius, sedit annis 40.
76. Crescentius.
77. Gregorius II. Patriâ Jadrensis.
78. Manasses. natione Hungarus.
79. Gaudius, Patriâ Spalatensis.
80. Absolon. natione Hungarus.
81. Petrus VIII.
82. Geraldus.
83. Raynerus. lapidatus à Sclavis, Anno 1180.
84. Petrus IX. natione Hungarus, postea Archi-Episcopus Colocensis.
85. Petrus X. natione Hungarus.
86. Bernardus. sedit annis 19.
87. Guazellus. natione Hungarus, sedit annis 28.

88. Hugrinus. natione Hungarus.
89. Rogerus, natione Appulus, ſedit annis 16.
90. Joannes IX.
91. Petrus XI.
92. Balianus. obijt 1328.
93. Dominicus. Civis Spalatenſis, obijt 1348. ſedit annis 19.
94. Hugulinus. 1351.
95. Andreas.
96. Pelegrinus. natione Neapolitanus.
97. Doynius. natione Spalatenſis.
98. Petrus XII. obijt 1428.
99. Franciſcus. natione Venetus.
100. Bartholomæus. nat. Padvanus.
101. Jacobinus. natione Venetus, obijt 1451.
102. Laurentius Zane. Venetus Patritius.
103. Joannes Averoldo.
104. Fuſcarus.
105. Bartholomæus.
106. Bernardus Zane.
107. Andreas Cornelio.
108. Marcus Cornelio.
109. Aloyſius Michaël.

Hucuſque ſe extendit Catalogus Archi-Epiſcoporum Spalatenſium, apud Joannem Lucium, de Regno Dalmatiæ, & Croatiæ, ex Summa Hiſtoriarum, à Cutheis, de Geſtis Civium Spalatinorum.

CATALOGUS XXVIII.

Reliquorum Archi-Epiſcopatuum, & Epiſcopatuum Dalmatiæ.

Noto primò. Poſt Archi-Epiſcopatum Salonenſem ſeu Spalatenſem, eſſe duos alios Archi-Epiſcopatus in Dalmatia, nempe Jadrenſem, & Raguſanum.

Noto 2. Jaderam, (quæ nunc ab Italis Zara dicitur) eſſe Urbem primariam Dalmatiæ, & probè munitam, in ora Maris Adriatici, à quo undique cingitur, quæ aliàs ſuberat Regibus Hungariæ, hodie verò Reipublicæ Venetæ paret, ab Anno 1409.

Noto 3. *Raguſam* pariter eſſe Urbem Dalmatiæ, ſed Liberam, & ſui juris, atque Reipublicæ cognominis caput, in ora ejuſdem Maris Adriatici, in confinio Albaniæ, ad radices montis Bergatij ſitam, in rupe maritima *Lan* dictam, egregiè munitam, & Emporium celebre, cum Arce fortiſſima, & portu capaci, ac tuto. Fuit autem ſub tutela Regni Hungariæ, olim integrè, & plenè, & nunc quóque pro ſupremo Capite Regem Hungariæ recognoſcit, licèt & Turcis ſit tributaria annuatim ſolvendo, 12500. Aureorum, ſed eo pacto, ut ejus Cives ſint immunes, ab omnibus vectigalibus, & tributis, per totum Turcicum Imperium, in quo etiam habent decem Colonias cum libero exercitio Religionis Catholicæ, ritûs Latini. No-

Noto 4. Sub Jadrensi Archi-Episcopatu tres esse Episcopos *Suffraganeos*, videlicet: Arbensem, Veglianensem, & Ausarensem, qui in Catalogo XI. omissus erat. Porrò *Arba* est Urbs parva, in Insula ejusdem nominis, in sinu Fanatico ad fines Liburniæ. *Veglia* similiter est Urbs Dalmatiæ, in Insula ejusdem nominis cum portu satis tuto, utráque hæc Insula patet nunc Venetis, ab Anno 1430. cùm Veglia antea fuisset, sub Comitibus Frangepanibus ex indulto Regum Hungariæ. *Ausarensis* demum Civitas est in *Abroro* Insula Liburniæ, quæ nunc vulgò *Osero* nuncupatur, éstque Vigiæ, seu Vegliæ Insulæ proxima, sex tantùm millibus passuum ab eadem distans.

22. Straska ſive Straſa aliàs Neerer, in Scepuſio.
23. De Saáros, Diœceſis Agrienſis, prope Eperjeſinum.
24. S. Spiritûs, Quinque Eccleſijs, Monialium.
25. S. Stephani Regis, prope Loſſoncz.
26. S. Stephani Protomartyris, in Suburbio Budenſi.
27. Stola S. Joannis Baptiſtæ, aliàs Batizfalva, in Scepuſio.
28. Szeremcz, in Diœceſi Weſprimienſi.
29. Tapalocz Monialium prope Criſium, in Sclavonia.
30. Turda.
31. Tornova Monialium, in Comitatu Barſienſi.
32. Verôcze, Monialium.
33. De Ugra.
34. Vigles, in Strigonienſi Diœceſi.



CA-

CATALOGUS LIV.

Continens Abbatias, Præpositurás, & Monasteria, quæ ex suis Bonis antiquitùs fundârunt, Magnates, & Nobiles Hungariæ.

1. Abbatia S. Demetrij de Syrmio, juxta Savum, Diœcesis Quinque Ecclesiensis, Ordinis S. Benedicti, Anno 1057. fundavit Rada Palatinus Hungariæ
2. S. Jacobi de Silissio, in Comitatu Szaladiensi, Diœcesis Wesprimiensis, Ordinis S. Benedicti, 1064. fundavit Athya Palatinus Hungariæ.
3. S. Mariæ de Montè Gissimgs, aliàs Német-Ujvár, Diœcesis Jaurinensis, Ordinis S. Benedicti, 1175. fundavit Wolfferus Comes.
4. Janosi aliàs Jászt, in Comitatu Albensi, Diœcesis Wesprimiensis, Ordinis S. Benedicti, 1164. fundavit Laurentius Dux de Ujlak.
5. B. Virginis de Abraham, in Comitatu Bodrogiensi, Diœcesis Colocensis, Ordinis Cisterciensis, 1170. fundavit Moyses Palatinus Hungariæ, & ejus Frater Comes Alexander.
6. Erchi S. Nicolai, in Comitatu Albensi, Diœcesis Wesprimiensis, Ordinis Cisterciensis, 1260. fundavit Thomas Palatinus Hungariæ,
7. S. Stephani de Bozok, in Comitatu Hontensi, Diœcesis Strigoniensis, Ordinis Præmonstratensium, 1139. fundavit Comes Lambertus.
8. Rajk B. Virginis, in Comitatu Szaladiensi, Diœcesis Wesprimiensis, Ordinis Præmonstratensium, 1239. fundavit Familia Banfiana, de Alsó Lendva.
9. S. Margarithæ, in Peleske, incertæ Diœcesis, Monialium Ordinis S. Dominici, 1234. fundavit Comes Arnoldus ex Familia Banfiana.
10. S. Joannis Baptistæ de Veres Márton, Diœcesis incertæ, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, 1302. fundavit Familia Chobanka.
11. B. Virginis de Gombaszeg, Diœcesis Varadinensis, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, 1471. fundavit Georgius & Ladislaus Bebék de Pölscitz.
12. Laád propè Onodinum, Diœcesis Agriensis, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, 1387. fundavit Georgius & Petrus Czudár.
13. De Toky, in Superiori Hungaria, incertæ Diœcesis, Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ, 1469. fundavit Emericus Zapollya.
14. Corporis Christi de Hungaria, in Comitatu Ungvariensi, Diœcesis Agriensis, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, 1384. fundavit Familia Drugeth.
15. De Stecza, in Sclavonia, Diœcesis Zagrabiensis, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, 1374. fundavit D. Joannes Besenyei.

16. Sa-

16. De Sancto Hieronymo, propè Varadinum, Dœcesis Varadinensis, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, 1335. fundavit Familia Fŭgi.
17. De Fôld, in Comitatu Simigiensi, Diœcesis Wesprimiensis, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, 1395. fundavit Relicta Vidua D. Nicolai Zambo.
18. S. Petri de Simigio, in Comitatu Simigiensi, Diœcesis Wesprimiensis, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit Familia de Kanisa.
19. S. Benedicti, in Sclavonia, Diœcesis Zagrabiensis, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, 1300. fundavit Comes Salamon.
20. De Csâk Tornya ad S. Helenam, Diœcesis Zagrabiensis, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, 1376. fundavit Stephanus Vajvoda Transylvaniæ.
21. Lŭ poglava, in Croatia, Diœcesis Zagrabiensis, Ordinis S. Pauli primi Erumitæ, 1481. Restaurata à Joanne Corvino Juniore.
22. B. Virginis de Enyere, in Comitatu Szaladiensi, Diœcesis Wesprimiensis, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, 1339. fundavit Familia de Enyere.
23. De Chatka, Diœcesis Wesprimiensis, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, 1361. fundavit Nicolaus Kont Regni Hungariæ Palatinus.
24. De S. Salvatore, in Dalmatia, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, 1411. fundârunt Cives Segnienses.
25. Annunciatio B. M. Virginis, propè Castrum Bolondocz, Diœcesis Strigoniensis, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, 1430. fundavit, Striborius.
26. De Butan, in Dalmatia, fundârunt Nobiles ejusdem Provinciæ.
27. S. Ladislai, & Sigismundi Regum, in Kis Bathe, 1398. fundavit Nicolaus Zombo.
28. S. Nicolai, in Dalmatia, Diœcesis Spalatensis, S. Pauli primi Eremitæ, 145. fundavit Martinus Comes de Frangepanibus.
29. De Pathalan, in Partibus Transylvaniæ, Diœcesis Varadinensis, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, 1382. fundata à Familia Chibak de Mind-Szent.
30. Szalonok, in Terminis Hungariæ versùs Styriam, Diœcesis Jaurinensis, Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ, 1475. fundavit D. Andreas Paum Kircher.
31. De Terebes, in Superiori Hungaria, Diœcesis Agriensis, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, 1519. fundavit Emericus Prinyi Palatinus Hungariæ.
32. De Vâson, in inferiori Hungaria, Diœcesis Wesprimiensis, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, 1483. fundavit Paulus Kynisi.
33. De Kormônd, Ordinis Gvilelmitarum, fundavit Dionysius de Oklich Regni Hungariæ Palatinus.
34. Eczek, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit Nicolaus Kont, Regni Hungariæ Palatinus.

35. B.

35. B. Virginis de Czepicz, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit D. Philippus Grothniker.

36. De Bodrok, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit D. Andreas de Kenazymnuchona.

37. S. Jacobi in Szala, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit Familia de Gyula, de genere Pathocz.

38. S. Laurentij Budæ, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit Joannes Comes de Ovár.

39. S. Nicolai de Bethehyda, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit D. Petrus de Gyögh.

40. Omnium Sanctorum, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit D. Thomas de Uycz.

41. S. Hieronymi, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit Comes Nicolaus de Chanad.

42. De Garith B. M. Virginis, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit D. Hermanus de Gresencha.

43. B. Virginis Assumptæ, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit D. Clemens de Patach.

44. S. Ladislai in Szerdahely, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit Comes Nicolaus de Ders.

45. B. Virginis de Eczen, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit D. Thomas de Baxa.

46. S. Annæ in Comitatu Gömöriensi, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundârunt DD. Lazarus & Dominicus de Hangen.

47. B. Virginis de Monyorokerék, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit D. Bertholdus Ellerbach.

48. De Wiköz, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit Comes Emericus Perenyi.

49. De Ranna, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit D. Baro de Nisdegh.

50. Modrusiense Monasterium, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundârunt Comites de Frangepanibus.

51. De Sub Castro Novi in Istria, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit Comes Martinus de Frangepanibus.

52. De Porva, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit Ladislaus de Gara.

53. De Paumgordt, fundavit D. Baro de Gravennek.

54. Monasterium Tokaiense, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, fundavit D. Comes Emericus Zápolya.

CATALOGUS LV.

Continens Nomina Monasteriorum, quæ fundârunt vel auxerunt fundationem ipsi Religiosi ex suis Hæreditatibus.

1. S. Ladislai de Kiket, in Comitatu Baroniensi, extruxit Magister Conradus de Ovár.
2. S. Ladislai in Comitatu Simigiensi, fundavit Magister Nicolaus filius, Dérs Comitis, Anno 1335.
3. De Dobra Kuttya S. Annæ, in Comitatu Crisiensi, fundavit Magister Benedictus, 1411.
4. De Istria ad Lacum extrui fecit Frater Conradus, 1287.
5. De Dubicza in Dalmatia, extruxit Frater Isquirinus, 1270.
6. In Insula Hernadi, Aba Ujvár Comitatûs, circa Vallem Kőzép, extruxit Frater Aegidius, 1319.
7. In Jenő Majori, fundavit Frater Gregorius, 1266.
8. S. Petri de Szlatka Gora, fundavit Frater Gerardus.
9. S. Crucis in Pilsio, B. Eusebius, primus Provincialis Ordinis S. Pauli primi Eremitæ.
10. Monasterium de Gurich B. M. Virginis, extruxit Frater Tiburtius.
11. De Tholna S. Pauli, Frater Stephanus.
12. De Székely-higya seu Szent Király, Frater Joannes Thót, & Frater Ladislaus Bulgar.

CATALOGUS LVI.

Continens Nomina Præpositurarum, Abbatiarum, & Monasteriorum, quæ authoritate Regiâ, & Apostolicâ, ex consensu Summi Pontificis translata sunt ex uno Ordine, ad alium Religiosum Ordinem.

Abbatia Erchi S. Nicolai Confessoris, Cistercensium, translata est ad Eremitas S. Augustini, Anno 1499.

Præpositura Sambok Præmonstratensium, translata est ad PP. Paulinos, 1475.

Ban Monostra olim Crucigerorum, postea transijt ad PP. Minoritas.

S. Demetrij, olim fuit Abbatia Benedictinorum, postea transijt ad Conventuales.

Székely Vásárhely, prius fuit Conventualium Monasterium, postea datum est PP. Franciscanis de Observantia. Pe-

Peſtienſe S. Petri Monaſterium, olim fuit Conventualium, poſtea datum eſt ijſdem RR. PP. Franciſcanis de Obſervantia.

S. Andreæ propè Viſſegrad, Abbatia Benedictinorum, poſtea data eſt RR. PP. Paulinis, 1494.

S. Euſtachij in Inſula Leporum, Præpoſitura Præmonſtratenſium, poſtea data eſt ijſdem RR. PP. Paulinis, 1475.

De Váraſd Crucigerorum beneficium, datum eſt poſtea PP. Minoribus.

Aracha, olim fuit Abbatia, poſtea data eſt PP. Minoribus.

Patakienſe aliàs de Saáros-Patak, olim Conventualium, datum poſtea Obſervantibus, ſub Nicolao V. Papa, 1447.

Monaſterium Poka-falva, olim Eremitarum Paulinorum, datum eſt Obſervantibus, 1497.

Sabarienſe Hoſpitale Infirmorum Colomannus Epiſcopus Jaurinenſis, commutavit in Conventum Minoritarum, Anno circiter 1360.

Monaſterium Szechénienſe Conventualium, datum poſtea RR. PP. Franciſcanis de Obſervantia, 1466.

Strigonienſe B. M. Virginis, fundavit Bela IV. pro Conventualibus, datum poſtea Obſervantibus, 1448.

Telegdienſe, olim Templariorum, datum poſtea RR. PP. Franciſcanis, 1335.

Monaſterium Tyrnavienſe, olim fuit alterius Ordinis, datum poſtea Minoritis à Ludovico I. Rege, & nunc eſt RR. PP. Franciſcanorum ſtrictioris Obſervantiæ.

Criſienſe B. M. Virginis Aſſumptæ, olim fuit Eremitarum S. Auguſtini, datum poſtea eſt Obſervantibus, 1628.

Eccleſia S. Stephani Rotundi, fundatio fuit Romæ pro Collegio 12. Canonicorum Hungaricæ Nationis, quibus deficientibus, data eſt à Nicolao V. Papa, PP. Paulinis Eremitis, ac tandem à Gregorio XIII. eſt incorporata Collegio Hungarico-Germanico S. Apollinaris ibidem.

Abbatia Zobor S. Hyppolyti Martyris, fuit Benedictinorum, applicata eſt poſtea ad Epiſcopatum Nitrienſem. Uti & S. Benedictus aplicatns eſt Venerabili Capitulo Strigonienſi. Et S. Crux, ipſi Archi-Epiſcopatui.

Præpoſitura Széplak Præmonſtratenſium, data fuit priùs Collegio Societatis JESU Tyrnavienſi, & poſtea per ceſſionem ultroneam applicata eſt pro Seminario S. Stephani Regis Hungariæ, Tyrnavienſi.

Præpoſitura Thuroczienſis Præmonſtratenſium, data eſt à Rudolpho II. ad inſtantiam Cardinalis Draskovitii, pro fundatione Collegij Tyrnavienſis Societatis JESU.

Abbatia de Rupibus, vulgò Szkalka, applicata eſt pro Collegio Trenchinienſi ejuſdem Societatis JESU.

Præpoſitura Miſlenſis redempta eſt è manibus ſæcularium, & ab eo qui eam ſuâ pecuniâ redemerat, donata Collegio Caſſovienſi ejuſdem Societat. JESU.

Præpoſitura de Bozók S. Stephani Regis, eliberata eſt è manibus ſæcularium, & collata eſt Collegio & Seminario Szelepcheniano B. V. Tyrnavienſi.

Præpoſitura de Porno, data eſt pro fundatione Collegij Sopronienſis ejuſdem Societatis JESU.

Præpoſitura Sagienſis, data eſt pro fundatione Collegij Neozolienſis Societatis JESU.

Præpoſitura de Sztavnik, redempta eſt è manibus ſæcularium per Georgium Széchény Archi-Epiſcopum Strigonienſem, & ab eo data eſt pro fundatione Collegij Agrienſis ejuſdem Societatis JESU. Sic & Beneficium Lapidis Refugij olim Carthuſianorum, datum eſt Collegio Leutſchovienſi ejuſdem Societatis JESU.

Circa has autem poſtremas Translationes, exſtat *Articul. XII. Regni, Diætæ Poſonienſis, Anni* 1548. Quô Decretum eſt, ut Bona Monaſteriorum, & Clauſtrorum deſertorum, ad inſtaurationem Scholarum, earúmque Magiſtrorum intertentionem, applicentur.

Et Articulus XIX. Diætæ Poſonienſis, Anni 1550. *ſic habet.*

Dignetur etiam Majeſtas Sua, Quemadmodum Anno ſuperiore, concluſum erat, Bona & Proventus Eccleſiarum, & Conventuum deſertorum, ad erectionem Scholarum, Doctorúmque Virorum ſuſtentationem ſine diuturniori mora, ubique converti facere, & tergiverſantes, Authoritate Suâ Regiâ Compellere, quo ſic Viris Doctis in regno conductis, Scholiſque erectis Divinus cultus, & Religio priſtina, paſſim celeriùs repululet, Quemadmodum Majeſtas Sua, benignè ſe facturam obtulit.

CATALOGUS LVII.

Continens Numerum Abbatiarum, & Præpoſirurarum, quæ defactò ſunt præ manibus ſæcularium Dominorum.

1. Landek, fuit Præmonſtratenſium.
2. Lechnitz, fuit Carthuſianorum.
3. Nova Curia aliàs Uj-Udvar, fuit Cruciferorum.
4. Dravecz propè Leutſchoviam, in Scepuſio.
5. Gagz, in Comitatu Aba-Ujvárienſi.
6. Harabko, in Comitatu Saároſienſi.
7. Hunſdorff, in Scepuſio, fuit Cruciferorum.
8. Straska ſive Straſa, in Scepuſio.
9. Rikno, propè Krompak.
10. Saáros, juxta Eperjes.
11. Stola S. Joannis Baptiſtæ aliàs Batis-talva, in Scepuſio.

12. Végles, olim Cruciferorum.
13. Bors Monostra, propè Kőszegh.
14. Lebeny S. Jacobi, in Comitatu Mosoniensi.
15. Ludány SS. Cosmæ & Damiani, in Comitatu Nitriensi.

His accedunt Gissing, Madocza, Tarkany, Szerencz, & alia quampluri-ma Beneficia Ecclesiastica.

CATALOGUS LVIII.

Causarum, & Occasionum, ex quibus tot Florentissimi Ordines Religiosi in Hungaria, intra paucorum Annorum spatium prioris Sæculi, totaliter ferè defecerunt.

Rectè notat Cardinalis Pazmannus in fine Appendicis Secundæ Synodi Tyrnaviensis. Non Legibus exclusos è Regno Hungariæ tot Religiosos, sed metu irruentis Turcæ à trepidis fugientibus vacua relicta fuisse Monasteria, & Inter-Regum pro Corona pugnâ, à viris sæcularibus occupata, ægrè per Clerum nonnulla recuperata.

Prima igitur hujus tantæ ruinæ, tot florentissimorum Ordinum Religiosorum in Hungaria, occasio fuit, funestissima clades Ludovici II. Regis Hungariæ, in prœlio cum Turcis, in Campo Mohácz temerè à Tomoræo, Hungarici Exercitûs Duce commisso, in hoc siquidem fatali prœlio præter ipsum Regem, plurimósque Magnates, ac universum Exercitum Hungarorum, partim cœsum, partim fugatum, plerique etiam Episcopi, ac Prælati occubuêre; Et nominatim Ladislaus Zalkanus Archi-Episcopus Strigoniensis, Paulus Tomoræus Archi-Episcopus Colocensis, & Ductor Exercitûs. Franciscus Perényi Episcopus Varadinensis, Philippus More Episcopus Quinque Ecclesiensis, Blasius Paxi Episcopus Jaurinensis, Franciscus Chaholi Episcopus Chanadiensis, Georgius de Palina Episcopus Bosnensis. Accidit autem hæc Clades, Anno Christi 1526.

Secunda. Post hanc Cladem, contremiscente, & formidabili timore perculsâ totâ Hungariâ ipsâque Reginâ, Budâ profugiente, vacuâ Urbe relictâ, & à Solimanno Imperatore Turcarum occupatâ, imminentibúsque horrendis ac terribilibus Excursionibus Turcarum, quas Solymannus ad diversas partes Hungariæ post obtentam victoriam, & Budam Regiam Urbem in suam potestatem redactam dimiserat, ad universam Regionem, igne, ferróque vastandam, & homines ad miseram servitutem abducendos; perculsi Religiosi quóque qui proximiores erant, tanto periculo, relictis vacuis Monasterijs, ad tutiora se se recepêre, Regnóque excesêre, haud dubio,

eo animo, ut sedatis tumultibus ad sua rursus redirent, pristinisque pietatis exercitijs iterum vacarent.

Tertia. Interim nova statim in Hungaria intestina eáque diuturna emersêre bella, cùm una pars Hungarorum Joanni Zápollya Transylvaniæ Vajvodæ, & Tokaini tumultuosè in Regem proclamato adhæreret; altera verò Ferdinandi Primi Archiducis Austriæ ac postea Romanorum Imperatoris, legitimè Posonij, in publicis Regni Comitijs Electi, & postmodum Albæ-Regali Coronati, jura, maxima animorum contentione tueretur.

Quarta. Continuatis dein his intestinis bellis, cùm Joannes Inter-Rex suis viribus se defendere contra Ferdinandi Regis potentiam diffideret, in Turcarum Fidem, & clientelam, cum maximo Christianæ Reipublicæ detrimento, cum perpetuo sui nominis dedecore, & cum extrema Regni pernice, sese dedidit. Ferdinandus Rex viciſſim Lutheranorum Principum Germaniæ operâ ad bellum hoc continuandum uti adactus fuit, sícque ille Turcis, hic verò novis sectis, (licèt hic occasionaliter tantùm) aditum in Hungariam aperuit.

Quinta. Cùm autem Joannes Inter-Rex, esset Ferdinando Regi impar sumptibus, ut amicos & fideles sibi compararet & conservaret, etiam beneficia Ecclesiastica sæcularibus non raro conferebat: Officiales quóque, & Generales Ferdinandi Regis eandem necessitatem sumptuum bellicorum causantes, Præposituras, & Abbatias Religiosorum, ac Monasteriorum desertorum Bona, hominibus Laicis, etiam Acatholicis, pro certis pecuniæ summis passim oppignorabant, erant siquidem Bona hæc tunc præ manibus Fisci Regij, nam juxta Patrias Leges Hungariæ, omnia Beneficia Ecclesiastica vacantia, ad Fiscum redeunt, & rediguntur.

Sexta. His accessit aviditas sæcularium Nobilium, & Magnatum, & præsertim Acatholicorum (uti etiam Civitatum Liberarum) bonis Ecclesiasticis inhiantium, quorum non pauci Præposituras, & Abbatias vacantes, earúmque bona, viâ facti, turbulentissimo illo tempore invaserunt ac occupârunt, imò & ipsos Episcopatus sibi usurpârunt. Sic Varadinensem Episcopatum occupaverat (ex consensu Joannis Inter-Regis) Emericus Cibak, Agriensem Perenius, Nitriensem Valentinus Török, Jaurinensem Paulus Baxius, Transylvaniensem Franciscus Bodo, Csanadiensem Caspar Borusithius. Sicut & alijs tumultuosis temporibus solebat per Hungariam accidere, in occupanpandis Bonis, Ecclesiasticis à profanis hominibus, sic tempore Belæ IV. occasione occupatæ Hungariæ à Tartaris, 40. Monasteriorum Ordinis S. Benedicti metu hostis derelicta, à diversorum Statuum hominibus fuêre occupata & discerpta.

Septi-

Septima. Aliquæ tamen Præpositure, & Abbatiæ Religiosorum fuêre adhuc conservatæ, per innatam pietatem Principum Austriacorum, qui easdem ne interirent, pro conservatione saltèm, Personis Ecclesiasticis conferebant ad hanc diem usque, verùm pleræque illarum, solos Titulos retinebant, Bonis earum vel à Turcis occupatis, vel à sæcularibus Dominis possessis; multò tamen plures earum, interim, vel militibus in stipendium sunt datæ, vel Nobilibus, & Magnatibus in prædam cessêre, aut ijsdem venumdatæ.

Octava. Ast, (ut bene advertit Florimundus Remundus, Historiâ de origine Hæresum modernarum lib. 4. cap. 6.) judico & ego cum eodem Authore: non errare illos, qui corruptionem Religionis Catholicæ, & tot Monasteriorum desolationem, ac simul Religiosarum Personarum defectionem adscribunt, & imputant, Episcoporum & Magistratûs publici, vel ignaviæ, vel impotentiæ, qui Scholas Diœcesium suarum, & Communitatum collapsas, & tantùm non eversas, instaurare nihil pensi habebant, ex quibus & Religionibus Sacris apta subjecta suppeditari, & Operarij Ecclesiæ formari ac subministrari potuissent.

Nona. Atque hâc occasione invaluêre in Hungaria, & Transylvania variæ Hæreses, quibus esto Episcopi se se opponere conabantur, prævaluit tamen violenta resistentia, Nobilium, & Magnatum, ex præda Bonorum Ecclesiasticorum participantium. Eò enim jam ventum fuerat, ut ante introductionem publicarum Scholarum Societatis JESU, in Hungaria in toto Regno non nisi tres Magnates numerarentur Catholici; ex Nobilibus verò vix ulli. Ut testis est P. Stephanus Arator, unus ex primis Patribus Nationis Hungaricæ, in suis Manuscripsis. Cùm tamen jam per DEI gratiam, potissimùm occasione harum Scholarum, omnes ferè Magnates sunt Orthodoxæ & Catholicæ Fidei, & è contra vix tres alicujus momenti inveniantur heterodoxi & Acatholici.

Decima. Hoc tamen prudentissimè observavit, magnus ille Cardinalis Petrus Pazmannus, quòd ferè omnes illæ antiquissimæ, & amplissimæ Familiæ, quæ Bona Ecclesiastica invaserant, vel iniquè à suis antecessoribus acquisitas possiderant, aut omninò defecerint, aut planè diminutæ sint.

Undecima. Porrò, idem pientissimus Princeps Ferdinandus Primus, considerans qualiter Regnum Hungariæ, olim florentissimum, non solùm potentiâ, viribus, opibus, & divitijs, sed vel maximè pietate, & Religione, in eum Statum redactum fuerit, ut quàm plurimum à pristino suo Statu deficeret, remedium adferre volens huic malo, Anno Christi 1560. publico Decreto, omnes suas donationes, inscriptiones, impignorationes, venditiones, & quovis modo à se factas, Bonorum Ecclesiasticorum abalienationes, cassavit ab integro, revocavit, abrogavit, penitúsque annullavit, útque ab alijs omnibus,

bus, & quibusvis, occupatæ Abbatiæ, & Præpositurae, & possessas, (exceptis ijs, quæ ad Scholas intertenendas deputatæ fuerint) pristinis suis Possessoribus restituantur seriò, ac severè demandavit. Hujus tamen Decreti executio varijs ex causis postmodùm impedita fuit, & finem suum sortiri non potuit.

Duodecimo. Nihilominus, cùm in eodem Decreto à Clementissimo Cæsare Prælatis Hungariæ facultas concessa fuisset, ut ex Bonis ejusmodi Ecclesiasticis vacantibus, partem aliquam ad erigendas, & intertenendas Scholas, & ludos literarios, in quibus juventus sub Præceptoribus Catholicis, ad profectum Religionis Christianæ erudiretur, convertere, & applicare possint. Non pauci Zelosissimi Hungariæ Prælati, promovendæ DEI gloriæ, & incremento Catholicæ Fidei studio ducti, hujusmodi Præposituras, & Abbatias, vel è sæcularium manibus, pecuniâ suâ, propriâ, ex industria comparatâ, redemptas, vel sibi à Rege Apostolico legitimè collatas, liberaliter ad præmentionatum, applicuêre finem. Ita, ut quidquid ferè Societas JESU in Hungaria Collegiorum, Residentiarum, Seminariorúmque, ac Convictuum habet, id Augustissimæ Domui Austriacæ, & Inclyto Clero Regni Hungariæ, adscribere debeat. Ut ex sequentibus patebit Catalogis.

CATALOGUS LIX.

Collegiorum Societatis JESU, & eorundem Fundatorum.

Collegium Agriense, fundavit Georgius Széchényi Archi-Episcopus Strigoniensis.

Collegium Alba-Juliense in Transylvania, fundavit olim Stephanus Báthori Poloniæ Rex, ejusdémque Frater Christophorus Báthori Transylvaniæ Princeps.

Cassoviensem Academiam, fundavit Benedictus Kisdi, Episcopus Agriensis.

Claudiopolitanum olim Collegium in Transylvania, & Academiam, fundaverat Stephanus Báthori Poloniæ Rex, ex proprio suo Patrimonio.

Budense Collegium & Academiam, fundavit Georgius Széchényi, Archi-Episcopus Strigoniensis.

Gŭnziense Collegium, fundavit idem Georgius Széchényi Archi-Episcopus Strigoniensis.

Jaurinense Collegium, idem Georgius Szechényi, dum adhuc esset Episcopus Jaurinensis.

Leutschoviense Collegium, fundavit Georgius Szelepchenyi Archi-Episcopus Strigoniensis.

Neo-

Neozolienſe Collegium, pro Patribus Tertiæ Probationis, fundavit Sereniſſimus modernus Rex Hungariæ JOSEPHUS I.

Poſonienſe Collegium, fundavit Eminentiſſimus Cardinalis Petrus Pazmannus, Archi-Epiſcopus Strigonienſis.

Poſonienſe alterum ad S. Salvatorem, fundavit Eminentiſſimus Cardinalis Leopoldus à Kollonicz Archi-Epiſcopus Strigonienſis.

Quinque-Eccleſienſe Collegium, fundavit Georgius Széchényi Archi-Epiſcopus Strigonienſis.

Strigonienſe Collegium, fundavit idem Georgius Széchényi Archi-Epiſcopus Strigonienſis.

Szakolczenſe Collegium, fundavit Georgius Szelepchényi Archi-Epiſcopus Strigonienſis.

Threnchinienſe Collegium, & Domum Probationis, fundavit Georgius Lippai Archi-Epiſcopus Strigonienſis.

Tyrnavienſe Collegium, fundavit Rudolphus Secundus Imperator, & Rex Hungariæ.

Ibidem Academiam, fundavit Eminentiſſimus Cardinalis Petrus Pazmannus Archi-Epiſcopus Strigonienſis.

Varaſdinenſe Collegium, fundavit Illuſtriſſima Familia Tonhauzeniana.

Ungvarienſe Collegium, fundavit Illuſtriſſima Familia Drugeth de Homonna.

Zagrabienſe Collegium, fundavit P. Ignatius Tonhauzen, ex ſuo Patrimonio.

CATALOGUS LX.
Reſidentiarum Societatis JESU, & Miſſionum ſtabilium ſub Corona Hungariæ.

Reſidentia Comaromienſis.
Reſidentia Gyöngyöſienſis.
Reſidentia Patakienſis.
Reſidentia Schemnicienſis.
Reſidentia Szakmarienſis.
Reſidentia Zolnenſis.
Reſidentia Thuroczienſis.
Reſidentia Udvarhelyienſis, olim, in Tranſylvania.

Miſſiones.

Alba-Regalenſis.
Caniſiana.
Eperjeſienſis.
Eſzekienſis.
Leopoldopolitana.
Nagy-Banenſis.
Petro-Varadienſis.
Poſegienſis.
Roſnavienſis.
Scepuſienſis.
Szigethana.
Vallis Dominorum.
Varadinenſis.

CATALOGUS LXI.

Convictuum, & Seminariorum, curæ & disciplinæ Societatis JESU commissorum, ac eorundem Fundatorum sub Corona Hungariæ.

Budense Seminarium Clericorum, fundatum à Georgio Széchényi Archi-Episcopo Strigoniensi.

Budensis Convictus Nobilium, fundatus ab eodem Archi-Episcopo.

Cassoviense Seminarium Clericorum, fundatum à Benedicto Kisdi Episcopo Agriensi, cujus fundationem auxit Thomas Palffi ab Erdőd, ejusdem Diœcesis Episcopus. Cassoviensis Convictus Nobilium, Fundatus à Magnifica Domina Susanna Balassa de Gyarmath.

Jaurinense Seminarium Clericorum, fundatum à Nicolao Dalos Episcopo Jaurinensi.

Jaurinensis Convictus Nobilium, fundatus à Georgio Széchényi Archi-Episcopo Strigoniensi.

Leutschoviensis Convictus Nobilium, ab eodem Archi-Episcopo Széchényi fundatus.

Posoniense Seminarium Clericorum, fundatum ab Emerico Losi Archi-Episcopo Strigoniensi.

Threnchiniensis Convictus Nobilium, fundatus à Georgio Széchényi Archi-Episcopo Strigoniensi.

Tyrnaviense Collegium Generale Cleri Regni Hungariæ, fundatum à diversis Prælatis Hungariæ, Authore Georgio Lippai Archi-Episcopo Strigoniensi.

Tyrnaviensis Convictus Nobilium, fundatus à Ferdinando Secundo Cæsare & Rege Hungariæ, & ab Eminentissimo Cardinali Petro Pazmanno Archi-Episcopo Strigoniensi, quæ fundatio est restaurata, & reposita de novo, ab Eminentissimo Cardinali à Kollonicz Archi-Episcopo Strigoniensi, & tam à Sua Majestate Cæsarea Regiàque quàm à Sua Sanctitate confirmata.

Tyrnaviense Seminarium Clericorum Sancti Stephani. fundatum est ab Eminentissimo Cardinali Petro Pazmanno.

Tyrnaviense Seminarium B. M. Virginis, fundatum à Georgio Szelepchenyi Archi-Episcopo Strigoniensi.

Tyrnaviense Seminarium Sancti Adalberti, fundatum est à diversis Benefactoribus.

Varasdinense Seminarium, fundatum est à Perillustri Domino Joanne Szakmardi, Regni Prothonotario.

Zagrabiense Seminarium, fundatum à Comitibus de Frangepanibus.

Hu

Huc addi debent Collegium Pazmannianum Viennense Clericorum, fundatum ab Eminentissimo Cardinali Pazmanno Archi-Episcopo Strigoniensi.

Item Collegium Croaticum Clericorum, Viennæ. Vener. Capit. Zagrabiensis.

Item Collegium Hungaricum Clericorum, adjunctum Germanico ad S. Apollinarem Romæ, fundatum à Gregorio XIII. Summo Pontifice.

Item Seminarium Bonnoniense, fundatum à quodam D. Canonico Zagrabiensi, natione Hungaro.

Fuit etiam olim Claudiopoli in Transylvania, Seminarium fundatum ab eodem Gregorio XIII. sed hoc invidia, & pravitas hæretica evertit.

Aluntur verò in his Seminarijs, & Convictibus continuè quà Ecclesiastici, quà sæculares Juvenes, ex partibus Coronæ Hungaricæ subjectis, minimùm 460. Et insuper pauperes Studiosi, ex ijsdem, ac ex ipsis Domicilijs Societatis, longè plures, quàm 300.

CATALOGUS LXII.

Parochiarum Exemptarum, quarum licèt aliquæ sint in Diœcesibus aliorum Episcoporum, immediatè tamen subsunt dispositioni Archi-Episcopi Strigoniensis, tanquàm Metropolitæ.

1. Plebanus de Achk. 2. Albæ-Regalis ad B. Virginem, & S. Jacobum. 3. Alkeszi. 4. Sancti Antonij. 5. Apati propè Szakmarinum. 6. Aranyas. 7. Babaszek. 8. Bachuzo. 9. Baita. 10. Bank. 11. Bakabánya. 12. Bereg. 13. Bereg-Száz. 14. Budensis ad B. Virginem. 15. Ibidem ad Sanctam Mariam Magdalenam. 16. Ad Sactum Petrum in Suburbio Budensi. 17. Ibidem ad Sanctum Martinum. 18. Ibidem ad Sanctum Gerardum. 19. Ibidem ad superiores Aquas calidas. 20. Bulchu. 21. Cseek. 22. Chóv. 23. Cremniczia. 24. Sanctæ Crucis. 25. Damás Regali. 26. Deáki. 27. Demes. 28. Diluva. 29. Dobronya. 30. Domanik. 31. Dorog. 32. Epel. 33. Felkeszi. 34. Galambok. 35. Gilnicza in Scepusio. 36. Hereg. 37. Jászó. 38. Jász-Berény. 39. Jeklen in Scepusio. 40. Ilova aliàs Ilsova. 41. Jezkaaz. 42. Karos. 43. Kősztőlőcz. 44. Kővusd. 45. Komárom majus. 46. Karpóna. 47. Krompak in Scepusio. 48. Kinigsperg. 49. Letkés. 50. Lipcha Teutonicalis. 51. Lipcha Slavonicalis. 52. Lővőld. 53. Libeta. 54. Marus. 55. De Monte Regio. 56. De Foro Monialium. 57. Nama seu Mana 58. Szakmár. 59. Németi. 60. Novizolium. 61. Olaszi in Scepusio. 62. Őrs Regale. 63. Őrs Archi-Episcopale. 64. Papa. 65. Pőlszűcz. 66. Pest. 67. Perbar. 68. Ponik aliàs Ponith. 69. Prink-falva. 70. Pűspőki propè Posonium. 71. Rosemberg. 72. Rosno. 73. Sajo Szent Péter. 74. Szakolcza. 75. Salmar. 76. Sambok. 77. Sá-

ros Patak. 78. Safad. 79. Segeſt aliàs Segôd. 80. Smelnicz aliàs Somolnok. 81. Semnicia. 82. Solna. 83. Somogy. 84. Sullok aliàs Sullah. 85. Szanto Abbatis. 86. Szaſz Berény. 87. Szentkiràly. 88. Szepſi, 89. Sziget fô. 90. Szôles propè Maromaros. 91. Tamás Várallya. 92. Tardos propè Hereg. 93. Tardos propè Márton-vásar. 94. Taxon. 95. Therennye. 96. Theŭk. 97. Tyrnavia. 98. Torna. 99. Varſany. 100. Verôcze. 101. Veterozolij ad S.Nicolaum. 102. Item ibidem ad S. Eliſabetham. 103. Ujhely. 104. Viſſegrad. 105. Zela, aliàs de Omnibus Sanctis. 106. Zelimba aliàs Helimba. 107. Zob. Hæc ex Appendice Prima Synodi Tyrnavienſis, Anni 1629.

CATALOGUS LXIII.

Magnorum Magiſtrorum Ordinis Sancti Joannis Hieroſolymitani Equitum.

Cùm Ordo hic Equeſtris Eccleſiæ utiliſſimus, habuerit olim ſub Corona Hungariæ complures Conventus, & Præceptoratus, atque Eccleſias, meritò his noſtris Catalogis interponimus, etiam Catalogum Magnorum Magiſtrorum ejuſdem Ordinis.

1. Frater Gerardus, primus Magiſter hujus Ordinis, fuit Anno 1099. obijt 1118.
2. Raimundus de Podio Delphinas, electus 1118. mortuus 1160.
3. Augerius de Balben, electus 1160. obijt 1163.
4. Arnaldus de Comps, electus 1163. obijt 1167.
5. Gilbertus Aſſajli ſeu Sajlly, electus 1167. abdicavit ſpontè 1169.
6. Gaſtus ſeu Gaſtes, electus 1169. obijt eodem Anno.
7. Jubertus, electus 1179. obijt 1179.
8. Rogerius de Molins, electus 1179. obijt 1187.
9. Garnerius de Neapoli, electus 1187. obijt 1188.
10. Ermengardus Aptenſis, electus 1188. obijt 1192.
11. Godefridus de Duyſſon, electus 1192, obijt 1194.
12. Alphonſus Luſitanus, electus 1194. abdicavit eodem Anno.
13. Godefridus de Rat Gallus. electus 1194. mortuus 1206.
14. Gvarinus de Monte acuto, electus 1206. obijt 1230.
15. Gerinus, electus 1230. obijt 1244.
16. Bertrandus de Comps, electus 1244. obijt 1238.
17. Petrus de Villebride, electus 1248. mortuus 1251.
18. Gvilielmus de Caſtel Novo Averniæ, electus 1251. obijt 1260.
19. Hugo de Revellus, electus 1260. obijt 1278.

20. Ni-

20. Nicolaus Lorgve, electus 1278. obijt 1288.
21. Joannes de Villi Gallus, electus 1288. obijt 1294.
22. Odo de Pins, electus 1294. obijt 1296.
23. Gvillelmus de Villareto, electus 1296. obijt 1308.
24. Fulco de Villaredo, electus 1308. depositus 1317.
25. Mauritius de Pagnaco, electus 1317. abdicavit 1323.
26. Leo de Villa Nova, Mauritio substitutus 1323. defunctus 1346.
27. Deodatus de Gazone, electus 1346. decessit 1353.
28. Petrus de Corneliano, electus 1353. defunctus 1355.
29. Rogerius de Pins, electus 1355. obijt 1365.
30. Raimundus Beringerius, electus 1365. abdicavit 1373.
31. Robertus de Juliaco, substitutus Raimundo, 1373. desijt vivere 1376.
32. Joannes Ferdinandus de Hereda, electus 1376. mortuus 1396.
33. Philibertus de Naillaco, electus 1396. obijt 1421.
34. Antonius Fluvianus de Ripa, electus 1421. è vivis decessit 1437.
35. Joannes de Lastic, electus 1437. obijt 1454.
36. Joannes de Milly, electus 1454. migravit ad superos 1461.
37. Petrus Raimundus Zacosta, electus 1461. mortuus 1467.
38. Baptista Ursinus, electus 1467. defunctus 1476.
39. Petrus de Abasson, electus 1476. obijt 1503.
40. Emericus Ambaciensis, electus 1503. obijt 1512.
41. Gvido de Blanchefort, electus 1512. mortuus 1513.
42. Fabricius de Caretto, electus 1513. extinctus 1521.
43. Philippus de Villiers, electus 1522. defunctus 1534.
44. Peltrinus de Ponte, electus 1534. mortuus 1535.
45. Desiderius de S. Jajlle, electus 1535. obijt 1536.
46. Joannes Diomedes, electus 1336. decessit 1553.
47. Claudius de La Sengle, electus 1553. mortuus 1557.
48. Joannes de Valletta, electus 1557. defunctus 1568.
49. Petrus de Monte, electus 1568. decessit 1572.
50. Joannes Episcopus Casseriæ, electus 1572. obijt 1581.
51. Hugo de Lobeur Cardinalis, electus 1582. mortuus 1595.
52. Martinus Garcias, electus 1595. decessit 1601.
53. Adolphus de Vignacourt, substitutus 1601. mortuus 1622.
54. Aloysius Mendez Vasconcella, electus 1622. defunctus 1623.
55. Antonius de Paula, electus 1636.
56. Joannes Paulus Lascaris, electus 1636. mortuus 1657.
57. Martinus de Redin, electus 1657. mortuus 1660.
58. Annetus de Gessan, electus 1660. defunctus eodem Anno.

59. Raphaël Cotener, electus 1660. obijt 1663.
60. Nicolaus Cotener, electus 1663.

CATALOGUS LXIV.

Reverendissimorum PP. Generalium Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ, in Hungaria.

Eremitas, per Hungariæ, partésque eidem adjacentes, priùs in montibus, & sylvis habitantes, primus in unum congregavit, ijsdémque, Cœnobium sub Titulo Sancti Jacobi in Patach exstruxit, Bartholomæus Episcopus Quinque Ecclesiensis, Anno Christi 1215.

Primus autem Sacri hujus Ordinis, Provincialis fuit B. Eusebius (ex Canonico Strigoniensi factus Eremita) Anno Christi 1250. Eidémque præfuit, ad Annum 1270.

Huic successit F. P. Benedictus, officióque Provincialis functus est, usque ad Annum 1289.

Tertius ejusdem Sacri Ordinis Provincialis fuit F P. Stephanus, ad Annum 1300.

Quartus F. P. Laurentius. Qui postmodum electus est in primum Generalem totius Ordinis, Anno Christi 1317. quod officium gessit, usque ad Annum 1325. quo obijt.

Hunc subsecuti sunt sequentes Generales.

2. F.P. Stephanus I. ad Annum 1340.
3. F.P. Nicolaus Teuthonicus. Qui officium resignavit, Anno Christi 1335.
4. F.P. Petrus I. usque ad Annum 1340. Post hunc F. P. Nicolaus Teuthonicus, iteratò
F. P. Petrus I. rursus reeligitur.
5. F.P. Petrus II. eligitur. 1351.
6. F.P. Nicolaus II. eligitur 1354.
7. F.P. Tristianus 1362.
8. F.P. Petrus III. eligitur 1367. Quo mortuo, 1369. reeligitur F.P. Tristianus.
9. F.P. Andreas I. eligitur 1371.
10. F.P. Petrus IV.
11. F.P. Thomas I. eligitur 1377.
12. F.P. Nicolaus III. eligitur 1381.
13. F.P. Georgius de Ethee, eligitur 1393.
14. F.P. Ladislaus I. 1410. quo spontè resignante officium Generalatûs, rursus reeligitur F.P. Georgius de Ethee 1412.
15. F.P. Petrus V. eligitur 1412. & præfuit annis decem.
16. F.P. Lucas eligitur 1489.
17. F.P. Franciscus, cognomento Pius 1431.
18. F.P. Benedictus eligitur 1434.
19. F.P. Martinus 1441.
20. F.P. Briccius.
21. F.P. Stephanus II. cognomento Insignis 1448.

22. F.P. Stephanus III. cognomento Furo 1452.
23. F.P. Vincentius 1446. cui in supplementum quarti anni Generalatûs substituitur F.P. Andreas, Generalis 24.
25. F.P. Joannes cognomento Macer 1460.
26. F.P. Petrus VI. cognomento Bonefili 1468.
27. F.P. Gregorius I.
28. F.P. Thomas de Sabaria.
F.P. Gregorius I. reeligitur iteratò, quo defuncto ad expletionem quadriennalis officij Generalatûs, eidem substituitur F.P. Valentinus Szegindeth Generalis 29. Post hunc Reeligitur F.P. Thomas de Sabaria 1484.
30. F.P. Petrus VII. de Zalonkemen, eligitur 1488.
31. F.P. Benedictus II.
32. F.P. Stephanus IV.
33. F.P. Nicolaus IV. quo mortuo, iteratò eligitur Stephanus IV.
34. F.P. Gregorius II.
35. F.P. Dominicus.
36. F.P. Joannes II. electus 1523.
37. F.P. Gregorius III. Gyöngyösinus 1528.
38. F.P. Joannes III. 1534.
39. F.P. Valentinus II.
40. F.P. Emericus 1540.
41. F.P. Franciscus I.
42. F.P. Gregorius IV.
43. F.P. Emericus Bakai 1553.
44. F.P. Thomas Hatai.
45. F.P. Georgius Cerasinus.
46. F.P. Michaël.
47. F.P. Petrus.
48. F.P. Stephanus Ternavinus 1576.
49. F.P. Simon Bratulich.
50. F.P. Joannes Zaicz.
51. F.P. Rudolphus Biell.
52. F.P. Martinus Gruskovich.
53. F.P. Nicolaus Staffenski.
54. F.P. Martinus Borkovich.
55. F.P. Paulus Ivanovich.
F.P. Martinus Borkovich reeligitur.
F.P. Paulus Ivanovich reeligitur.
56. F.P. Joannes Kéri.
57. F.P. Augustinus Benkovich.
58. F.P. Gregorius Byberij.
59. F.P. Raphaël Michalsky.
60. F.P. Ludovicus Barilovich.
61. F.P. Casparus Mallechich.

CATALOGUS LXV.

Continens nomina Archi-Abbatum S. Martini Sacri Montis Pannoniæ, Ordinis S. Benedicti, à tempore S. Stephani primi Regis Hungariæ, & Fundatoris, cum assignatione temporis, quoúsque uniuscujúsque Regimen duravit, & in quo desijt. Ex Archivo ejusdem Proto-Monasterij.

1. S. Anastasius dictus Astricus, Abbas Monasterij Breunoviensis in Bohemia à S. Adalberto constitutus, veniens ad S. Regem Stephanum, Anno Domi-

Domini 998. Primus ab eodem Proto-Cœnobij S. Martini, Præſul ordinatur, & privilegio omnium primo, cum decimis puerorum, & omnium rerum creſcentium integri, & totalis Comitatûs Simigienſis inſignitur, Anno 1001. Romam Legatione S. Regis fungitur, & poſt allatam divinitûs deſtinatam, ideóque Sacram Coronam à Silveſtro II. Summo Pontifice, Primus à S. Rege Stephano Archi-Epiſcopus Colocenſis creatur. Duravit Annis 6. deſijt Anno 1004.

2. S. Bonifacius I. poſt quatuor annorum curam Abbatialem, ad populos Iſtri, in Fide Chriſti inſtruendos à S. Stephano miſſus, ibidem in dilatatione fidei, pro eadem gladio percuſſus, Martyrio coronatur. Duravit Annis 4. deſijt 1008.

3. Henricus, ſub Benedicto VIII. Summo Pontifice, unus ex reliquis à Monaſterio Montis Caſſinenſis, juſſu Summi Pontificis in Hungariam miſſus, S. Sebaſtiano ex Monaſterio S. Martini, jam tunc in Primum Archi-Epiſcopum Strigonienſem aſſumpto chariſſimus, medio cujus, in Spiritualibus, & temporalibus plurimùm confortatur. Duravit Annis 19. deſijt 1027.

4. Deda I. ſub Benedicto IX. Sancto Mauro ex Monaſterio S. Martini in primum Epiſcopum Quinque Eccleſienſem aſſumpto familiariſſimus, medium ferè Regimen ſuum in varijs perſecutionibus ſub Petro Alemano, & Hungaris, in priſtinos errores majori ex parte redeuntibus perficit, & ab ijſdem poſt plurimas tolleratas ærumnas conficitur. Duravit Annis 14. deſijt 1041.

5. Albricus, ſub Gregorio VI. ſub quo poſt publica edicta reſipiſcentis Andreæ I. Regis Hungariæ, Conventus in perſecutionibus diſſipatus, iterum reſtauratur. Duravit Annis 7. deſijt 1048.

6. Ramerius, ſub S. Leone IX. Sancti Gerardi Primi Epiſcopi Chanadienſis, ex Monaſterio S. Georgij de Venetijs oriundi ſocius, Belæ, Salomoni, & Geyzæ Regibus gratiſſimus, ætate licèt langvidus, in florentiſſimum tamen Archi-Cœnobium redegit ordinem. Duravit Annis 27. deſijt 1075.

7. Gvala, ſub S. Gregorio VII. magnæ apud S. Ladislaum Regem venerationis, ſub quo Eccleſia S. Martini multis condecoratur prædijs, & poſſeſſionibus, ut videre eſt in deſcriptione bonorum ejuſdem Eccleſiæ, à Sancto Ladislao Rege privilegialiter impertita. Duravit Annis 23. deſijt 1098.

8. Petrus I. ſub Paſchali II. à quo pluribus Eccleſia S. Martini cumulatur libertatibus, & exemptionibus, in conſervatione Zelator exſtitit optimus, ut videre eſt in Bullario, num. 108. Duravit Annis 16. deſijt 1114.

9. Deda II. ſub B. Calliſto II. in tranquillitate gubernat, & ſub Stephano II. Rege, pientiores Hungarorum animos experitur, ut videre eſt Archivi num. 446. Duravit Annis 10. deſijt 1124.

10. Da-

10. David. Henrici Scines Comitis Frater, ſub Honorio II. & Innocentio II. plurimùm potuit apud Magnates Regni Hungariæ. Duravit Annis 23. deſijt 1147.

11. Raphaël, ſub Eugenio III. ſub quo inſigne illud Monaſterium B.M.V. de Monte Kiſzing, modò Német-Ujvár, à Valſero Comite Anno 1157. fundatum, cum jure Patronatûs Archi-Abbatiæ S. Martini ſubjicitur, & authoritas Abbates ejuſdem loci conſtituendi Archi-Abbatibus committitur, duravit Annis 12. deſijt 1159.

12. Reinaldus, ſub Alexandro III. à quo priorum libertatum, & exemptionum impetrat confirmationem. Duravit Annis 16. deſijt 1175.

13. Similis, ſub eodem, & Urbano III. à quo contra Demetrium Comitem, Abbatiam de Monte Kiſzing occupare volentem, fortiter defenditur. Duravit Annis 13. deſijt 1188.

14. Petrus II. ſub Clemente III. qui omnes libertates, & immunitates prioribus conceſſas eidem confirmat. Duravit Annis 8. deſijt 1196.

15. Joannes I. ſub Innocentio III. Regularis obſervantiæ Promotor eximius. Duravit Annis 10. deſijt 1206.

16. Urias, alijs Uros, vel Orez dictus, Vir maximarum experientiarum, cum Andrea II. Hungariæ Rege ad terram Sanctam proficiſcitur, & Monaſterium facilè tot prædijs, & poſſeſſionibus cumulavit, quot annis regnavit, ob ſingulares animi dotes, ab Innocentio IV. tempore fluctuantis Eccleſiæ, ad Concilium evocatur. Quæ, & quanta hic acquiſiverit, videre eſt in bullis Summorum Pontificum, & Privilegijs Hungariæ Regum, omnes acquiſitiones ejuſdem confirmantium. Duravit Annis 48. deſijt 1254.

17. Salomon, ſub Alexandro IV. pro quantitate ſui regiminis Eccleſiam S. Martini congruis, & utilibus auxit bonis. Duravit Annis 4. deſijt 1258.

18. Favus, ſub eodem, qui primus incepit munire montem in Inſula Balaton modò Sziglegeth dictum, cum omnibus bonis à Bela, & Stephano Regibus Hungariæ contra excurſiones Tartarorum muniendum, ſibi, & Eccleſiæ ſuæ collatum. Duravit Annis 5. deſijt 1263.

19. Ladislaus I. ſub Urbano IV. ex Abbate S. Salvatoris de Sexardio, in promovenda S. Martini juſtitia zeloſè decertat, & non parvum ſui deſiderium relinquit. Duravit Annis 3. deſijt 1266.

20. Bonifacius II. ſub Innocentio V. laudabili in cunctis moderamine potitur. Duravit Annis 15. deſijt 1281.

21. Hermanus. ſub Honorio IV. plurimis à ſæcularibus perturbatur litigijs, quia ſæcularis vitæ ſtatus (ut ſcribit Bela Rex Hungariæ,) ſemper pronior eſt ad iniqua, & cupiditas eorum nunquam ſuo novit jure contineri. Duravit Annis 14. deſijt 1295.

22. Jacobus. ſub Bonifacio VIII. tempore cujus plurimis Regnum agitatur perturbationibus. Duravit Annis 13. deſijt 1308.

23. Joannes II. cum quodam defectu in oculo à Conventu electus, quia tamen Medici aſſecurârunt eundem poſſe ſanitati reſtitui, confirmationem impetrat. Duravit Annis 5. deſijt 1313.

24. Ladislaus II. ſub Clemente V. tempore cujus ſpolijs, & prædis paſſim omnia permiſcentur, & bona Eccleſiarum à Potentioribus diripiuntur, ut jam tunc Regno, quis dicere potuerit, quod Valentiniano Civis quidam Romanus dixit: ſiniſtrâ tuâ dexteram tibi amputâſti. Duravit Annis 6. deſijt 11319.

25. Nicolaus I. ſub Joanne XX. multa perpeſſus in manutentione decimarum Comitatûs Simigienſis, quas Nobiles, & alij interturbare conabantur. Duravit Annis 16. deſijt 1335.

26. Vilhelmus alijs Willermus cognomento Hamer dictus, medio diſpenſationis Pontificiæ, ex Ordine Mendicantium, ad Ordinem S. Benedicti aſſumptus, huic Clemens VI. lamentabiliter in memoriam revocat, propter irruptiones Tartarorum 40. Monaſteria Ordinis S. Benedicti fuiſſe ruinata, & bona eorundem à diverſorum ſtatuum Potentibus occupata. Poſt regimen Annorum viginti & unius, Epiſcopatui Quinque Eccleſienſi præficitur. Duravit Annis 21. deſijt 1356.

27. Siffridus, alijs Seffridus, ab Innocentio VI. Ludovico Primo Regi Hungariæ plurimùm commendatur. Duravit Annis 8. deſijt 1364.

28. Uladislaus dictus Cvaar, olim Dux albus Cviariæ Ludovici Primi Hungariæ Regis Frater moritur 11. Novembris, ſub effigie marmorea ſepultus in Eccleſia S. Martini. Duravit Annis 14. deſijt 1378.

29. Paulus I. ſub Urbano VI. in recuperandis poſſeſſionibus, per injurias temporum diſtractis plurimùm deſudat. Duravit Annis 10. deſijt 1388.

30. Stephanus I. ab eodem Urbano VI. Regi, & Regnicolis Hungariæ crebriùs recommendatur, pro auxilio contra diſſipatores, & violentos occupatores bonorum Eccleſiæ S. Martini, eidem impertiendo. Duravit Annis 11. deſijt 1399.

31. Doſa alijs Doſe dictus, Inter-Abbas, & Commendatarius Eccleſiæ S. Martini. Duravit Annis 8. deſijt 1407.

32. Joannes III. olim Dux Opuliæ, Epiſcopus Wratislavienſis, & Gubernator Archi-Abbatiæ S. Martini Duravit Annis 11. deſijt 1418.

33. Nicolaus II. dictus aliàs Wenceslaus de Dombo, à Martino V. Sigiſmundo Regi in ſpecialem protectionem recommendatur, uti videre eſt in Bullario, num. 105. Duravit Annis 18. deſijt 1436.

34. Tho-

34. Thomas de Debrenthe, ſimul Epiſcopus Jaurinenſis, & Commendatarius Eccleſiæ S. Martini. Duravit Annis 20. deſijt 1456.

35. Ladislaus III. ob frequentiores ſeditiones, quæ in Regno graſſabantur, ægrè admodùm Regimine ſuo fungitur. Duravit Annis 11. deſijt 1467.

36. Dominicus, Præpoſitus ad S. Nicolaum de Alba, & Commendatarius Abbatiæ S. Martini. Duravit Annis 10. deſijt 1477.

37. Benedictus Piber, Caſtellanus Arcis Budenſis, & Adminiſtrator S. Martini. Duravit Annis 6. deſijt 1483.

38. Matthias I. ex Cuſtode Monaſterij Sancti Martini. Duravit Annis 15. deſijt 1498.

39. Matthæus de Tholna, ex Clerico Quinque Eccleſienſi in Ordinem Sancti Benedicti aſſumptus, & Archi-Abbas creatus, ſub quo Ordo Benedictinus tam Pontificijs, quàm Regijs Libertatibus, & Exemptionibus ſaluberrimis, de novo cumulatur, & omnes Abbates, ac Prioratus, Abbates non habentes, Archi-Abbati, ejúſque Capitulo poſt quodlibet triennium ab ipſo inſtituendo ſubjiciuntur, uti exſtant deſuper plurimæ Bullæ Summorum Pontificum, ad inſtantiam Regis, & Regnicolarum elargitæ. Hic prævidens turbationem Regni ob interitum Ludovici II. Regis, Archivum cum quibúſque pretioſis antiquitatibus ad Cameram Viennenſem defert omnibus inſcijs conſervandum. Duravit Annis 36. deſijt 1534.

40. Mickaël dictus de Jaurino, ex Priore electus, & Archi-Abbas confirmatus. Duravit Annis 8. deſijt 1542.

41. Comes Franciſcus Nyári Tutor, & Conſervator Monaſterij S. Martini. Duravit Annis 9. deſijt 1551.

42. Joannes IV. de Chanád, olim Abbas S. Mauritij de Bél, qui poſt octenne ſuum Regimen reſignavit Archi-Abbatiam ſequenti. Duravit Annis 8. deſijt 1559.

43. Ladislaus IV. ex Abbate S. Jacobi de Silizio, ſub Pio IV. Summo Pontifice. Duravit Annis 5. deſijt 1564.

44. Petrus Tordai, Inter-Abbas. Duravit Annis 3. deſijt 1567.

45. Stephanus II. de Fejérkővő Epiſcopus Nitrienſis, & Gubernator (diſſipator) Monaſterij S. Martini. Duravit Annis 25. deſijt 1592.

46. Paulus II. dictus Baranyai de Eőchen, qui unà cum Conventu poſt expugnatum à Turcis Jaurinum in Arce S. Martini obſeſſus, interficitur. duravit Annis 2. deſijt 1594.

47. Joannes V cognomento, Archi-Epiſcopus Colocenſis, Epiſcopus Jaurinenſis, Præpoſitus Albenſis, & Inter-Abbas S. Martini. Duravit Annis 8. deſijt 1602.

48. Georgius Himelreich à Scharffenberg, sub quo medio Patris sui Tiburtij Himelreich, Rudolphi, & Matthiæ Imperatorum Secretarij rursus in in lucem venit Archivum, quod octo prioribus ipsius Prædecessoribus erat ignotum. Duravit Annis 37. desijt 1639.

49. Matthias II. cognomento Palffi, sub quo Ordo Benedictinus iterum introductus cooperante, & plurimùm adjuvante Principe Antonio Episcopo Viennensi, & Abbate Cremisanensi. Duravit Annis 8. desijt 1647.

50. Andreas Placidus I. Magyer dictus, ex priore S. Martini electus, magnam sui in restauratione ædificiorum memoriam reliquit. Duravit Annis 20. desijt 1667.

51. Georgius Ægidius Genchij, sub quo Anno 1683. Monasterium à Turcis expugnatum, miserabilem in modum ruinatur. Duravit Annis 17. desijt 1684.

52. Matthias Gerardus Simonchics, ex Abbate S. Mauritij de Bél, & Superiore Residentiæ Modrensis, à Conventu electus. Duravit Annis 5. desijt 21. Novembris 1689.

53. Martinus Rumer ad S. Lambertum Professus, & Thesaurarius Cellensis, Conventualiter electus, & confirmatus, sub quo Conventus iterum restauratus in ordinem Regularem reducitur. Obijt piè & devotè, diem & horam obitûs sui exactè prædicens. Duravit Annis 4. desijt 6. Martij, 1693.

54. Placidus II. cognomento Lendvay modernus.

qVI nVnC CLaVstra regIs septenaqVe sæCVLa fInIs
oCtaVo plaCIDIs tV ostIa panDe noVIs.

CATALOGUS LXVI.

Admodùm Reverendorum PP. Generalium Societatis JESU, ab ejusdem in Hungariam ingressu.

A. R. P. Jacobus Lajnecz, sub quo invitata, & introducta est Societas JESU in Hungariam, Anno Christi 1559. Electus 1558. mortuus 1564.

S. Franciscus Borgias, electus 1565. mortuus 1580.

A. R. P. Everardus Mercurianus, electus 1573. mortuus 1580.

A. R. P. Claudius Aquaviva, electus 1581. mortuus 1615.

A. R. P. Mutius Vitelescus, electus 1615. mortuus 1645.

A. R. P. Vincentius Caraffa, electus 1646. mortuus 1649.

A. R. P. Franciscus Picolomineus, electus 1649. mortuus 1651.

A. R. P. Alexander Godefridus, electus 1652. mortuus eodem Anno.

A. R. P.

A. R. P. Goſwinus Nickl, electus 1652. mortuus 1664.
A. R. P. Joannes Paulus Oliva, electus 1664. mortuus 1681.
A. R. P. Carolus Noyelle, electus 1682. mortuus 1686.
A. R. P. Thyrſus Conſalez, electus 1687. Vivit, & Vivat!

CATALOGUS LXVII.

Reverendorum RR. PP. Provicialium Societatis JESU, Provinciæ Auſtriæ, ſub qua etiam Hungaria, eidêmque Partes annexæ continentur.

Primus R.P. Provincialis Auſtriæ, poſtquàm hæc fuiſſet ſeparata à Provincia Bohemiæ, fuit R. P. Gregorius Rumer.

2. R.P. Joannes Argenteus.
3. R.P. Chriſtophorus Dombrinus.
4. R.P. Georgius Forro.
5. Michaël Szumereker.
6. R.P. Florentius Montmorentius Viſitator.
7. R.P. Joannes Rumer.
8. R.P. Gvilelmus Lamormani.
9. R.P. Georgius Turkovich.
10. R.P. Joannes Buccelleni.
11. R.P. Zacharias Trinckelius.
12. R.P. Bernardus Gayer.
13. R.P. Joannes Bertholdus.
14. R.P. Franciſcus Pizzoni.
15. Michaël Sicuten.
Iteratò R.P. Joannes Bertholdus.
16. R.P. Adamus Abœdt.
17. R.P. Nicolaus Avancinus.
18. R.P. Ladislaus Vid. Et dein Vice-Provincialis totius Hungariæ.
Iteratò R.P. Adamus Abœdt.
19. R.P. Ferdinandus Achatius.
20. R.P. Franciſcus Voglmayr.
21. R.P. Fridericus Ininger Viſitator.
22. R.P. Ladislaus Sennyei Vice-Provincialis.
23. R.P. Albertus Mechtl.

Ante Diviſionem autem Provinciæ Auſtriæ, à Provincia Bohemiæ, Provinciales fuêre:

1. R.P. Joannes Victoria. Sub quo inducta eſt Societas in Hungariam.
2. R.P. Laurentius Magius.
3. R.P. Nicolaus Lanojus.
Iteratò R.P. Laurentius Magius.
4. R.P. Nicolaus Bliſſenus.
5. R.P. Alphonſus Carillus.
6. R.P. Theodorus Buſæus.
7. R.P. Ferdinandus Alberus. Sub quo diviſa eſt Provincia Auſtriæ à Provincia Bohemiæ. 1619.

CATALOGUS LXVIII.

Magnificorum Rectorum Academiæ Tyrnavienſis Societatis JESU.

Injurius eſſem Academiæ Tyrnavienſi, (utpotè in qua potiorem partem meæ ætatis inſumpſi) ſi ejuſdem in his Catalogis immemor fierem, & meritò culparer de neglectu, & oſcitantia in Rerum earum annotatione, in quibus alios culpo.

Primus itáque Magnificus Rector Academiæ Tyrnavienſis fuit R.P. Georgius Forro, Anno Chriſti 1636.

2. R.P. Petrus Belletius.
3. R.P. Stephanus Kereſztes.
4. R.P. Martinus Palkovicz.
5. R.P. Georgius Turkovicz.
Iteratò R.P. Martinus Palkovicz.
6. R.P. Zacharias Trinckelius.
7. R.P. Martinus Juranich.
8. R.P. Ladislaus Vid.
9. R.P. Michaël Griboczi.
10. R.P. Ladislaus Sennyei.
Iteratò R.P. Michael Griboczi.
11. R.P. Caſparus Szarka.
12. R.P. Joannes Banki.
Iteratò R.P. Ladislaus Vid.
Iteratò R.P. Ladislaus Sennyei.
Iteratò R.P. Michaël Griboczi.
13. R.P. Martinus Szentivani.
14. R.P. Joannes Deſpotovich.
15. R.P. Joannes Keczkemeti.

CATALOGUS LXIX.

Cancellariorum Academiæ Tyrnavienſis.

1. R.P. Matthias Baſtyanſich, 1639.
2. R.P. Franciſcus Pizzoni.
3. R.P. Georgius Turkovich.
4. R.P. Martinus Palkovich.
5. R.P. Euſtachius Stannaperger.
Iteratò R.P. Martinus Palkovich.
6. R.P. Michaël Sicuten.
Iteratò R.P. Martinus Palkovich.
7. R.P. Franciſcus Topos.
8. R.P. Stanislaus Gaſeczki.
9. R.P. Georgius Reffinger.
10. R.P. Gabriel Ivul.
Iteratò R.P. Franciſcus Topos.
11. R.P. Michaël Griboczi.
12. R.P. Stephanus Sajkovich.
13. R.P. Caſparus Szarka.
Iteratò R.P. Michaël Griboczi.
14. R.P. Martinus Szentivany.
15. R.P. Ladislaus Sennyei.
16. R.P. Petrus Bernardi.
Iteratò R.P. Martinus Szentivany.

CA-

CATALOGUS LXX.

SS. Theologiæ Doctorum è Societate JESU. Matriculæ Facultatis Theologicæ, Tyrnaviensis, inscriptorum.

R.P. Matthias Bastiansich.
R.P. Franciscus Pizzoni.
R.P. Martinus Palkovich.
R.P. Georgius Turkovich.
R.P. Joannes Weyer.
R.P. Michaël Tanyi.
R.P. Sigismundus Mogolinski.
R.P. Eustachius Stannaperger.
R.P. Franciscus Dempsterus.
R.P. Franciscus Topos.
R.P. Michaël Sicuten.
R.P. Stanislaus Gaseczki.
R.P. Venceslaus Sboski.
R.P. Georgius Reffinger.
R.P. Christophorus Steirer.
R.P. Zacharias Trinckelius.
R.P. Christophorus Wais.
R.P. Martinus Juranich.
R.P. Gabriel Ivul.
R.P. Balthasar Geraldin.
R.P. Michaël Hajnez.
R.P. Michaël Griboczi.
R.P. Ladislaus Sennyei.
R.P. Franciscus Siserus.
R.P. Casparus Szarka.
R.P. Joannes Banki.
R.P. Sigismundus Madocsáni.
R.P. Balthasar Miller.
R.P. Martinus Szentivany.
R.P. Martinus Czeles.
R.P. Ambrosius Sembler.
R.P. Joannes Despotovich.
R.P. Petrus Bernardi.
R.P. Joannes Pattatich.
R.P. Joannes Keczkemeti.
R.P. Georgius Berzeviczi.
R.P. Josephus Klimer.
R.P. Simon Karchne.
R.P. Gabriel Kapi.

CATALOGUS LXXI.

Sanctorum, quorum Corpora religiosè asservantur in Templo Societatis JESU Tyrnaviæ, ex concessione Pauli V. & Gregorij XV. Pontificum.

S. Serotina Virgo & Martyr.
S. Adiodemus Martyr.
S. Desiderius Martyr,
S. Anicetus Martyr.
S. Christina Virgo & Martyr.
S. Julianus Martyr.
S. Sinesia Virgo & Martyr.
S. Priscilla Virgo & Martyr.
S. Simedia Virgo & Martyr.
S. Severina Virgo & Martyr.

CATALOGUS LXXII.

Festorum Fori propriorum Hungariæ.

Sancti Adalberti Episcopi & Martyris. 23. Aprilis.
S. Georgij Martyris. 24. Aprilis.
Inventio S. Crucis. 3. Maij.
S. Ladislai Regis Hungariæ. 27. Junij.
S. Mariæ Magdalenæ. 22. Julij.
Transfiguratio Domini. 6. Augusti.
S. Stephani Regis Hungariæ. 20. Augusti.
Exaltatio S. Crucis. 14. Septembris.
S. Emerici Ducis Hungariæ. 5. Novembris.
S. Martini Episcopi. 11. Novembris.
S. Elisabeth Viduæ. 19. Novembris.
S. Catharinæ Virginis & Martyris. 25. Novembris.
S. Nicolai Episcopi. 6. Decembris.
SS. Innocentium. 28. Decembris.

CATALOGUS LXXIII.

Ecclesiarum, & Domorum, Ordinis Cruciferorum, Sancti Joannis Jerosolymitani, Hospitalariorum, pòst Rhodensium, ac nunc Melitensium Equitum, quas olim præter suprà enumeratos Conventus, & Perceptoratus, sub Corona Hungariæ habebat, quæ ijsdem privilegijs & immunitatibus gaudebant, quibus ipsi Conventus.

Ecclesia S. Regis Stephani de Strigonio, unà cum Domo Hospitali eorundem de Obom.
Ecclesia Sancti Stephani Proto-Martyris, propè Strigonium.
Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis, de Calidis Aquis.
Ecclesia Sanctæ Margarethæ, de Taat.
Ecclesia Sancti Thomæ, de Sidod.
Ecclesia Sancti Stephani Regis, de pulchro Prædio.
Ecclesia Sancti Nicolai, de Weitech.
Ecclesia Sanctæ Mariæ, de Thoraut.
Ecclesia Sanctæ Mariæ, de Szokol.
Ecclesia Sanctæ Mariæ, de Characha.
Ecclesia Sancti Andreæ, de Torsol.
Ecclesia Sanctæ Crucis, de Keureu.
Ecclesia Sancti Joannis Baptistæ, de Chura Szonibat.
Fuit præterea Domus Hospitalarium Fratrum Hungarorum. In Accone Civitate, sita in littore Maris Mediterranei, in Palæstina. Item Hierosolymis, Ecclesia B. Mariæ Virginis, Sanctique Stephani Regis, ac Domus Hospitalis pro Peregrinis.

CA-

CATALOGUS LXXIV.

Anatarum Romanarum, à Prælatis Hungariæ, pro Literis Confirmatorijs persolvi solitarum.

Anatæ, idem sunt quod Taxæ Prælatorum, pro Literis confirmatorijs, Romæ persolvendæ. Licèt enim denominatio Episcoporum, & distributio Beneficiorum Ecclesiasticorum, sub Corona Hungariæ, spectet ad Reges Hungariæ, utpotè Apostolicâ fulgentes authoritate, à Pontificibus Romanis Regibus Hungariæ attributa; Confirmatio tamen Episcoporum, pertinet ad Romanum Pontificem, tanquàm caput totius Ecclesiæ Catholicæ, & universæ Christianitatis Supremum Pastorem, ita, ut sine hac confirmatione Episcopi, nec consecrari, nec Episcopalia sua munia, exercere queant. Et quamvis harum Taxarum specificationem suprà Catalogo XXXVIII. dederimus, nihilominus hìc aliam apponimus, desumptam, ex Joannis Sambuci adnotationibus, qui sub voce *Taxa* hanc specificationem Taxarum ponit.

Agriensis.	4000.
Zagrabiensis.	2400.
Nitriensis.	175.
Vaciensis.	500.
Wesprimiensis.	900.
Jaurinensis.	800.
Tinniniensis.	150.
Strigoniensis.	ad 7000. Ducatorum.

Reliquorum verò Episcoporum Taxam non addit. Verùm hæc Taxa pro tunc fuit, quando Episcopatus Hungariæ in summo flore fuerunt. Nam nostris Temporibus imminuta est prorsus hæc Taxa, imò multis, penitùs condonatur. Ubi etiam observandus est error Alberti Molnaris, qui putabat has Taxas singulis annis, à Prælatis Hungariæ, Romanæ Curiæ persolvi debuisse, cùm tamen non nisi semel persolvebantur, tunc scilicet, cùm obtinerent confirmatorias denominationis suæ Literas.

CATALOGUS LXXV.

Personarum Sanctitate illustrium Coronæ Hungariæ.

Dedimus horum nomina, Dissertatione IV. Miscellaneorum, Partis I. Decadis Secundæ, §.3. sed solùm illarum, quæ sub Corona Hungariæ natæ aut de-

natæ sunt: Fecimus præterea earundem mentionem, in Ephemeridibus Hungariæ §. 8. Partis II. Decadis Secundæ. Hìc autem disponemus earundem nomina, quæ quacúnque tandem ratione ad Coronam Hungariæ videntur spectare, per modum Martyrologij, vel rectiùs Menelogij, per menses, & dies Anni, nulli earum majorem Sanctitatis, vel Beatitudinis Statum attribuendo, quàm quem ijsdem tribuit Sancta Romana Ecclesia, ídque juxta Decretum Urbani VIII. Papæ & Pontificis. Nomina autem earum Sanctarum Personarum, quarum diem certam, obitûs vel memoriæ, habere non potuimus, inseremus sparsim, diebus, & mensibus harum Ephemeridum, prout opportunum videbitur, apposito tamen hoc Signo ⊕.

JANUARIUS.

1. Calendas Januarij, memoriæ Circumcisioni Salvatoris nostri dicatas, jam inde à duodecim, & ampliùs Sæculis, cum Catholica & Universali Ecclesia, celebrat Pannonia. Licèt enim Conversio plena ad Fidem Christi, Hungariæ, & reliquarum nonnullarum Provinciarum eidem annexarum, ad tardiora referatur tempora; negari tamen non potest primis statim Sæculis, in Pannonia fuisse, si non propagatam, saltem seminatam Christianam Religionem. Constat siquidem, S. Paulum Apostolum usque ad Illyrios cum Prædicatione Evangelij penetrâsse, & S. Titum ejusdem Discipulum, Dalmatis Christum annunciâsse, ac S. Domnium à S. Petro Apostolorum Principe missum, eidem Dalmatiæ, ac reliquis partibus Illyrij Verbum Vitæ prædicâsse. Notum quóque est S. Laurentium Antistitem Laureacensem, (fuit autem Laureacum Metropolis Superioris Pannoniæ) primo adhuc Sæculo, per reliquas quóque Provincias Pannoniæ, occasionem promulgandi Evangelium captâsse. Sanctum item Maximilianum à Sixto Pontifice in Pannoniam remissum Anno 260. cum ingenti fructu in Vinea Domini laborâsse. Sanctum Quirinum Episcopum Siscianum, non procul Sabariâ ob prædicationem Evanggelij Anno 302. Martyrio affectum esse. Indubitatum præterea est S. Martinum annos natum decem confugisse ad Ecclesiam Sabariensem, & Catechumenis adscribi petijsse, Anno redemptionis humani generis 326. Insuper priori Synodi œcumenicæ Nicenæ, quæ celebrata fuit Anno Christi 326. interfuisse scribitur Domnius Stridonensis Episcopus ex Provinciâ Pannoniæ, & Synodo Sardicensi, quæ celebrata fuit Anno Christi 347. interfuisse Episcopos Pannoniæ, & Daciæ, & nominatim Valerium, & Ursicium, quorum ille in Mysia, hic verò in Pannonia Mursæ (quæ nunc Eszék dicitur) Sedes suas habuêre.

2. Syr-

2. Syrmij in Pannonia Savia, passi sunt hâc die Martyrium, S. Maximianus. S. Acutio. S. Timotheus. S. Herissus. S. Artaxus. S. Vitus. S. Acutus. SS. Tobia & Eugenda.

3. S. Getrudis Virgo, filia S. Elizabethæ Landgraviæ Thuringiæ, filiæ Andreæ II. Hungariæ Regis, quæ Regij Thalami, aliarûmque amplissimarum rerum spes, divino obsequio posthabuit, séque in Altenburgensi Sanctimonialium, Ordinis Præmonstratensis Cœnobio, totam pietatis studijs per omnem vitam dedicavit.

4. S. Titus, S. Pauli discipulus, qui ab eodem in Dalmatiam missus, primus ijs gentibus fidem Christi annunciavit.

5. S. Bonifacius Martyr, Archi-Abbas ad S. Martinum in Hungaria, qui post quatuor annorum curam Abbatialem, ad populos Istri in fide Christi instituendos, à S. Stephano Rege missus, ab ijsdem ob dilatationem fidei, gladio percussus, Martyrio coronatus est, Anno Christi 1008. ⊕

6. S. Anastasius Martyr Syrmiensis, in Pannonia.

7. S. Nicetas Episcopus Daciæ, (quæ nunc Transylvania dicitur) sanctitate, & miraculis clarus, qui (ut loquitur Martyrologium Romanum) feras, & barbaras gentes (Getas scilicet, & Bessos) Evangelij prædicatione mites reddidit & mansvetas, circa Annum Christi 396.

8. S. Severinus Abbas, Noricorum dictus Apostolus, qui in utrâque Pannonia rem Christianam, partim inchoavit, partim propagavit, magnísque virtutum prodigijs, vicinas omnes Regiones illustravit.
Hâc eadem die S. Anastasius. S. Jucundus. S. Patites. S. Petrus. S. Florus. S. Tilis. S. Florianus. S. Tatia. Martyrij Coronam accipiunt Syrmij in Pannonia; ut habet Martyrologium S. Hieronymi.

9. B. Jacobus Picenus, Ordinis S. Francisci, qui cum S. Joanne Capistrano incredibili fervore, & indefesso studio im Hungaria rem Catholicam promovit, circa Annum 1453. ⊕

10. S. Proculus Veronensis Episcopus, qui multos in Hungaria ad Christi fidem convertit, (vide Petrum de Natalibus lib. 1. cap. 49.) quem necesse est fuisse alium à Sancto Proculo pariter Episcopo Veronensi, cujus memoriam facit Martyrologium Romanum 9. Decembris.

11. B. Vacius Eremita S. Ladislao Regi venerandus, qui Urbi Vaciæ nomen reliquit. ⊕

12. Occasione S. Gaudentij Episcopi Veronensis, cujus Martyrologium Romanum hodie meminit, apponimus in hoc nostro Martyrologio, vel potiùs Menelogio. Alium Gaudentium Episcopum, fratrem S. Adalberti, atque ejusdem in Apostolicis laboribus, in conversione Hungarorum indivi-

duum comitem, ac Præſulem Gneſnenſem in Polonia Sanctiſſimum. ⊕

13. SS. Hermylus Diaconus, & Stratonicus Cuſtos carceris S. Hermilli, qui poſt ſæva tormenta ſub Licinio Imperatore in Iſtrum flumen demerſi ſunt; Singiduni in Myſia ſuperiori, quæ nunc ab Hungaris Szendrovia ſeu Vég Szendrő dicitur, Anno Chriſti 315. Quorum quidem memoriæ aliqui alios hujus menſis dies aſſignant, quos & nos alibi ſecuti ſumus, ſed Romanum Martyrologium, & Bollandus hanc diem Martyrio illorum adnotant.

14. Wolphus Archi-Epiſcopus Laureacenſis, qui multos Hunnos, & Avares ad fidem Chriſti, & eorum Ducem baptizavit circa Annum 825. verſatus Ovarini.

15. S. Paulus Eremita, qui à ſexto decimo ætatis ſuæ anno uſque ad centeſimum decimum tertium, ſolus in Eremo permanſit, cujus animam inter Apoſtolorum, & Prophetarum Choros ad cœlum ferri ab Angelis S. Antonius vidit, ejus tamen feſtivitatem, propter Octavam Epiphaniæ ad hunc diem Eccleſia tranſtulit, & Hungaria proprio celebrat officio, ob translationem Corporis illius in Hungariam, quod ſub Ludovico Rege, à Venetis eidem donatum, Budæ apud B. Laurentium in vertice montis, ſolenniter depoſitum fuerat.

16. S. Danax Martyr, qui ex Illyrico oriundus in loco *Aulon* dicto, Clericus fuerat ejuſdem Eccleſiæ, cùm igitur ſacra vaſa ex ea accepiſſet, ut ea ab infidelium incurſione ſervaret, in quodam loco ab illis deprehenſus, juſſus eſt Baccho ſacrificare, ſed cùm, ut id ageret induci non poſſet, gladijs eorum confoſſus, occubuit.

17. Depoſitio B. Caroli Csáki, qui ſpretis mundi illecebris ac opibus, Ordinem S. Dominici ingreſſus, vitâ ſanctiſſimâ traductâ, pijſſimè obijt Jaurini, Anno 1337.

18. Alphonſus Borgia, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Dux Gandiæ, cujus Stemma, ex Hungaris in Catalaunia, Colonias agentibus, ortum habuit. ⊕.

19. S. Serotina Virgo & Martyr, paſſa Romæ viâ ſalaria, cujus Corpus Tyrnaviæ in Æde ſacra Societatis JESU religiosè ſervatur.

20. B. Euſebius è Strigonienſi Canonico Eremita, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ Fundator, ejuſdémque primus Provincialis in Hungaria, poſt vitam ſanctiſſimè tranſactam, obijt ſanctiſſimè hâc die, Anno 1274.

21. SS. Manuel, Georgius, Petrus, Leo Epiſcopi. S. Parodus Presbyter. S. Joannes, S. Leo Tribuni, S. Gabriel, S. Sionius, & alij 377. à Crunomo VIII. Bulgariæ Duce, ob fidem Chriſti comprehenſi in captivitatem abducti,

cti, & ad dirum supplicium reservati sunt, qui quia non uno die passi sunt, aliquorum ex ijs nomina, ad diversos referemus dies.

22. S. Joannes Eleemosynarius, cujus Corpus incorruptum Matthiæ Corvino Regi Hungariæ transmisit Turcarum Imperator, captâ Constantinopoli, quod deinde in Castro Budensi honorificè asservatum fuit, post cladem Mohacsianam Posonium translatum, ac in Templo S. Martini etiam nunc honorificentissimè asservatur.

23. Ponimus ad hunc diem Manuelis suprà mentionati Archi-Episcopi Hadrianopolitani Martyrium, quam *Ditzengus* Crunomi successor, medium secuit, manúsque, & humeros ejus recissos canibus vorandos abjecit, at mox cœcitate percussus, à domesticis suis sublatus est. ⊕

24. Diem hunc assignamus Martyrio, ex eadem sancta societate Martyrum Bulgariæ, SS. Georgij, & Petri Episcoporum, quos *Murtagen* post *Ditzengum* Principatum adeptus, inhumaniter laceratos plecti capite jussit. ⊕

25. Hanc diem tribuimus Martyrio ex eadem sancta societate Martyrum Bulgariæ SS Leoni Episcopo Nicææ, cujus ventrem idem Tyrannus gladio dissecuit, & Paroclo Præsbytero, quem lapidibus obrui jussit, ac Gabrieli, & Sionio, quos ense concidit.

27. S. Joannes Chrysostomus, qui Scytharum multos, ex Arianismo ad veram fidem convertit, & cùm intellexisset Scythas N*omadas*, rippas Istri, seu Danubij accolentes, Christi fidem sitire, Viros Apostolicos ad eos destinavit, ipséque multos ex ijsdem convertit.

28. B. Margareta Virgo Belæ 4. Regis Hungariæ, & filiæ Theodori Græcorum Imperatoris filia, priùs DEO sacrata, quàm nata. Nam Tartaris latè Hungariam populantibus, pro sua Regnique incolumitate, prolem quam utero gestabat Mater cum Rege Marito Numini devoverat. Admittit cœlum vota, & cum Margereta, regno pariter nata est tranquillitas. Hæc vix trimulam egressa ætatem, Religiosarum Sororum Ordinis S. Dominici Wesprimiense Claustrum ingressa, tenellos humeros jugo Domini adaptabat; decimo dein ætatis anno è Wesprimiensi Claustro in aliud quod parentum ejus liberalitas in Insula propè Budam construxerat transmigravit, in quo sanctissimam, & innocentissimam vitam ducens, die quam vitæ supremam sana prædixerat, pientissimè obijt Anno 1270 ætatis 28. Item Carolus Magnus, qui pro proganda fide Christi, pluribus annis in Hungaria pugnavit, Deiparæque Templa Jaurini & Budæ primus erexit, primus quóque in Hungaria Scholas instituit, multúmque in conversione Hungarorum ad Religionem Catholicam, magno zelo adlaboravit.

29. S. Adiodemus Martyr, cujus Corpus ex concessione Pauli V. Tyrnaviæ in

in Templo Societatis JESU religiosè asservatur, & ipse Sanctus officio Ecclesiastico, hâc die colitur.

Item S. Petrus Thomasius, eximium Carmelitani Ordinis lumen Archi-Episcopus Cretensis, ac dein etiam Patriarcha Constantinopolitanus, Nuncius Apostolicus in Hungariam ad Ludovicum I. Regem Hungariæ, qui postquàm inter Hungaros, & Venetos inducias confecisset, & utrósque ad recuperationem terræ sanctæ inflammâsset, post multa gloriosè pro Ecclesia gesta, Alexandriámque Turcis ereptam, beato fine quievit in Famagustana Civitate Cypri, Anno Christi 1350. die 6. Januarij, ejus tamen festivitas ex Indulto Pauli V. hâc die celebratur.

30. Memoriæ hunc diem residuorum Martyrum Bulgariæ, Leonis, & Joannis Tribunorum, reliquorúmque 377. quos idem Tyrannus Murtagon gladij supplicio subjecit, consecramus.

FEBRUARIUS.

1. S. Amabilia Ordinis S. Benedicti, Neptis Adleidæ, Andreæ Regis Hungariæ filiæ. Anno Christi 1170. ⊕

3. B. Franciscus Zakoly, qui Episcopatu Csanádiensi deposito, Ordinem S. Pauli primi Eremitæ ingressus, ibidem vitam miræ sanctitatis duxit.

4. Rembertus, Sclavoniæ, & Gothiæ (quæ nunc Hungaria est) Apostolus, circa Annum 888.

6. Geminianus Martyr, passus Syrmij in Hungaria. Item S. Moderata eadem die, ibidem passa. Recolitur etiam hâc ipsâ die memoria SS. Fratrum & Episcoporum Hiberniæ, Melis, & Melatij seu Melchi, filiorum S. Davercæ, quæ erat soror S. Patritij, nati ex sorore S. Martini Sabariensis.

7. S. Romualdus Abbas, Ordinis Camaldulensium Institutor, qui ingenti desiderio Martyrij accensus, in Hungariam cum viginti quatuor Fratribus venire statuit, cúmque jam in ipsis Pannoniarum finibus esset, repentè langvore correptus ulteriùs progredi non potuit, cúmque recederet, levabatur morbo, cùm verò progrederetur, rursus eodem affligebatur. Itáque cùm perpendisset divino consilio se ab ingressu Pannoniæ prohiberi, cum septem socijs redijt, reliquos verò in Pannoniam ire permisit.

10. S. Paulus, in Hungaria Nobilibus Parentibus natus, primus ex Ordine Prædicatorum, (ad quem ab ipsomet S. Dominico Bonnoniæ jam Juris utriúsque Doctor, & publicus Juris Canonici Professor susceptus fuerat)

rat) Hungariæ Apoſtolus, primúſque Ordinis ſui in Hungaria Provincialis, qui cùm ad Cumanos Evangelij promulgandi cauſa perrexiſſet, multoſque ex ijſdem convertiſſet, à Tartaris tunc Hungariam vaſtantibus, barbaro furore cum 90. ſocijs interemptus eſt. ⊕

11. B. Henricus Abbas S. Benedicti in Dacia, ſeu Tranſylvania. *Ex Menelogia Benedictinorum.* ⊕

13. Beata Cunegundis, Bohema, Antiſtita Pragæ, neptis S. Agnetis, quæ fuit filia Conſtantiæ Belæ IV. Regis Hungariæ filiæ. 1321. ⊕

17. S. Lumanus Epiſcopus Hiberniæ, nepos S. Patritij, filij ſororis S. Martini Sabarienſis, vixit Anno 460. ⊕

18. S. Maximus Comes Rei privatæ, Claudius clariſſimus ejus frater, Præpedigna Claudij uxor, Alexander, & *Cutis* horum filij. Quinque hi Martyres Coronam Martyrij adepti ſunt hâc ipsâ die 18. Februarij, Anno Chriſti 295. Erant autem omnes, de Familia, & genere Diocletiani Cæſaris, gente & Patriâ Dalmatæ, Claudius, ſiquidem, & Maximus erant uterini fratres, & conſobrini Diocletiani, & ad fidem Chriſtianam converſi ſunt, per Galbinum Presbyterum, & Cajum Pontificem Maximum, qui ſimiliter fuêre ex genere Diocletiani, quij quamprimùm Chriſti fidem ſuſcepêre, omnia ſua bona, in pauperum ac pro fide Chriſtiana captivorum ſubſidium diſtribuêre: accuſati dein apud Diocletianum, eô, quòd Chriſtiani eſſent, jubente Diocletiano ſunt tenti, atque in exilium deportati: deinde incendio concremati, odoriferum Martyrij Sacrificium DEO ipſi obtulerunt.

19. Gabinus Presbyter & Martyr, frater Caij Papæ, Diocletiani Imperatoris conſanguineus, adeóque gente Dalmata, qui ab eodem Diocletiano diù in cuſtodia vinculis afflictus, pretiosâ morte, cœli gaudia comparavit.

80. Antonius de Saxonia, Ordinis S. Franciſci, Martyrio affectus Widini, ſub Corona Hungariæ. 1396.

23. S. Sirenus Monachus, in Hungaria Sirmij Martyrio affectus. Anno Chriſti 302. Item S. Rutilus, qui Martyrium ſubivit Weſprimij.

24. SS. 72. Martyres, ejuſdem S. Sireni ſocij, Sirmij pariter paſſi.

26. P. Joannes Leleſzi Societatis JESU, Vir ingentis animi, & zeli, ita ut Apoſtolus Tranſylvaniæ meritò appellaretur, qui poſt multarum animarum in ea Provincia ad Ovile Chriſti reductionem, toxico ab Hæreticis propinato in fidei odium, & è Provincia ab ijſdem crudeliter ejectus, ſenſim in mortem contabeſcens Laureti, (quem locum ſibi pro ſede moriendi delegerat) meritis plenus migravit ad Dominum. 1594.

27. B. Ladislaus Bathorius, qui mundi ſpretis illecebris, & contemptis di-

vitijs maximis quibus abundabat, vitæ Monasticæ rigorem in S. Ordine S. Pauli primi Eremitæ constantissimè tenuit.

MARTIUS.

3. S. Cunegundis Virgo, Henrici Imperatoris Conjunx, quæ plurimùm in conversione Hungarorum ad fidem Christianam, laboravit.

4. S. Casimirus Electus Rex Hungariæ, Elisabethæ filiæ Alberti Hungariæ Regis, filius, qui amore servandæ Virginitatis obijt. 1484.
Item S. Adrianus in Scotia Episcopus, Regiâ stirpe in Hungaria natus, à Danis pyratis ob odium fidei interfectus. 870.

6. B. Elizabeth Ordinis Prædicatorum, Stephani V. Regis Hungariæ filia, quæ multis à DEO illustrationibus donata omni virtutum genere, sed potissimùm humilitatis studio enituit.
Item S. Agnes Virgo, Constantiæ Belæ III. Regis Hungariæ filiæ ex Premislao Bohemiæ Rege filia, quæ spretis serenissimis Regum thalamis, Divæ Claræ Monasterium ingressa 46. annis summâ sanctitatis famâ vixit, ac hâc die vivere desijt.

7. B, Thomas, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ Generalis in Hungaria, prophetiæ donis illustris, & magnis virtutibus clarus. ⊕

9. S. Cyrillus, qui Pannonijs, sed præsertim Istri accolis prædicavit.

11. Methodius ejusdem S. Cyrilli in prædicando Evangelio per Pannoniam socius. Cujus obitus ad hunc diem refertur, aliquantò post migrationem ex hac vita S. Cyrilli, nempe Anno 880 licèt eodem die Ecclesia SS. Cyrilli, & Methodij 9. scilicet Martij celebret memoriam.

12. B. Ægidius, Ordinis S. Francisci Seraphici, qui virtutibus clarus obijt Strigonij, in Hungaria.

14. B. Agnes, Ordinis S. Benedicti, Pragæ, Adleidæ Regis Hungariæ filiæ ex Vladislao I. Bohemiæ Regis filio, neptis.

17. S. Patritius Major Episcopus Hiberniæ, miraculis, & sanctitate clárus, filius sororis S. Martini Sabariensis, ex Hungaria.
Item S. Getrudis Virgo, S. Hedvigis materteræ S. Elisabethæ Hungaricæ filia, Sanctimonialis. Item Trigida, filia sororis S. Martini, Sabariâ ex Hungaria oriundi.

19. S. Benedictus, qui cum S. Adalberto in Hungarorum conversione ad fidem, laboravit, deinde in Polonia affectus est Martyrio, Anno 1000.

20. B. Mauritius Csáki, Ordinis Prædicatorum, amore in Deiparam, & miraculis clarus, obijt Jaurini, Anno 1330.

Item

Item S. Demetrius Diaconus, paſſus Syrmij, in Hungaria, Anno 303. (aliqui tamen ejus Martyrium ponunt ad 9 Aprilis.) Item S. Martinus Dumienſis Hungarus, Archi-Epiſcopus Bracarrenſis in Hiſpania.

25. Iræneus, Epiſcopus & Martyr, Syrmij in Pannonia, paſſus ad Annum 303.

26. SS. Montanus Presbyter, & alij 40. Syrmij in Pannonia pro Chriſti fide, ſubmerſi. Item S. Alexander Martyr Miles, Curtæ (ideſt Budæ) hâc die paſſus.

27. S. Rupertus Epiſcopus, qui omnia Danubio adſita Oppida, & pagos luſtrans, in Pannoniam quóque penetravit, ejuſdémque populis fidem Chriſti prædicavit.

31. B. Elizabeth, Ordinis Præmonſtratenſis, Adleidæ filiæ Regis Hungariæ neptis.

APRILIS.

1. S. Venantius Martyr Dalmata, cujus Reliquiæ Romam magna cum ſolennitate translatæ ſunt.

2. S. Petea, cujus Corpus Belgradi olim magnà veneratione aſſervabatur. ⊕

4. Adalbertus, Vladislai II. Bohemiæ Regis filius, Adleidæ Hungariæ Regis filiæ, abnepos, Archi-Epiſcopus Salisburgenſis.

5. Stephanus ab Hungaria, Ordinis S. Franciſci, juxta montes Carpaticos occiſus à Schiſmaticis.

6. SS. Romana, Ruſtina, Saturus, Secundus, paſſi Syrmij, in Pannonia.

8. S. Herma Martyr Syrmienſis, Epiſcopus Dalmatiæ.

9. SS. Quinque Virgines, & Martyres Syrmienſes. Item SS. Demetrius Diaconus, Conceſſus, & Hylarius Martyres.

10. S. Gaianus Diaconus, paſſus in Dacia.

11. S. Domnio Epiſcopus, & Martyr, Spalati in Dalmatia, primus Epiſcopus. Item S. Leo Papa, qui temporibus Andreæ Regis in perſona Hungariam adijt, pacem inter hunc, & Henricum Imperatorem conciliaturus.

13. S. Borivonius, qui Chriſtianorum Bohemiæ Ducum, primus apud Svatiplugum Nitriæ in Hungaria reſidentem, Chriſtianis Sacris eſt initiatus.

18. Septimius Diaconus, & Victorinus Martyres Salonæ, in Dalmatia.

20. Theotinus vel Theotinius Epiſcopus, Scythiæ Hunnorum Apoſtolus, circa Annum 402.

22. S. Cajus Pontifex & Martyr, Solonenſis Dalmata.

23. S. Georgius Martyr, qui ſpeciali officio colitur in Hungaria, ut Regni Patronus.

24. S. Adalbertus Pragensis Archi-Episcopus, Hungariæ Apostolus.
28. S. Pollio Lector, S. Eusebius, & Tiburtius passi Cibali, quæ est inter Dravum & Savum, sub Diocletiano.
30. B. Maurus ex Monasterio S. Martini, Ordinis S. Benedicti, Episcopus Quinque-Ecclesiensis, in Hungaria.

MAJUS:

1. S. Philippus Apostolus, qui Scythis Evangelium Christi prædicavit.
2. B. Marcus Hungarus conversus, Ordinis S. Francisci Seraphici, apud Insubres à nefarijs hominibus hâc die occisus, Anno 1472.
3. B. Vitus Pannonius, Ordinis Eremitarum S. Augustini, vitæ sanctitate clarus.
6. B. Elizabetha Helveta, filia Andreæ III. Regis Hungariæ, Sanctimonialis S. Dominici Thosæ in Helvetia, obijt hâc die. 1338.
7. Gizela conjunx S. Stephâni Regis Hungariæ, dein Abbatissa Passavij, ubi obijt sanctissimè, meritis dives, & ætate grandis.
9. SS. Quirillus, & Quindeus seu Gindeus, & Zenon Martyres, in Bulgaria.
10. S. Hyacinthus Ordinis Prædicatorum, qui cum Beato Jacobo Piceno Hungariam concionibus ad fidem Christi fervore ac zelo maximo animavit.
11. S. Montinianus Martyr, passus Syrmij in Pannonia.
13. B. Antonius Confessor Hungarus, tertij Ordinis S. Francisci, obijt. 1371.
15. S. Timotheus, & 7. Virgines Martyres Syrmij, in Pannonia.
17. B. Andronicus Episcopus & Martyr, primus Apostolus Hunnorum.
19. S. Daverca, nata ex sorore Sancti Martini Sabariensis in Hungaria. ⊕
22. S. Nicasius, Episcopus Rhemensis in Gallia, ab Hungaris, cùm adhuc essent Gentiles, occisus. ⊕
24. S. David Rex Scotiæ, Margaretâ Hungarâ matre natâ filius, pietatis, & justitiæ operibus insignis, obijt 1153.
27. B. Pelbartus Themesvariensis, obijt pientissimè hâc die Budæ.]
29. Joannes Gothiæ è Scytharum Rege, Martyr, Hunnis clarus & venerabilis, circa Annum Christi 731.
31. S. Piligrinus, Episcopus Laureacensis, Hungariæ Apostolus, qui 5000. Hungarorum, tempore Geizæ Ducis, sacro fonte Baptismatis abluit.

JUNIUS.

2. B. Sadochus B. Pauli Hungari in Hungarica missione Coapostolus, cum 48. socijs Ordinis Prædicatorum Sandomeriæ in Polonia Martyrio affectus, 1206.

4. S.

4. S. Quirinus Episcopus Sciscianus propè Sabariam, in flumen mersus, Anno 304. Item S. Rutillus, cum duobus socijs in Hungaria, Sabariæ passus. 303. Item B. Joannes Laicus, Ordinis S. Francisci, Provinciæ S. Salvatoris, à parentibus hæreticis capite truncatus. 1603.

6. S. Metrophanes Episcopus Constantinopolitanus, Patriâ Sirmiensis ex Hungaria.

7. S. Hedvigis, Ordinis Præmonstratensis in Monasterio Doxanensi, neptis Adleidæ filiæ Andreæ Regis Hungariæ.

9. Emmanuel Niger è Societate JESU, Religiosus, in odium fidei, à tumultuantibus hæreticis Claudiopoli in Transylvania occisus, Anno 1603.

10. S. Margarita Scotorum Regina, in Hungaria, tempore Salamonis Regis, ex Hungara matre nata, vitæ sanctitate, & miraculis clara.

11. B. Gerardus, Ordinis Prædicatorum, Confessarius B. Margaritæ Virgi-Virginis, obijt Budæ hâc die.

15. S. Designatus, ex Dacia seu Transylvania claris ortus parentibus, Episcopus Tungrinensis, Anno 506. ⊕

19. B. Joannes Confessor, primus per Hungariam Ordinis S. Francisci Provincialis. 1282.

23. B. Anna, Constantiæ Belæ Hungariæ Regis filiæ, ex Ottocaro Rege Bohemiæ filia, obijt 1265.

24. B. Arno, Archi-Episcopus Salisburgensis, qui fidem Christi in Hungaria prædicavit.

25. B. Henricus Zdik, Episcopus Olomucensis, ex cognatione Regum Hungariæ.

26. S. Gvilbertus Monachus, qui multos Hungarorum convertit, Anno Christi 926. ⊕

27. S. Ladislaus Rex Hungariæ gloriosus, & victoriosus, qui Rosario ensi involuto pugnare solitus erat. Item B. Emericus, Ordinis Prædicatorum Hungarus, obijt circa Annum 1221.

28. B. Colomannus, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ in Hungaria, qui præ dulcedine divinæ contemplationis, non semel abstractus à sensibus rapiebatur in Deum, multísque leprosis, cœcis, claudis, alijsque languoribus vexatis, divinitùs medebatur. ⊕

JULIUS.

2. S. Isacus Monachus, qui cum S. Adalberto fidem Christi in Hungaria prædicavit, Martyrio est affectus, Anno Christi 1000.

24. S. Adalbertus Pragensis Archi-Episcopus, Hungariæ Apostolus.
28. S. Pollio Lector, S. Eusebius, & Tiburtius passi Cibali, quæ est inter Dravum & Savum, sub Diocletiano.
30. B. Maurus ex Monasterio S. Martini, Ordinis S. Benedicti, Episcopus Quinque-Ecclesiensis, in Hungaria.

MAJUS:

1. S. Philippus Apostolus, qui Scythis Evangelium Christi prædicavit.
2. B. Marcus Hungarus conversus, Ordinis S. Francisci Seraphici, apud Insubres à nefarijs hominibus hâc die occisus, Anno 1472.
3. B. Vitus Pannonius, Ordinis Eremitarum S. Augustini, vitæ sanctitate clarus.
6. B. Elizabetha Helveta, filia Andreæ III. Regis Hungariæ, Sanctimonialis S. Dominici Thosæ in Helvetia, obijt hâc die. 1338.
7. Gizela conjunx S. Stephani Regis Hungariæ, dein Abbatissa Passavij, ubi obijt sanctissimè, meritis dives, & ætate grandis.
9. SS. Quirillus, & Quindeus seu Gindeus, & Zenon Martyres, in Bulgaria.
10. S. Hyacinthus Ordinis Prædicatorum, qui cum Beato Jacobo Piceno Hungariam concionibus ad fidem Christi fervore ac zelo maximo animavit.
11. S. Montinianus Martyr, passus Syrmij in Pannonia.
13. B. Antonius Confessor Hungarus, tertij Ordinis S. Francisci, obijt. 1371.
15. S. Timotheus, & 7. Virgines Martyres Syrmij, in Pannonia.
17. B. Andronicus Episcopus & Martyr, primus Apostolus Hunnorum.
19. S. Daverca, nata ex sorore Sancti Martini Sabariensis in Hungaria. ⊕
22. S. Nicasius, Episcopus Rhemensis in Gallia, ab Hungaris, cùm adhuc essent Gentiles, occisus. ⊕
24. S. David Rex Scotiæ, Margaretâ Hungarâ matre natâ filius, pietatis, & justitiæ operibus insignis, obijt 1153.
27. B. Pelbartus Themesvariensis, obijt pientissimè hâc die Budæ.]
29. Joannes Gothiæ è Scytharum Rege, Martyr, Hunnis clarus & venerabilis, circa Annum Christi 731.
31. S. Piligrinus, Episcopus Laureacensis, Hungariæ Apostolus, qui 5000. Hungarorum, tempore Geizæ Ducis, sacro fonte Baptismatis abluit.

JUNIUS.

2. B. Sadochus B. Pauli Hungari in Hungarica missione Coapostolus, cum 48. socijs Ordinis Prædicatorum Sandomeriæ in Polonia Martyrio affectus, 1206.

4. S. Quirinus Episcopus Sciscianus propè Sabariam, in flumen mersus, Anno 304. Item S. Rutillus, cum duobus socijs in Hungaria, Sabariæ passus. 303. Item B. Joannes Laicus, Ordinis S. Francisci, Provinciæ S. Salvatoris, à parentibus hæreticis capite truncatus. 1603.

6. S. Metrophanes Episcopus Constantinopolitanus, Patriâ Sirmiensis ex Hungaria.

7. S. Hedvigis, Ordinis Præmonstratensis in Monasterio Doxanensi, neptis Adleidæ filiæ Andreæ Regis Hungariæ.

9. Emmanuel Niger è Societate JESU, Religiosus, in odium fidei, à tumultuantibus hæreticis Claudiopoli in Transylvania occisus, Anno 1603.

10. S. Margarita Scotorum Regina, in Hungaria, tempore Salamonis Regis, ex Hungara matre nata, vitæ sanctitate, & miraculis clara.

11. B. Gerardus, Ordinis Prædicatorum, Confessarius B. Margaritæ Virgi- Virginis, obijt Budæ hâc die.

15. S. Designatus, ex Dacia seu Transylvania claris ortus parentibus, Episcopus Tungrinensis, Anno 506. ⊕

19. B. Joannes Confessor, primus per Hungariam Ordinis S. Francisci Provincialis. 1282.

23. B. Anna, Constantiæ Belæ Hungariæ Regis filiæ, ex Ottocaro Rege Bohemiæ filia, obijt 1265.

24. B. Arno, Archi-Episcopus Salisburgensis, qui fidem Christi in Hungaria prædicavit.

25. B. Henricus Zdik, Episcopus Olomucensis, ex cognatione Regum Hungariæ.

26. S. Gvilbertus Monachus, qui multos Hungarorum convertit, Anno Christi 926. ⊕

27. S. Ladislaus Rex Hungariæ gloriosus, & victoriosus, qui Rosario ensi involuto pugnare solitus erat. Item B. Emericus, Ordinis Prædicatorum Hungarus, obijt circa Annum 1221.

28. B. Colomannus, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ in Hungaria, qui præ dulcedine divinæ contemplationis, non semel abstractus à sensibus rapiebatur in Deum, multísque leprosis, cœcis, claudis, alijsque languoribus vexatis, divinitùs medebatur. ⊕

JULIUS.

2. S. Isacus Monachus, qui cum S. Adalberto fidem Christi in Hungaria prædicavit, Martyrio est affectus, Anno Christi 1000.

4. S. Elizabetha, Portugalliæ Regina, à matre Hungara nata. Item S. Laurinus sive Jaurinus, à Jaurino sic dictus, Archi-Episcopus Hispalensis in Hispania. Item S. Innocentius cum 30. socijs Sirmij in Pannonia Martyrium passus. Item S. Sabatia, circa Sirmium Martyrio affecta.

7. S. Nicolaus Hungarus Episcopus, Ordinis Prædicatorum, qui ob fidem Christi vivus excoriatus est ab infidelibus. Item S. Florentinus natione Turca, qui cœso Turcarum exercitu captus ab Hungaris, & Monachus Ordinis S. Benedicti factus vixit, & obijt sanctissimè.

8. S. Anicetus Martyr, cujus corpus in Æde S. Joannis Baptistæ Tyrnaviæ in Hungaria conservatur religiosissimè.

11. S. Euphrasia Virgo, soror S. Angelæ, quæ fuit abneptis Adleidæ filiæ Andreæ Regis Hungariæ, amore pudicitiæ Martyrium passa. ⊕

13. B. Margarita, Ordinis Præmonstratensis, ex Regum Hungariæ sanguine progenita.

14. S. Henricus Imperator, qui plurimum egit in Hungaria ad fidem Christi convertenda, obijt Anno 1028.

17. S. Fausta Martyr in inferiori Myssia, quæ nunc Bulgaria. ⊕

19. S. Christina Virgo & Martyr, cujus Corpus in Templo PP. Societatis JESU Tyrnaviæ conditum, colitur.

20. Natalia Martyr, uxor S. Adriani Martyris, Patriâ Sirmiensis.

23. B. Beatrix, Andreæ II. Regis Hungariæ conjunx, quæ marito fatis functo, terrenis expedita curis, totam se cœlestibus impendit; *Gemmulæ* in Monasterio S. Joannis Baptistæ, in quo sanctitatis speculum effecta, requievit. 1239. Item S. Apollinaris Apostolorum discipulus, qui ab infidelibus, in navem impositus missus est in exilium, ac facto naufragio venit in Myssiam, inde ad rippam Danubij, ac tandem in Thraciam, ibique Evangelium prædicavit.

24. S. Salomea, Lesci Sandomeriæ Ducis filia, quæ Colomanno Andreæ Regis Hungariæ filio, desponsata cum eodem mutuo conseasu illæsam servavit Virginitatem, conjuge verò vivis erepto, aulæ se vanitatibus eripuit, & facultatibus suis in pias causas, ac pauperes distributis, in Sanctimonialium cœtum se abdidit, ubi præcognita mortis die pientissimè obijt, Anno 1268. Item S. Cunegundis Virgo, Belæ II. Hungariæ Regis filia, Boleslai Poloniæ Regis conjunx, cum quo tamen per ipsos quadraginta connubij annos immaculatum torum tenuit, post mortem verò mariti Monialium S. Claræ instituto se adjungens, vitæ sanctæ finem imposuit, Anno 1292.

27. S. Andreas Zoërardus Eremita montis Zombor in territorio Nitriensi, ac dein cavernæ rupis Szkalka, haud procul Threnchinio, supra ripam Vagi incola, qui hâc die ad meliorem migravit vitam. 1009. Item B. Alexius Hungarus, vitæ sanctitate in Silesia clarus. 1461.

29. S. Bathuris Presbyter & Martyr, passus in Hungaria ad Danubium, sub Gratiano Imperatore. 370. ⊕

31. S. Ignatius Lojola Societatis JESU Fundator, & Literarum ac Studiorum, pietatísque ac Fidei Catholicæ, per suos, in Hungaria restaurator.

AUGUSTUS.

3. B. Augustinus Gazottus, Episcopus Zagrabiensis, ex Hungaria oriundus, dein ad Lucerinam in Appulia regendam Ecclesiam per Joannem XII. Pontificem translatus, qui cùm utríque Ecclesiæ per 30. annos maximâ eruditionis, misericordiæ, pietatis, omniúmque virtutum famâ præfuisset, meritis plenus ad cœlum migravit. 1332.

6. Transfiguratio Christi Domini, quod Festum institutum est à Callisto III. ob victoriam ab Hungaris per Joannem Hunyadi, & S. Joannem Capistranum reportatam, ad Belgradum.

9. S. Julianus Martyr, cujus Corpus religiosè asservatur in Templo Societatis JESU, Tyrnaviæ in Hungaria.

11. S. Susanna Virgo & Martyr, quæ cùm esset nobili prosapiâ orta, ex familia Diocletiani Imperatori natione Dalmatæ, & Beati Caij Pontificis neptis, Martyrij palmam sub eodem Diocletiano, capitis obtruncatione promeruit.

13. B, Franciscus Hungarus, Ordinis Eremitarum S. Augustini. ⊕

15. Assumptio Beatissimæ Virginis MARIÆ, cujus Patrocinio Regnum Hungariæ, hoc festo, S. Stephanus Rex Hungariæ moriens dicavit (& Leopoldus I. Imperator ac Hungariæ Rex, idem Votum renovavit) ob ídque ab Hungaris Magnæ Dominæ Festum apellatur, ac sub hoc titulo Patronæ Hungariæ, Aurei, & moneta Hungarica, in recognitionem perpetuæ submissionis insignitur.

18. S. Sebaldus Confessor, Ordinis S. Augustini, Daciæ, quæ nunc est Transylvania, Vaivodæ seu Ducis filius.

19. S. Ludovicus Tolossanus Episcopus, Mariæ Stephani V. Hungariæ Regis filiæ filius, quem Sanctorum numero insertum, Carolus Rex Hungariæ patruelis templô magnificâ operâ exstructô Cœnobióque Ordinis S. Francisci Religiosis, Lippæ fundato veneratus est.

20. S. Stephanus I. Rex Hungariæ, & Apostolus, qui gentem Hungarorum ad fidem Catholicam convertit, Regnúmque Hungariæ Patrocinio Beatissimæ Virgini mortuus reliquit.

24. Anniversarius dies translationis decem Martyrum, quorum Corpora habentur in Templo Societatis JESU, Tyrnaviæ in Hungaria.

29. S. Basilla Sirmiensis, quæ ibidem sanctæ vitæ, sanctum finem imposuit.

SEPTEMBER.

3. S. Gvilbertus Monachus, qui plurimos Hungaros ad fidem Christi convertit, Anno 926. ⊕

7. S. Memorius Martyr, ab Attila odio fidei interfectus. Item B. Otto Frisingensis Episcopus, frater Sophiæ Reginæ Hungariæ. Item Pater Stephanus Pongracz Hungarus, cum socio Patre Melchiore Grodecio è Societate; & Marco Chrysino Strigoniensi Canonico. qui in odium fidei exquisitis cruciatibus Cassoviæ ab Hæreticis interempti sunt Anno 1619.

8. S. Adrianus Martyr, Probi Pannonij Syrmiensis filius.

12. B. Nicolaus Ordinis S. Francisci, Martyrio affectus, Widini in Servia, sub Corona Hungariæ. ⊕

15. S. Nicetas Gothus, Martyrio affectus in Transylvania, circa Annum Christi 401.

18. S. Sinesia Virgo & Martyr, cujus Corpus religiosè servatur in Templo Societatis JESU Tyrnaviæ in Hungaria.

20. S. Eustachius, qui sub Trajano in Hungaria, contra Decebalem Regem Daciæ (quæ nunc Transylvania est) bellum gessit, eúmque debellavit, & postmodum cum Theopista uxore, & duobus filijs, Agapito, & Theopisto, ob fidem Christi ab eodem Trajano ad Bestias damnatus est, sed hi Dei ope ab ijs nîl læsi, in bovem Æneum candentem, inclusi Martyrium Romæ consumârunt.

22. S. Emiramus, qui in Pannonia quóque Evangelium prædicavit, in Bavaria Martyrio affectus, Anno Christi 652. Item S. Lanceslaus ab Hungaria, Confessor, Regiâ prosapiâ ortus, qui in Ordine S. Francisci sanctitate floruit, obijtque Anno 1445.

24. S. Gerardus Martyr, Episcopus Chanadiensis in Hungaria, Budæ à Gentilibus interemptus. 1047. Item S. Buldus Martyr, Episcopus Agriensis, qui pro fide lapidibus, & gladijs eâdem die cum S. Gerardo occubuit.

25. S. Bezterdus Martyr, Episcopus Nitriensis, qui eâdem occasione pariter

in odium fidei, ab ijsdem Gentilibus relapsis vulneratus, hâc die sanctâ morte obijt.

26. S. Evilazius Pannonius, Præfectus Mysiæ minoris, sub Maximiano Imperatore Martyrio affectus.

27. S. Lupitha Virgo filia sororis S. Martini Sabariensis Pannonij, Anno Christi 490.

28. S. Salamon Rex Hungariæ, dein Eremita, qui vitæ austeritate florens, & continuo jejunio, & mortificatione membra conficiens, sanctioraque per orbem odæa peregrinus invisens, tandem Polæ in Istria ignotus omnibus, vitæ finem invenit.

30. S. Hieronymus Doctor Ecclesiæ natus Stridone, qui locus vix diei itinere distat Sabariâ (ut vult Inchoffer in Annalibus Hungariæ ad annum 304.) vel certè Stridone ut contendunt alij Civitate Dalmatiæ in confinibus Pannoniæ latè sumptæ, qui omnium studia literarum adeptus, multa hæresium monstra, gladio suæ doctrinæ confodit, demum dum ad decrepitam usque vixisset ætatem in pace quievit. Item S. Conradus Episcopus Portuensis S.R.E. Cardinalis, Partium Regni Hungariæ ad Savum Apostolus. 1127.

OCTOBER.

1. S. Nicon Armenus, Hungaris *Pœnitentiam agite dictus*, & ut Apostolus ab ijsdem cultus, circa Annum 982. ⊕

9. S. Guntherus Eremita, S. Stephani Regis Hungariæ cognatus. 1045.

10. S. Franciscus Borgias Societatis JESU; qui ex Hungarorum in Catalaunia militantium, reliquijs ortus creditur, uti & cognomen, & insignia familiæ id comprobare videntur.

12. S. Semidia Virgo & Martyr, cujus Corpus Tyrnaviæ in Hungaria in Templo Societatis JESU religiosè asservatur.

13. S. Colomannus Martyr, S. Margaritæ Reginæ Scotiæ Hungarâ matre natæ filius.

19. S. Hedvigis. Andreæ II. Hungariæ Regis primæ conjugis soror, Sanctæ Elizabethæ Hungaræ matertera, obijt 1243.

21. S. Ursula cum undecim millibus Virginum ab Attila interfecta. 383. Item S. Cyriacus cum eadem S. Ursula occisus ab eodem Attila. Item S. Wimo, Scytharum Apostolus, circa Annum 936.

22. Cordula, una è sociabus S. Ursulæ, hâc die ab Attila interfecta.

23. S. Joannes Capistranus, Ordinis S. Francisci, qui cum Crucigeris, Tur-

cas Belgrado fugavit, & Hungariæ utilissimus, obijt 1456. Ujlaci in Hungaria sepultus. Item S. Priscilla Virgo & Martyr, cujus Corpus in Templo Societatis JESU, Tyrnaviæ in Hungaria religiosè asservatur.

26. S. Demetrius Martyr, & miles, qui ob reliquias Sirmij depositas, colitur officio proprio per Hungariam.

28. B. Gallus Confessor, Ordinis S. Francisci, obijt Strigonij, vixit circa Annum 1340.

30. B. Matthæus Escandali, Civis Budensis, Martyrio affectus apud Sinas, quo infidelium convertendorum causâ penetraverat.

31. S. Wolffgangus, ante Episcopatum S. Piligrini in conversione Hungarorum socius, circa Annum 904. Item P. Joannes Simonides è Societate JESU, crudeliter ab Hæreticis ex odio fidei occisus. 1674.

NOVEMBER.

1. S. Monanus Archidiaconus, Hungarus, qui cum S. Adriano in Scotiam profectus, sanctissimam vitam ibidem duxit ac finivit, circa Annum 878.

4. B. Joannes Teutonicus, Ordinis Prædicatorum, per Hungariam Provincialis, postea Episcopus Bosnensis, ac totius Ordinis Generalis, qui plurimis in Hungaria pro salute animarum laboribus exantlatis, multis in eadem Hungaria, tum in vita tum post mortem miraculis claruit.

5. S. Emericus Dux Hungariæ, S. Stephani I. Regis Hungariæ filius, Confessor. Virgo, & Maritus, qui intactâ Regiæ Virginis integritate cui ex Paterno imperio desponsatus erat, virginitatem illibatam ad obitum usque servavit.

9. S. Helena Virgo, quæ fuit B. Margaritæ in vita Religiosa magistra, multísque post mortem miraculis illustris claruit.

11. S. Martinus Episcopus Turonensis, natus Sabariæ in Hungaria, cujus vita tantis exstitit miraculis gloriosa, ut trium mortuorum meruerit esse Suscitator. Item S. Nicasius, & S. Eutropia Virgo Martyrio affecti Rhenis in Gallia, ab Hunnis tunc adhuc gentilibus. 407.

12. S. Matthæus Monachus, & Martyr, qui cum S. Adalberto Hungariam in fide excoluit. Item S. Christinus, & Joannes pariter collaboratores in conversione Hungarorum S. Adalberto, eodem anno nempè 1000. & eâdem die in Bohemia Martyrio affecti. Item S. Astricus Archi-Episcopus Colocensis in Hungaria, Ordinis S. Benedicti, qui Hungaris Coronam Regiam à Romano Pontifice impetravit, obijt 1034.

15. S.

15. S. Leopoldus Marchio Austriæ, Pater Sophiæ Reginæ Hungariæ. Item S. Serotina Virgo & Martyr, cujus Corpus in Templo Societatis JESU religiosè asservatur, Tyrnaviæ in Hungaria.

16. B. Petrus Confessor, Ordinis S. Francisci, qui hâc die obijt Budæ, Anno Christi 1287.

19. S. Elizabetha, Andreæ Regis Hungariæ filia, Ducissa Thuringiæ.

24. S. Ivanus Eremita, Gostmuli Croatiæ Regis filius.

27. S. Virgilius Episcopus Salisburgensis, qui ad fines Pannoniæ, ubi Dravus se in Istrum exonerat excurrens, gentes illas Christianâ disciplinâ imbuit, Anno 784.

30. S. Andreas Apostolus, qui Scythis, Hungarorum progenitoribus, Evangelium prædicavit.

DECEMBER.

1. S. Albanus Martyr, qui in Hungariam primò missus, à Rege Hungariæ in filium est adoptatus. Item S. Gerardus Bojorum Prætor, & fidei Christianæ magnus Zelator, in prœlio ab Hunnis cœsus.

3. S. Agricola, in Pannonia Martyr, cujus memoriam facit ad hunc diem Romanum Martyrologium.

4. S. Barbara Virgo & Martyr, quæ proprio officio colitur per Ecclesias Hungariæ. Item S. Maurus, ex Monasterio S. Martini, Ordinis S. Benedicti, Episcopus Quinque Ecclesiensis.

5. B. Lucas, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, in Monasterio *Nôstre*, qui ob meritum Virginitatis, multos annos post mortem incorruptus permansit, & in vivis mortuum excitare meruit.

7. B. Joannes Dominici, Patriâ Florentinus, Ordinis S. Dominici Religiosus, dignitate Ragusanæ Ecclesiæ Præsul, ad Sigismundum Regem Hungariæ Catholicæ fidei propagandæ zelo singulari, bis Legatus à latere, qui magno cum dolore Hungarorum obijt Budæ, Anno 1418.

13. B. Bertholdus, Ordinis S. Francisci, Hungariæ Apostolus.

14. S. Urolphus, Archi-Episcopus Laureacensis, qui multos Hunnos, & Avares ad Christi fidem convertit, circa Annum 825. ⊕

16. S. Wiberarda, in Monasterio S. Galli ab Hunnis interfecta, Anno Christi 926. ⊕

18. B. Joannes Hungarus, Episcopus, Ordinis Prædicatorum, à subditis Hæreticis excoriatus, circa Annum 1230.

21. Ludovicus Landgravius Thuringiæ, maritus S. Elizabethæ Hungaræ, qui

qui in expeditione Christianorum pro recuperatione Terræ Sanctæ, piè & gloriosè occubuit.

26. S. Stephanus Protomartyr, qui uxori Geizæ Ducis Hungariæ apparens, eandem de filio nascituro admonuit, simúlque edocuit suo patrocinio illum educandum, suúmque ei nomen imponi debere, ipsúmque suæ gentis Regium Titulum & Coronam habiturum.

30. B. Sebastianus, primus post fundatum à S. Stephano Archi-Episcopatum Strigoniensem, ejusdem Ecclesiæ Præsul, Vir Sanctissimus.

CATALOGUS LXXVI.

Continens incrementa, & detrimenta Religionis Catholicæ in Hungaria, Regnísque ac Provincijs eidem annexis.

1. Sanctus Paulus Apostolus, veniendo ab Hierusalem usque ad Illyrium, & nominatim Dalmatiam, præcipuam partem Illyrij, prædicavit Christi fidem, & Evangelium Illyrijs.

2. Idem S. Apostolus misit Titum discipulum in Dalmatiam ad propagandum Christi Evangelium, ut ipsemet testatur in Epistola sua ad Timotheum.

3. Non diù moratus est Titus in Dalmatia, sed audiens B. Paulum Apostolum, à præside *Festo*, jussum pergere Romam, præveniens ejusdem adventum, expectavit eundem in Urbe.

4. Beatus verò Paulus Apostolus, non remisit Titum in Dalmatiam, sed in Græciam, & constituit illum Cypri Episcopum. Unde B. Petrus Princeps Apostolorum, in locum Titi, in Dalmatiam submisit quemdam discipulum suum, nomine *Domnium*, natione Syrum, patriâ Antiochenum, qui Dalmatiæ, & reliquis partibus Illyrij, Verbum Vitæ,, quod per Titum inchoatum fuerat, prædicaret, atque hic fuit primus Episcopus *Salonitanus*, qui Episcopatus successu temporis dictus est Episcopatus ac demùm Archi-Episcopatus *Spalatensis*.

5. Hæc tamen fides Christiana, ab illis Viris Apostolicis, in Croatia, Bosnia, & Dalmatia(quæ omnes Provinciæ tunc uno nomine Illyrium nuncupabantur)nutavit sæpiùs, sed præsertim sub Stotilo Totilæ fratre, qui Illyrium vi occupaverat, mirum quantum debilitata est, quod accidit circa Annum Christi 547.

6. Duravit hæc persecutio, & depressio fidei Catholicæ in Illyrio, non solùm sub prædicto Stotilo, sed & sub ejusdem successoribus Seviolado, Selimiro, Bla-

Bladino, & Ratimero; usque ad Satimerum, qui primus ex Regibus Illyrij, in fide Orthodoxa suavi Christi Jugo se se submittens, populum sibi creditum, ad eandem Christianæ vitæ Religionem traducere satagebat, id tamen neutiquam ad finem perducere potuit.

7. Successit huic in Regno Budemerus ejusdem filius, circa Annum Christi 641. qui fidem Christianam, à quodam *Constantino* Viro integerrimo edoctus, & Sacro Lavacro ablutus, omnem sibi subjectum populum, ad fidem Catholicam verbo, & exemplo adhibitâ simul ejusdem *Constantini* industriâ adduxit, ita ut non solùm Rex, sed & Apostolus suæ gentis dici meruit.

8. Circa annum Christi 45. S. Andreas Apostolus Scythis Evangelium prædicâsse perhibetur, ut testatur inter alios etiam Sanctus Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis; inter Scythas autem præcipui erant Hunni seu Hungari, unde verò non absimile est, nonnullos quóque ex ijs ad fidem Christi accessisse.

9. Post aliiquot temporis intervalla in eadem Scythia Evangelium Christi prædicavit, & propagavit Sanctus Andronicus, & post hunc, magnus ille Theotinus, Tomorum Episcopus, qui in maxima veneratione fuit apud Hunnos, ob virtutem ingentium miraculorum, divinitùs eidem collatam, ut testis est, Sozomenus, unde iterum confirmatur verosimilius esse, saltem aliquos ex Hunnis seu Hungaris, adhuc in Scythia degentes, fidem Christianam amplexos fuisse, illius verò notitiam aliquam, plures habuisse.

10. Anno Christi 47. Laureacum (hodie Ens) olim pervetusta, & nobilis Norici Civitas, super Anasi, & Danubij confluentem missis à Principe Apostolorum discipulis, qui Christum annunciarent, Evangelium suscepit, quæ deinde Ecclesia fuit facta Metropolitana, à qua etiam Ecclesiæ Pannoniæ universæ dependebant.

11. Primus hujus Laureacensis Ecclesiæ, Antistes fuit quidam Laurentius Anno Christi 63. qui occasionem captabat promulgandi Evangelium, per reliquas quóque Provincias Pannoniæ.

12. S. Maximilianus Celejensis, à Sixto Pontifice missus in Pannoniam revertitur, & ingenti cum fructu in vinea Domini laboravit, Anno Christi 260.

13. Propagatâ jam aliquantisper fide Christianâ per Pannoniam complures cœlo dedit Martyres eadem Pannonia, & nominatim Wesprimium, S. Rutilum, Syrmium S. Irenæum ejusdem Civitatis Episcopum, & alios complures, ut videre est in Martyrologio Romano, ad diem quartam Junij, & ad 23. Februarij.

14. Anno Christi 302. S. Quirinus Episcopus Siscianus in Illyrico Martyr efficitur non longè Sabariâ.

15. Anno Christi 316. Nascitur Sabariæ S. Martinus, Catholicæ fidei postea Columen. Anno verò Christi 326. annos natus decem, invitis parentibus gentilibus, ad Ecclesiam confugit, & Catechumenis adscribi petijt. Anno 341. Nascitur S. Hieronymus Oppidi Stridonis, quod à Gothis eversum, Dalmatiæ quoddam Confinium fuit, parentibus Catholicis honestis & opulentis.

16. Anno Christi 347. Synodus Sardicensis celebratur, cui interfuêre etiam Episcopi Pannoniæ, & Daciæ, & nominatim Valens, & Ursitius, quorum ille in Mysia, hic verò in Pannonia, Mursæ (nunc Eszék) Sedes suas habuêre, uti & superiùs jam meminimus.

17. Anno Christi 363. Juliano Imperatori succedit in Imperio Jovinianus Singidone in Pannonia natus, qui cùm se gentilibus militibus imperare nolle diceret, milites confestim se Christianos esse aut fore exclamant. Atque ex hactenus dictis clarè patet in Pannonia adhuc ante primum adventum Hungarorum in eam, fidem Catholicam, saltè.n in aliquibus ejus partibus, jam floruisse. Primus siquidem Hungarorum exitus ex Scythia contigit, Anno 373.

18. Circa Annum Christi 396, multi etiam ex Hungaris convertuntur ad veram fidem Christianam, operâ S. Nicetæ Dacorum Episcopi.

19. Anno Christi 744. Fuit alter exitus Hungarorum ex Scythia sub septem Ducibus.

20. Scribunt autem aliqui, unum ex præcipuis Ducibus, quos secundâ migratione Hunni ex Scythia sequebantur Sejtam nomine, primum ad fidem Christi, traducere tentâsse Hunnos, cùm multos Christiani generis in suo exercitu haberet. Quod factum opportunè ait Inchoffer non multò post quadragesimum quartum, septimi à Christi Sæculi annum, quo hæc migratio secunda contigit.

21. Verùm initia suæ conversionis ad fidem Christianam maximè debet Hungaria, Carolo Magno Imperatori, qui octo integris annis pugnando cùm Hungaris religionis Christianæ propagandi causâ, id tandem effecit ut Anno 795. *Theodo* unus ex Ducibus Hungarorum, Legatos ad Carolum, Aquisgranum miserit, qui suum adventum significarent, & se, cum suis fidem Christianam suscepturum sponderent.

22. Cœteri tamen Hungari rursus adversùs Carolum Magnum tumultuantur (quibus postmodùm etiam ipsemet *Theodo* adhæret, & unà cum suis, tam à fidelitate Caroli Magni, quàm à fide Christiana deficit) imò majora omnia, quàm unquam aliàs contra Carolum moliuntur, totiúsque belli Ducem votis omnium *Chabam* ad hoc bellum conficiendum constituunt

tuunt & deligunt, Carolus verò pariter magno bellico apparatu in Hungariam descendit, indictóque priùs toti exercitui suo, triduano jejunio cum Hungaris in campo Sicambriæ confligit, ingentíque prœlio commisso, eosdem fundit ac vincit, victísque hanc optionem facit: *Qui Christi nomen daturi sunt, liberi sunto, qui renuissent ademptâ cum fortunis libertate, vitâ duntaxat permittuntor.* Multi proinde Hungarorum patriâ, religione se exuêre, ne vectigales forent & facultates amitterent, pauci charitate & amore fidei Christianæ succensi.

Id autem accidit Anno Christi 803.

Mox idem Carolus Magnus, ad ponenda fundamenta pietatis ac fidei se convertit, ac in primis templa Idolorum Martis, & Herculis Sicambriæ demoliri curat, & Christiano ritu vivere cupientibus in extrema parte Urbis sub monte, Divæ Genitricis Mariæ Templum statuit. Ut verò tanta initia majora in dies caperent incrementa, Carolus non solùm Hungariæ præficit Virum boni communis, & religionis satagentem (cui *Chaganus* nomen erat, qui à Baptismo dictus est Theodorus) verumetiam Sacerdotes relinquit amplificandæ Religionis idoneos, sícque dispositis Pannoniarum causis, in Germaniam revertitur. Subsequentibus dein temporibus Scholas per Pannoniam instituit, ut sic facilior fieret à primis elementis ingeniorum, cum moribus ad Religionem Christianam traductio.

23. At post mortem Caroli Magni minùs procedebat Hungariæ conversio: Civilia enim bella, & spectantes ad defectionem partes, Religioni proferendæ locum non dedêre, Hungari siquidem omnes suas curas in id converterant, qualiter se in pristinam libertatem vendicare possent, & jugum posterorum ac successorum Caroli Magni à quo subjugati fuerant, excutere, donec datâ occasione, & opportunitate sub *Arnulpho*, qui eos in auxilium contra Bohemos, & Moravos evocaverat, in apertam rebellionem erumperent, & ab eodem plenè deficerent. Tunc velut frœno excusso per complures annos vicinas Provincias, quoquàversùs vastando, & deprædando, infestabant, & jam unam, jam alteram gentem aut Provinciam bello aggrediebantur. Verùm post plurimas reportatas victorias, tandem à Henrico Rege Germaniæ iteratò cæsi, & nimiùm attriti, ad se revertentes cœperunt animo agitare, an non duplicatæ hujus cladis causa esset desertio Religionis, quàm illorum majores à Carolo Magno suscepissent, alijs tamen id fato adscribentibus, atque horum prævalente sententiâ, post aliquam quietem rursus Italiam vastant, Galliam vexant, per Germaniam grassantur, sed demùm ab Othone Rege ad *Licum* fluvium propè Augustam, immensâ clade delentur.

24. Hungari superiore clade enervati, & non parùm afflicti, animum ad otium revocant, & non pauci ex illis memores Religionis à Carolo Magno susceptæ, ad eandem restaurandam animum applicant, & tunc vel maximè, cùm ex pluribus ultrò citróque commeantibus audivissent recentem Polonorum ad Christi fidem, sed quò minùs in apertum deduceretur hoc consilium, plurimorum efferata ingenia, & in gentilismo indurata pertinacia, impedimento fuit.

25. Interim scilicet Anno Christi 970. moritur Toxis postquàm rem Hungarorum, annos ferè duos supra viginti, variâ Ducis perinde, ac Regis appellatione gessisset, filio Gejzâ in spem successionis relicto. Qui primis statim sui Regiminis annis cœpit favere Christianis, initio quidem occultè, postmodum verò apertè quin & totam gentem Hungaricam ad fidem Christi adducere apud se statuit, ad quod opus inchoandum seu perficiendum animatus est ab ipsamet Beata Deipara, conspectu suo eundem dignante. Quare quòd hactenus indulgendo tantùm, jam palàm & disertè profiteri cupit, velle se in Regno Christianos habere, & ex eorum Lege Rempublicam administrare, continuò igitur aptos undique Viros accersiri jubet, qui & sibi adessent, & per Hungariæ populos effusi, veræ fidei rudimenta traderent. Quos inter primarij fuêre Piligrinus Laureacensis Episcopus cum S. Wolfgango Episcopo Ratisbonensi, ac postmodum S. Adalbertus Episcopus Pragensis, atque ut exemplo Hungaris præiret, ipse quóque Geyza cum conjuge, & tota familia, multísque familiaribus, Undis salutaribus expiatur, ac demùm pientissimè moritur.

26. Pientissimo parenti Geyzæ, succellit in Regno Sanctissimus Filius S. Stephanus, Rex simul & Apostolus Hungariæ, qui totam Hungariam ad fidem Christianam & Catholicam convertit, & famâ Sanctitatis universum orbem Christianum complevit. Divulgatâ autem per Orbem famâ S. Regis Stephani, & de Religione propaganda conatu, magni ubique motus in Religiosis pectoribus excitati sunt, proinde undique Sacerdotes & Monachi confluxerunt ad Regem, suam operam in conversionem Hungarorum ultroneè offerentes. Inter quos adfujt primus Astricus Abbas, dictus postea Anastasius, ac successu temporis S. Gerardus utérque Ordinis S. Benedicti, quorum operâ S. Rex usus, Religionis Christi propagandæ causâ, animum, vires, opésque intendit, eâ prudentiâ, & solertiâ, ut à Sede Apostolica, Rex Apostolicus dici meruit. Nec his contentus, Transylvaniam quóque Christo peperit, populósque omnes eundem tractum Daciæ incolentes, Religioni Christianæ manus dare adegit. Demùm Leges pro conservatione fidei Catholicæ sanctissimas statuit, documen-

cumenta item Filio suo S. Emerico sapientissima, eundem in finem condidit, quæ num etiam in Decretis Regum Hungariæ conservantur. Vixit autem Sanctus Rex usque ad Annum Christi 1038. quo sanctissimè obijt.

27. Hungari Petri Regis crudelitatem pertæsi, Oratores suos in Roxolloniam mittunt, indéque Regios Principes (ubi in exilio fuerunt) Andream & Leventam fratres omnium consensu ad Regnum capessendum evocant, cum hac tamen expressa conditione, ut populus fide & Religione Christianâ abjectâ, ritu pagano vivere possit, assentiuntur proinde Regni cupiditate allecti Principes Juvenes, quorum assensu obtento, apostatæ in obvios quoque Christianos, qui tesseram apostasiæ non ederent, irruunt, eósque trucidant, sicque major pars Hungarorum rursus relabitur in gentilismum.

28. Idem autem Rex Andreas postea adeptâ Regiâ dignitate potentior factus, scelestum illud prius decretum, confestim abolet saniúsque substituit Anno 1047. nempe: ut quicúnque Hungarus seu peregrinus in Hungaria deposito Scythico gentili, & Ethnico ritu, ad veram Christi fidem illicò non rediret, ac Sacram Legem à Divo Stephano traditam non reciperet, capite & bonis mulctaretur, omnia dein sua studia Andreas Rex ad fidem Christianam in Hungaria reparandam, & ad omnem suspicionem defectionis à Christo abolendam convertit, quod etiam feliciter perfecit.

29. Andreæ Regi in bello occiso, succedit in Regno frater ejusdem Bela I. sub hoc Rege, plebs promiscua, secundò fidem Christianam abrogari, & Scythicas suas cœremonias admitti petijt, sed à Rege sedulò coërcita, nunquam postea palàm quid ejusmodi tentare ausa est.

30. Sub Bela IV. Cumanorum 40000. hâc lege in Hungariam admissa sunt, ut fidem Catholicam amplecterentur. Sub eodem Rege Tartarorum quinquies centena millia Hungariam depopulantur, sacros Templorum Thesauros diripiunt, pleraque Monasteria diruunt, ita ut vix paucula remanerent indemnia.

31. Circa Annum 1327. Hæresis nefandæ Fratricellorum jussu Joannis XXII. Papæ etiam per Hungariam, extirpandi cura suscipitur.

32. Ludovicus I. Rex Cumanos ritu Tartarorum viventes ad fidem Catholicam converti procuravit & conversos missis Romanæ Religionis Magistris, in vera fide confirmavit.

Eodem tempore Patarini Hæretici in Bosnia, operâ *Patarini* Bosniæ Episcopi, ad fidem Catholicam reducuntur.

Cir-

Circa Annum 1370. Inter quinquaginta dies, ducenta millia hominum, ad fidem Catholicam sunt conversa in Bulgaria.
Circa Annum 1374. Ludovici Regis adlaborantis operâ Valachia à Schismate, ad fidei Romanæ Unitatem est revocata, quæ tamen postmodum rursus ad vomitum redijt.
Item Ludovicus Rex decrevit Hebræos, si deficerent à suis erroribus, pro Hungaris habendos (cum usu privilegiorum) sin minùs ex Hungaria omnes expellendos.
33. A Rege Sigismundo Fratricellorum, & Nicolaitarum Hæreses, ne latiùs per Hungariam serperent, repressæ.
Sub eodem Rege Hussitarum Hæresis cœpta in Bohemia, inserpserat in Hungariam, qui post Monasteria expillata, ex ijs Castella sibi pro iniquitatis suæ defensione extruxerunt.
34. Anno 1480. Hussitæ in Hungariam ingressi, à Matthia Rege extra Budæ vicos vivi, unà cum liberis, & uxoribus sepeliri jussi sunt; vel ex eo capite, quòd contrariam doctrinam fidei illi quam Hungari sub S. Stephano susceperunt, prædicarent.
Ejusdem Regis Decretum emanavit, 1462. quo notam infidelitatis incurrunt, publicæ & damnatæ Hæresi adhærentes.
Quod idem renovatum est sub Vladislao Rege. 1495.
35. Anno 1523. Sub Ludovico II. Decretum 54. unanimi omnium Regnicolarum voto tale sttatutum est. *Omnes Lutheranos, & illorum fautores, ac factioni ipsorum adhærentes, tanquam publicos Hæreticos, hostésque Sacratissimæ Virginis Mariæ, pœnâ capitis, & ablatione omnium bonorum suorum, Majestas Regia veluti Catholicus Princeps punire dignetur.* Budæ in Festo S. Georgij. *Idem* Decretum confirmatum fuit Anno 1525. per Comitia Regni in campo Rákos habita. *Lutherani omnes de Regno extirpentur, & ubicúnque reperti fuerint, non solùm per Ecclesiasticas, verumetiam per sæculares personas, liberè capiantur, & comburantur.*
35. Post cladem Mohaczianam, in qua omnes ferè Episcopi interempti sunt. Vacantes Episcopatus Domini sæculares occupârunt, uti & alia plura bona Ecclesiastica, sed præsertim Monasteriorum variorum Ordinum Religiosorum, qui metu Turcarum, Hungariam fœdè devastantium diffugerant. His repagulis ruptis, & conniventiâ & indulgentiâ Petri Perényi Palatini, Lutherani se in Regnum insinuârunt 1527. Et post eos etiam Calvinistæ sub ejusdem protectione.
36. Anno 1548. Sub Ferdinando I. Artic. 5. Diœtæ Posoniensis omnes Ordines, & Status Regni, unà voce sentiunt: *Religionem ad pristinam normam*

mam esse redigendam, & Hæreses undique tollendas. Et Artic. 11. *Anabaptistas, & Sacramentarios (seu Calvinistas) qui adhuc in Regno super sunt procul depellendos esse, de omnium bonis, Ordines, & Status Regni statuerunt, nec ampliùs illos, aut quempiam illorum, intra Regni fines esse recipiendos.*

Decretum Ferdinandi I. relatum, confirmatum est in Comitijs Regni Anno 1440. Posonij, Artic. 12. *Enitendum esse omnibus, ut Sancta & Catholica Fides, juxta Veterum SS. Patrum doctrinam, ubique in Regno restituatur, evulsis undique Hæresibus.* Idem confirmatum est in Comitijs Anni 1552. Artic. 7. Item Anni 1554. Artic. 7. Item Anni 1556. Ar. 25. & 26. Item Anni 1557. Artic. 10. Item Anni 1563. Artic. 31. & 32. Item Anni 1569. Artic. 43. Et Anno 1556. *Decretum est, ut Anabaptistæ omnes intra spatium quatuor hebdomadarum, sub gravissima indignationis Regiæ Majestatis pœna, è Regno ejiciantur.*

Anno 1562. Calvinistæ copiosiores se in Hungariam ingesserunt.

Sub Joanne Sigismundo Zapollya, Arianismus, & Lutheranismus in Transylvaniam inducitur, & ille quidem per Franciscum Stancarium Italum medicum, in Arianam Hæresim delabitur.

Anno 1472. Antonius Verantius Archi-Episcopus Strigoniensis, & Locumtenens, Zvinglianos, & Trinitarios Regno expulit.

Anno 1604. Sub Rudolpho, Artic. 22. prohibetur, ne deinceps in Generalibus Regni Tractatibus, & Diœtis alicui Religionis negotium quovis prætextu movere liceat, simúlque confirmantur omnia priora Decreta, in favorem Catholicæ fidei condita.

37. Sub Matthia II. (quem Hungari in Regem, vivente adhuc ejusdem Fratre Rudolpho Imperatore, & Rege Hungariæ elegerunt) extorserunt Acatholici Liberum suarum Sectarum exercitium, hàc enim conditione, & non aliter in Electionem consensêre. Verùm Franciscus Forgách de Ghymes Archi-Episcopus Strigoniensis, cum toto Statu Ecclesiastico huic concessioni contradixit, ac subscribere renuit. Ipse etiam Matthias Rex, quàm invitus id fecerit sæpiùs testatus est, cùm diceret, nullam sibi Coronam esse graviorem, quàm Hungariæ, eò quòd reliquorum Regnorum Coronæ, solùm caput sibi premerent, Corona verò Hungariæ ipsam quoque conscientiam, ob concessam libertatem exercitij dictarum Sectarum.

38. Anno 1618. Eligitur, & Coronatur in Regem Hungariæ Ferdinandus II. Princeps pientissimus, & Fidei Catholicæ Zelantissimus, qui postquàm Austriam, Styriam, Carinthiam, Carnioliam, Moraviam, & Bohemiam à Hæresibus diversis expurgâsset, omnem animum, & conatum applicuit,

ut Hungariam quóque ad pristinam pietatem, & fidem Catholicam reduceret. Favit huic pio conatui Divina providentia, subordinando eidem duos eximios, ex utróque Statu, Ecclesiastico scilicet & Sæculari Viros, & Heroës, nempè Cardinalem Petrum Pazmannum, & Comitem Nicolaum Eszterházi Regni Hungariæ Palatinum, aptissimos hujus piæ, & sanctæ intentionis Administros, ejusdémque prorsus cum Ferdinando animi, & zeli, ac consilij, cum his igitur Ferdinandus hoc negotium conferebat, consultabat, & de medijs inquirebat, nec occurrebat aliud efficacius medium, quàm si in quàm pluribus locis per Hungariam, erigerentur Scholæ Catholicæ, Seminaria, Ephœbia, & Convictus juvenum. Quod & factum, cum singulari incremento fidei Catholicæ per Hungariam.

39. Anno 1646. In Comitijs Posonienssibus, varijs technis, & minis, ac dolis, Acatholici extorquent à Ferdinando III. Rege restitutionem 90. Templorum, quæ à Catholicis utpotè legitimis possessoribus fuerant reoccupata. Cui tamen restitutioni contradixit Georgius Lippai Archi-Episcopus Strigoniensis, cum universo Clero, & magna parte Magnatum, & Nobilium Catholicorum, qui eandem pro irrita ac invalida censuerunt esse, & ut talem declarârunt.

40. Occasione Rebellionis, & conspirationis ab Acatholicis contra Regem, & Regnum initæ instituta fuit commissio Posonij, Anno Christi 1671. à qua proscripti sunt è Regno plurimi Prædicantes, seditionis complices, & à Magnatibus Nobilibúsque Catholicis, rursus Templa olim Catholica, Hæreticis sunt erepta.

41. Anno 1681. Augustissimus Imperator Leopoldus, & Rex Hungariæ, in Comitijs Sopronienssibus, præcisè propter bonum pacis, tranquillitatémque Regni publicam, indulsit adhuc liberum exercitium Augustanæ, & Helveticæ confessionis addictis, cum restrictione tamen ad certa, & determinata loca, eáque bina in singulis Comitatibus.

42. Ab Anno 1683. Non contenti hâc benignâ resolutione Suæ Majestatis, Acatholici, universum Regnum (totam potentiam Turcicam evocando) gravissimè perturbant, & sub falso prætextu defensionis Libertatum Regni, Hæreses suas promovere, & fidem Catholicam opprimere modis omnibus nituntur.

43. Licèt verò, per manifestam hanc scissionem, & Regni perturbationem Augustanæ, & Helveticæ confessioni addicti ipso facto, benignæ resolutionis Suæ Majestatis in præmentionatis Comitijs Sopronienssibus sibi ultroneè præstitæ participes esse desijssent. Nihilominus Sua Majestas Sacratissi-

tiſſima; Anno 1687. in Diœta Poſonienſi, eoſdem Articulos Sopronienſis Diœtæ, propter bonum pacis, & domeſticæ unionis, internámque Regni tranquillitatem, ex ſua duntaxat benevolentia, & gratia, renovavit, & priori firmitati reſtitutos, cenſendos eſſe voluit.

44. Induſtriâ ſingulari Eminentiſſimi Cardinalis per proximos hos annos, multa millia Valachorum in Croatia, & Ruthenorum in Hungaria Græci ritûs, reducta ſunt ad Unionem fidei Romano-Catholicæ. Cui acceſsêre poſtmodum etiam Valachi Tranſylvaniæ.

45. Inter has autem omnes Religionum in Hungaria, & Tranſylvania revolutiones, mutationes, & perturbationes, Regna Croatiæ, Sclavoniæ, & Dalmatiæ, conſtanter in fide Romano-Catholica permansêre, imò in his ipſis Comitijs ultimis, id effecêre, ut in illis, nemo præter Romano-Catholicos, Bonorum poſſeſſionis capax poſſit eſſe.

Tentabat quidem Hæreſeos impia lues, etiam in hæc Regna, virus ſuum diffundere, unde in publicis Comitijs, Poſonij, Anno 1609. celebratis, liberum ſuarum ſectarum, in his quoque Regionibus, magna cum contentione Acatholici Hungariæ, auſi ſunt expetere. Verùm horum impijs conatibus fortiter reſtitêre, Regnorum illorum Ablegati, præſertim verò eorum Banus Comes Thomas Erdődius, qui ne multitudini inconditis clamoribus vociferanti, ſuperandi ſe occaſionem præberet, publicè evaginato gladio, his verbis ſuam ſententiam firmavit: Hoc (inquit) ferro, ſi aliter fieri non poterit, peſtem iſtam, à nobis eliminabimus, tréſque nobis adſunt fluvij, Dravus, Savus, & Colapis, è quibus unum novis iſtis hoſpitibus, ſorbendum dabimus. Ad quæ verba attoniti Hæretici, imprimis ſubmiſſim muſſitare, demùm conticeſcere cœperunt. Non minùs & Joannis Draskoviczij, Regnorum horum Bani, hac in parte, virtus, & Orthodoxæ fidei zelus enituit, nam cùm in alijs Regni Diœtalibus Comitijs, de introducenda in Illyrium, novarum iſtarum Religionum libertate, inter Orthodoxos, & Heterodoxos, diſceptatio mota fuiſſet; hic Heros, palàm proteſtatus eſt, ſe malle, cum omnibus Illyrij Regnis, ab Unione Coronæ Hungariæ ſeparare, quàm mortiferam illam animarum peſtem, ac famoſiſſimam Reipublicæ labem, ſub Banatu ſuo, admiſſam aut conceſſam in ſuis Regionibus, videre.



CATALOGUS LXXVII.

Caufarum Forum Spirituale concernentium, in Hungaria.

Caufæ Forum Spirituale concernentes enumerantur Artic. 3. Decreti primi Matthiæ Corvini Regis in Dicæta Pofonienfi emanati, Anno 1464. hoc ordine.

1. Omnes Caufæ circa Myfteria, & defectus Sacramentorum.
2. Omnes Caufæ in facto Fidei, & Caufæ Hærefum, feu fufpectorm de Hærefi.
3. Caufæ Teftamentariæ, & earundem accefforia.
4. Caufæ Matrimoniales, & accefforia earundem: fpecialiter autem, dotis, & rerum paraphernalium, donationum propter Nuptias, & Juris quartalitij, fi non intentetur pro hæreditate poffeffionaria adipifcenda.
5. Caufæ Decimarum realium, & perfonalium, & acceffioria earundem.
6. Caufæ Ufurarum.
7. Caufæ Viduarum, & miferabilium perfonarum, fi non agitur pro poffeffionibus, & prædijs adipifcendis.
8. Caufæ Fidei violatæ, & omnium perjuriorum.
9. Caufæ, quarum finis tendit, ad correctionem pro peccato.
10. Omnes Caufæ, in quibus quis incidit in Sententiam Excommunicationis, hominis, vel Canonum. Quia tamen in Foro Spirituali potiffimùm agitantur Caufæ Matrimoniales, & non pauci fubterfugiant Sententias Judicum hujus Fori, ex forma Concilij Tridentini decidendas, ex eo, quòd Concilium Tridentinum non cenfeatur acceptatum in Hungaria quoad Solennitates Matrimonij, ideò hæc quæftio ex profeffo videtur hic effe difcutienda.

Quæftio Fundamentalis ad multos Cafus Matrimoniales decidendos utilis, ac neceffaria.

Utrùm Concilium Tridentinum cenferi debeat effe acceptatum in Hungaria, etiam quoad Solennitates Matrimonij & fignatè quoad præfentiam proprij Parochi, & duorum faltèm teftium, ita ut fine his evadat irritum ac invalidum Matrimonium?

Pro parte negativa fundamentum hoc unicum adferri poteft: Quod Decreta Concilij Tridentini quoad reformationem morum non obligent, nifi in ijs locis, & Regionibus, in quibus funt promulgata, & infuper acceptata, ac demum ufu contrario non abrogata. Et quidem promulgationem eo-

rum,

rum, ipſum Concilium Seſſione 24. Cap. 1. in fine requirit, tanquàm neceſſariam ad inducendam vim irritandi Matrimonium, ex defectu proprij Parochi, & duorum ſaltèm teſtium. Atqui in Hungaria, Concilium Tridentinum, quoad Solennitates Matrimonij, non eſt promulgatum.

Ergò.

Nihilominus affirmativam judicarem omninò eſſe veroſimiliorem; videlicèt: Concilium Tridentinum eſſe acceptatum in Hungaria, etiam quoad Solennitates Matrimonij, & ſignatè quoad præſentiam proprij Parochi, & duorum ſaltèm teſtium; ita ut ex hoc ſolo defectu initum Matrimonium, ſit irritum, & invalidum. Ad quod aſſerendum moveor ſequentibus rationibus.

Quia licèt Concilium Tridentinum non fuerit promulgatum per totum Regnum cum ijs Solennitatibus, quas præſcribit Tridentinum; nempe: ut triginta diebus pendeat Decretum in valvis, & portis Eccleſiarum; & poſt elapſos triginta hos dies habeat illud vim obligandi. Cenſetur tamen fuiſſe promulgatum præſumptivè, & virtualiter, ſeu æquivalenter, adeóque ſufficienter. Primò. Quia Ferdinandus Primus pro tunc Rex Hungariæ unicè urgebat Concilium Tridentinum, cum firmo animo, & propoſito, omnia Decreta illius ſanctè obſervandi, & in ſuas Provincias, ac Regna inducendi. Secundò. Quia idipſum exoptabant cum eadem voluntatis reſolutione ipſimet Regnicolæ unanimiter, & præſertim Epiſcopi, ac Univerſus Status Eccleſiaſticus. Ut videre eſt Articulo 13. Diœtæ Poſonienſis, Anni 1542. qui ſic habet: *Supplicant Ordines, & Status Regiæ Majeſtati Domino eorum clementiſſimo, ut tam Suâ, quàm Sacræ Majeſtatis Cæſareæ authoritate, agat apud Sanctiſſimum Dominum Noſtrum, quatenus Sanctitas Sua Generale Concilium, pro complanandis omnibus differentijs, varijſque opinionibus de Religione, ſine diuturniore mora celebrare dignetur. Quod ſi Sanctitas Sua id differret, Majeſtas Cæſarea dignetur modum adhibere, ne celebratio Concilij diutiùs protrahatur.* Erant igitur omnes Regnicolæ parati ad ea omnia acceptanda, quæcúnque erant à Concilio decidenda; non ſolùm circa varias opiniones de Religione, quæ tunc erant excitatæ, ſed etiam de omnibus differentijs; adeóque etiam de illis, quæ ſpectabant ad Solennitatem Matrimonij. Tertiò. Hunc in finem, miſerunt, & Rex, & Regnum nomine ſuo tres Ablegatos ad Concilium Tridentinum. Nempè: Georgium Draskoviczium Epiſcopum tunc Quinque Eccleſienſem; Joannem Coloſvarium Epiſcopum Cſanadienſem; & Andream Dudicium Epiſcopum Tinninienſem. A redeuntibus verò ex Concilio Tridentino, Anno 1564. Regni Legatis, ſub finem Comitiorum

rum Posonij celebratorum, intimata sunt Regi, & Regno omnia Decreta Concilij, néque tamen ullus se ijsdem opposuit, vel illis contradixit, uti aliàs contigit in Gallia (ipsismet aliquibus Episcopis, his Decretis, quasi detrimentosis privilegijs Regijs, & Ecclesiæ Gallicanæ, initio contradicentibus) aut in Polonia (obnitente ijsdem, ipsomet Gnesnensi Archi-Episcopo Regni Primate) & tamen hoc non obstante, tam in Gallia, quàm in Polonia censetur nunc Concilium Tridentinum acceptatum. Quòd verò nulla fuerit ijsdem facta contradictio, patet etiam inde: nam si quæ contradictio facta fuisset, illa utique vel maximè facta fuisset ab Acatholicis, qui tamen, illo tempore, nullam in Regno habebant vocem. Concilium enim Tridentinum inchoatum est, Anno 1543. & finitum Anno 1563. Libertas autem Religionis Lutheranæ, & Calvinianæ concessa est à Matthia II. Anno 1612. & postmodum primò prodijt in Comitijs publicis, nomen Statûs Evangelici in Hungaria. Quamvis nec horum contradictio quidquam acceptationi Concilij Tridentini obfuisset, cùm Catholicus Status, hac in parte fuerit potior.

Quòd verò tunc Concilium Tridentinum publicè in Regni Comitijs promulgatum non fuerit, obstaculo proculdubiò fuit, eorundem Comitiorum imminens finis, ac præsens gravissima infirmitas Regis Ferdinandi Primi, quâ etiam eodem anno extinctus est.

Subsequentibus autem Comitijs Regni varijs, id commodè fieri non poterat, ob continuata bella cum Turcis, & tumultus domesticos, præsertim Joannis Stephani Zapollya, Transylvaniæ Principis. Postmodùm verò non expediebat hoc negotium proponi in publicis Regni Comitijs invalescentibus jam in Regno, Hæreticis. Unde hæc publica Decretorum Concilij promulgatio, non est omissa ex Regnicolarum Catholicorum resistentia, sed ex incommodis, ac importunis temporum, & rerum circumstantijs.

Verùm dato etiam hoc, quòd defuisset in Hungaria requisita Concilij Tridentini publica promulgatio. Judico tamen censendum adhuc, Concilium Tridentinum acceptatum esse in Hungaria, etiam quoad omnes Solennitates Matrimonij.

Rationem asserti hujus accipio ex P. Lessio, qui in Auctario ad 1. & 2. verbo Sponsalia Cap. 5. 9. & 15. sic loquitur de hoc ipso Decreto, *Censetur sufficienter promulgatum,, quando est usu receptum. Et ratio est: quia diuturna consvetudo pollet vi inducendi impeditionem Matrimonij. Et licèt Decretum hoc, habeat id peculiare, quòd debeat promulgari in singulis Parochijs, non tamen suppetit ratio dicendi, habere etiam istud peculiare, quòd non*

suffi-

sufficiciat receptio, & usus communis, sed requiratur formalis promulgatio. Unde infero. defectu soljus promulgationis, in Hungaria non deficere vim obligandi Decreti Tridentini, etiam quoad Solennitates Matrimonij, & vim illud irritandi, si contrahatur sine præsentia proprij Parochi & duorum saltèm testium.

Confirmat id magìs solidè Petrus Marchantius tomo 3. Tribunalis, titulo 7. quæstione 4. apud Gobat Tractatu 9. Casu 18. qui in hac materia, & in paribus circumstantijs de Hollandicis Provincijs, in quibus mixti sunt Catholici Acatholicis, in hunc ferè modum discurrit. Advertendum est in Hollandia (dico ego in Hungaria) duplicem velut reperiri Christianam Rempublicam. Alia est Pseudo Ecclesiæ, quæ est Hæteticorum. Hæc autem cùm sit simul Schismatica, non agnoscens Caput Ecclesiæ, & Vicarium Christi; & insuper spernens definitiones Conciliorum Ecclesiæ, & recusans se ejusdem legibus subjicere, non est curanda hoc in passu, utrùm acceptaverit, vel acceptum velit Concilium Tridentinum; proinde cum hac nobis non est disputandum: clarum siquidem est; quòd hæc, non tantùm quoad Solennitatem Matrimonij, & reformationem morum, sed &, quoad Articulos fidei, Decreta Concilij Tridentini, ejúsque declarationes apertè rejiciat. Alia est in illis, & similibus locis, quasi Respublica, Ecclesia vera, & Catholicæ Romanæ membrum; quæ potisimùm ex personis Ecclesiasticis constat, utporè ad quas solas administratio Sacramentorum spectat; & cujus legibus sæculares quóque & Laici, quoad res Ecclesiasticas subjacere debent. Jam verò etiamsi supponeretur quoad politiam Civilem, Concilium Tridentinum in talibus partibus, & Provincijs non esse acceptatum (addo, & fortè nec formaliter publicè promulgatum) tamen, si Episcopi, Vicarij, Parochi, & Doctores Catholici, urgeant, svadeant, doceant, Concilij Tridentini Statuta, & specialiter quoad Solennitates Matrimonij, ac signatè quoad præsentiam proprij Parochi, & duorum sàltèm testium, censendum est Concilium Tridentinum esse acceptatum, supponit autem hìc Author Leges, & Statuta Concilij Tridentini, & signatè de præsentia proprij Parochi, & duorum saltèm testium à fidelibus, velut in Parochijs (& à fortiori Synodaliter congregatis) ex zelo fidei, & reverentia ad Ecclesiam Catholicam, & Concilium Tridentinum, ejúsque Leges suscepta, & Vicariorum Generalium in Spiritualibus sollicitudine introducta esse: unde concludit, Regulariter & Communiter, ubi justum impedimentum non est, observari debere. Subsumo. Atqui Fideles in Hungaria, & præsertim Ecclesiasticus Status, Episcopi, & Vicarij Generales, Leges Concilij Tridentini, etiam

quoad Solennitatem Matrimonij, ſemper tuiti ſunt, & conati ſunt modis omnibus inducere obſervationem eorundem. Ergò Concilium Tridentinum etiam quoad Leges Matrimoniales cenſendum eſt, eſſe acceptatum à Hungaria. Subſumptum probo.

Primò. A praxi Epiſcoporum, & Vicariorum eorundem, qui Matrimonia non contracta juxta præſcriptionem Concilij Tridentini, & ſignatè ſine præſentia proprij Parochi, & duorum ſaltèm teſtium, ſemper improbabant, inhibebant, imò & nulla eſſe declarabant, adeóque & diſſolvebant, etiam intra perſonas Illuſtriſſimas, cujus rei notiſſima habentur exempla.

Secundò. Non tantùm in Diœceſanis, ſed & in Provincialibus Synodis, ſe ſtatutis Concilij Tridentini per omnia conformabant, & Statuta ſua ex eodem confirmabant; Ut videre eſt in Synodo Tyrnavienſi Cardinalis Forgách, Anno 1616. celebrata. In Synodo pariter Tyrnavienſi ſub Cardinali Pazmanno, Anno 1629 habita. In Synodis Zagrabienſibus ſæpiùs iteratis. In Synodo Diœceſana Thuroczienſi, ab eodem Cardinali Pazmanno indicta, & convocata. In Synodo pariter quadam Nitrienſi, quam memini me quondam legiſſe.

Tertiò. Inſuper Epiſcopi, ac Vicarij, in tales Parochos, & Decanos, qui præſumebant alienarum Parochiarum Matrimonijs aſſiſtere, graviter animadvertebant, & eos officio quóque privabant.

Quartò. Hæ leges ſemper viguerunt, & in uſu continuò fuerunt, & defactò ſunt in Diœceſi Zagrabienſi, uti & Jaurinenſi; in alijs quóque Diœceſibus, ſi impediri non poterant, certè ſemper improbabantur talia Matrimonia, quæ ad normam earum contrahebantur.

Quintò. Inſuper Sæculares quóque & Laici Catholici ſtant, séque ſubmittunt deciſionibus Eccleſiaſticis in Cauſis etiam Matrimonialibus, juxta Statuta Concilij Tridentini factis. Imò & ipſi Hæretici, ſaltèm quoad impedimenta Matrimonij à Concilio Tridentino ſtatuta, coguntur ſe Sententijs Sacrarum Sedium, ſeu Conſiſtoriorum accommodare, ijſdémque acquieſcere.

Sextò. Ipſi verò Vicarij Generales, juramentum tenentur præſtare, quòd in deciſionibus etiam Matrimonialibus, velint Statutis Concilij Tridentini inhærere, atque juxta ea, Caſus ſui fori decidere.

Septimò. Denique & Doctores Catholici in Hungaria, obſervationem Statutorum Concilij Tridentini ſvadent, & docent, & juxta eadem, difficultates circa occurrentes Caſus reſolvunt. Igitur Concilium Tridentinum in Hungaria eſt uſu receptum, & ab ea parte Fidelium, quæ conſtituit quaſi Rempublicam ſaniorem, & quæ eſt vera Eccleſia, & Catholicæ Romanæ Eccle-

ſiæ membrum, per omnia acceptatum, eſto non præceſſiſſet formalis publica in Regno ejuſdem promulgatio. Néque obſtant aliqui interea uſus contrarij; hi enim potiùs abuſus dicendi ſunt: cùm ſemper fuerint à saniore hac velut Republica, reprobati, inhibiti, & pro irritis habiti, ac ut tales non ſemel declarati.

CATALOGUS LXXVIII.

Favorum & beneficiorum Sacræ Romanæ Eccleſiæ, & Summorum Romanorum Pontificum, erga Hungariam.

1. S. Petrus primus Pontifex Romanus, & primus in terris Chriſti Vicarius, in locum Titi diſcipuli S. Pauli Apoſtoli, ſubmiſit Sanctum Domnium, qui Chriſti fidem propagavit per Illyrium, hoc eſt, per Croatiam, Boſniam, Dalmatiam.
2. Submiſſus dein fuit à Sede Apoſtolica in Scythiam S. Andronicus Epiſcopus, qui Hunnis, adhuc in Scythia exiſtentibus Evangelium Chriſti prædicavit. *Vide Bollandum ad* 17. *Maij.*
3. Poſt hunc verò ab eadem Sede Apoſtolica, in eandem Scythiam mittitur, S. Theatinus ſive Theotinius Epiſcopus, qui in ſumma veneratione apud Hunnos habitus fuit ob ingentem virtutem miraculorum, divinitùs eidem collatorum, ut teſtatur *Sozomenus*. Contigit id ſub Anaſtaſio Papa, qui obijt Anno Chriſti 402.
4. Longè adhuc ante adventum Hungarorum in Pannoniam, nempè, Anno Chriſti 63. ab eadem Sede Apoſtolica creatus eſt quidam Laurentius, Epiſcopus Laureacenſis, ad prædicandum Evangelium Chriſti, Pannoniæ Provincijs.
5. Anno Chriſti 260. In eundem finem remiſſus eſt à Sixto Pontifice in Pannonias S. Maximilianus Celeienſis, non multò poſt creatus Epiſcopus Laureacenſis. *Inchoffer in Annalibus Eccleſiaſticis Hungariæ, ad hunc annum.*
6. Circa Annum Chriſti 399. Conſtitutus eſt à Sede Apoſtolica S. Nicetas Epiſcopus Daciæ, qui plurimos Dacos, & non paucos etiam Hunnos ad Chriſti fidem convertit. *Inchoffer citatus ad hunc Annum.*
7. S. Leo Pontifex, Attilæ Hungarorum Duci, licèt Gentili, dum maximo furore, Romam tenderet ad ejuſdem everſionem, jámque copias ubi Mincius in Padum influit, trajicere pararet, vi eloquentiæ quaſi Divinæ perſvaſit, ut non ſolùm ab Urbis excidio abſtineret, ſed & in Pannoniam cum univerſo exercitu pedem referret, nî ſe cum ſuis omnibus perditum vellet.

8. Poſt fatum Attilæ, S. Severinus Noricorum Apoſtolus, authoritate Pontificiâ, plurimùm in Pannonia pro fide Chriſtiana Romano-Catholica laboravit, qui obijt Anno Chriſti 482.

9. Circa Annum Chriſti 625. annuente Pontifice Bonifacio V. S. Rupertus Juvaviæ (hodie Salisburgi) Epiſcopus, omnia Danubio adſita Oppida, & pagos luſtravit, in Pannoniámque penetrans, multos ex Pannonijs ad Chriſti fidem convertit.

10. Carolus Magnus, à Leone III. Papa coronatus in Imperatorem Occidentis (quod jam defecerat in *Auguſtulo Momyllo*, Anno Chriſti 775.) devictis Hungaris in Campo Sicambriæ, auctore eodem Pontifice ijſdem hanc optionem dedit. Ut qui Chriſto nomen ultrò daturi ſint, liberi ſunto: qui renuiſſent, ijs ademptâ cum fortunis libertate, vita duntaxat permittuntor. Accidit id Anno Chriſti 803.

11. Eugenius II Papa, Urolphum Epiſcopum Patavienſem (alijs Laureacenſem) Legatum ſuum conſtituit per Pannoniam, ut ejuſdem Eccleſias ordinaret, augeret, promoveret, & dirigeret. Quod accidit Anno Chriſti 825.

12. Anno Chriſti 862. Hadrianus II. Papa Cyrillum, atque Methodium Monachos S. Baſilij miſit, ad prædicandum Evangelium Moravis, & Pannonijs.

13. Anno Chriſti 879. Joannes VIII. Papa, Methodium à Calumnijs liberat, ejúſque doctrinam, quam Pannonijs tradidit, ut conformem Eccleſiæ Romanæ approbavit, eidémque Voichium adjungit, & Eccleſiæ Nitrienſis Epiſcopum conſtituit.

14. S. Peligrinus Epiſcopus Laureacenſis, annuente Papâ Benedicto VII. in Hungariam venit, & aſſumpto ſecum Wolffgango viro illius ævi doctiſſimo & ſanctiſſimo (qui dein Infulâ Ratisbonenſi ornatus eſt) multos ad fidem Chriſti convertit.

15. Acceptâ authoritate Romani Pontificis Joannis XV. Papæ, S. Adalbertus Epiſcopus Pragenſis, in Hungariam venit, fidémque Chriſtianam in eadem promovit.

16. Divulgatâ S. Regis Stephani per Orbem famâ, & conatu de propaganda Chriſtiana Religione, plurimi viri authoritate Gregorij V. Papæ, pietate inſignes, Sacerdotes, & Monachi ad eundem confluunt, públicâ utilitate commoti, ad Verbum DEI diſſeminandum, & fundandas in Hungaria Eccleſias.

17. Propagatâ jam aliquantiſper Religione Chriſtianâ per Hungariam S. Stephanus, pro eadem magis ſtabilienda & promovenda ad Epiſcopatus fundandos curam omnem convertit; atque pro eorundem Confirmatione ad

Syl-

Sylvestrum Papam Legationem honorificam decrevit. Princeps Legationis erat Astricus Abbas. Legatio verò quatuor continebatur Capitibus, *Ut refert citatus Inchoffer ad Annum Christi* 1000. Primum erat ut Vicario Christi, & Sancti Petri Principis Apostolorum Successori, consvetam à Principibus Christianis obedientiam præstaret: nec non eidem Principi Apostolorum, Regnum, & Populum, cunctáque sua, & semetipsum in perpetuum offerret. Deinde ut Vicarius Cchristi in terris recens conversæ Pannoniæ, largam Benedictionem impertiret, vicissim Regnum, & Gentem Hungarorum, unà cum suo Rege in tutelam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ reciperet. Tertium ut Strigoniensem Ecclesiam Apostolicâ authoritate Metropolitanam constitueret, & reliquos Episcopatus suâ benedictione & facultate muniret. Demùm, ut se hactenus Hungariæ Ducem, Regio Nomine & Diademate cohonestaret. Excepit hanc Legationem Sylvester magnâ cum animi voluptate, decrevítque Stephanum peculiari quodam honore, & prærogativâ condecorare. Hungariæ verò Regnum eximio planè Religionis affectu & vinculo, Romanæ Ecclesiæ devincire, ac singularibus quibusvis, favoris & gratiæ privilegijs exornare. Quod & luculenter præstitit, annuendo benignè omnibus Stephani postulatis, insuper & Coronam Regiam eidem mittendo, eúmque Regem salutando, & Hungarorum Apostolum nominando, suásque illi, & Successoribus illius cura in ordinandis Ecclesijs, concredendo, & committendo, eúmque Titulo Regis Apostolici, ac Regnum Titulo Regni Apostolici condecorando.

18. Anno Christi 1019. S. Rex Stephanus *Emerico* Filio pientissima conscripsit documenta. Inter quæ illud est primum, ut Fidem Catholicam & Apostolicam firmiter teneat, ac inter suos conservare studeat, Romanæque Ecclesiæ authoritatem tueatur, ac Romano Pontifici filialia præstet semper obsequia.

19. Anno Christi 1038. S. Stephanus Rex moriens, accersitis Episcopis, & Primatibus Regni; ijsdem conservationem fidei Catholicæ & Romanæ, Regnúmque ipsum Hungariæ Patrocinio Magnæ Matris recommendat.

20. Post mortem S. Stephani, electus est in Regem Hungariæ unanimi Regnicolarum consensu *Petrus*, ejusdem Sancti Stephani sororius, sed non diù post è Throno dejectus, eidémque à nonnullis Proceribus *Ovo* substitutus, & subrogatus. Ægrè verò tulit Benedictus IX. Papa hanc legitimè electi & coronati Regis dejectionem, Legatum proinde suum in Hungariam misit, qui cùm néque sanioribus consilijs, néque minis *Ovonem* ab iniqua Regni possessione avocare posset, eundem tanquàm injustum Regni invasorem, latâ in eum Anathematis sententiâ à Fidelium se-

paravit consortio. Sensit is mox suæ pervicacitatis pœnam; atquè vim excommunicationis Ecclesiasticæ, quandóquidem ab Henrico Imperatore ad Jaurinum victus, & profugus factus, à suis non diù post à fuga retractus & occisus est, Petrúsque Regno repositus.

21. Anno 1047. Rex Petrus ob suam Crudelitatem, ab Hungaris interimitur, atque Andreas, & Leventa Regij Principes, in Russia exules evocantur, ijsdémque Regnum sub hac conditione defertur, ut fidem Christianam à Regno proscribant, & Hungaris ad pristinos majorum suorum Gentilitatis ritus redeundi facultatem præbeant. (cui postulato Juvenes regnandi causâ subscribunt.) Unde mirè sævitum est in Christianos per universam Hungariam.

22. Mox tamen rebus firmatis in Regno, Rex Andreas ad Pontificem Romanum Damasum II. Legationem mittit, factúmque excusat, & Religionem Christianam in Hungaria publicè edicto restituit. Interea mortuo Damaso Pontifice, succedit eidem in Pontificatu Leo IX. Adhunc igitur Andreas Rex novam Legationem expedit, eidémque Hungariam Religioni jam reconciliatam, & ex voto pridem Sancti Stephani, Apostolicæ Sedi Sacram, recommendat, ennixè eundem rogans, ut conciliato Henrico Imperatore, eundem à belli conatu, quod Hungaris inferre parabat Apostolicâ authoritate averteret. Obtulit sine mora Leo Pontifex ad id suam omnem operam, paratus ipse in persona ad sanciendam inter illos pacem, si opus fuerit in Germaniam venire. Interim per Legatos apud Henricum modis omnibus egit, ut eundem placaret, & Andreæ, Hungarísque reconciliaret, & cùm sic nil efficeret, Anno insequenti 1051. ipsemet in Germaniam hunc in finem Româ venit, licèt conatus illius, amicis discordiæ pacem interturbantibus, effectu pro tunc caruerit.

23. Idem Andreas Rex, approbante Victore II. Papâ, in monumentum Religionis vindicatæ, quam perfidè abjecerat, reintegrat Ordinem Crucigerorum Equitum in Hungaria, qui deinde à Divo Ladislao illustrior fuerat redditus. Horum insigne erant Calcaria deaurata cum Cruce; nec alij ad eum admittebantur, quàm Magnates, & præcipui ex Nobilitate. Qui tamen Ordo Equestris, successu temporis, & refrigescente charitate, postmodùm quasi evanuit. Nisi fortassis moderna creatio Equitum Auratorum, aliquam speciem, & umbram illius, videatur referre.

24. Urbanus II. Papa, conspirantibus Regibus, & Principibus quibusdam Christianis, ad recipiendam terram Sanctam à Saracenis, nominat pro Duce totius Exercitûs Christiani, Sanctum Ladislaum Regem Hunga-

riæ, quod officij genus, hilari fortique animo ſe ſuſcepturum adpromittit, ſed cùm iter pararet, mors pios conatus intervertit.

25. Hadrianus IV. Papa, Nitrienſem Eccleſiam, quam Geyſa II. Rex Hungariæ in Cathedralem converterat, & dotaverat, Apoſtolicâ authoritate confirmat.

26. Regnante Rege Emerico, Anno 1200. ſuſcepta fuit expeditio Cruce ſignatorum, ad Terræ Sanctæ recuperationem, quibus cùm pecuniæ ad comparandas naves deeſſent, liberaliter hæ ijſdem (à Venetis ſuppeditantur, cum hac tamen conditione, ut priùs eoſdem juvent in Jadræ, Urbis Dalmatiæ (quæ tunc erat juris Hungarici) expugnatione, quod etiam illi licèt inviti præſtitêre. Diſplicuit hæc res vehementer Pontifici Innocentio III. ob idque tam Venetos, quàm Crucigeros excommunicavit, licèt hos brevi ab excommunicatione abſolverit, ne piæ illorum intentionis progreſſus retardaretur.

27. Anno 1216. Honorius III. Pontifex, univerſos Reges, & Principes Chriſtianos, ad recuperandam Terram Sanctam, & ad ſuſcipiendum bellum ſacrum, contra Saracenos Mahometanos, infeſtiſſimos Chriſtianitatis hoſtes, invitaverat atque concitaverat, atque hujus totius expeditionis Ducem, Andream II, Hungariæ Regem conſtituit, cum magna Hungaricæ Nationis commendatione, ac utilitate. Hâc ſiquidem occaſione Nobilitas Hungariæ obtinuit, ſuæ Nobilitatis Privilegia, quibus etiamnum fruitur.

28. Cùm Ladislaus III. Rex Hungariæ, ſpreto thoro conjugali, Cumanorum filiabus adhæreret, & ex his complures pellices interteneret, ob quod etiam Ladislaus ab Hungaris Chunus cognominatus eſt, Proceres Regni ad Summum Pontificem recurrêre, ut remedium adferrent infami ſui Regis vitæ. Qui proinde Philippum Firmium Sedis Apoſtolicæ Legatum ad Regem miſit. Hic in Hungariam veniens, primò mitiſſimis admonitionibus Regem hortatur & orat, ut ſanctum conjugalem thorum colat, concubinâſque amoveat, pòſt ſeveriùs etiam corripit, ac dein etiam Anathematis pœnam interminatur, nì correctis, & caſtigatis moribus honeſtiùs vivat, ac tandem, cùm nec ſic quidem proficeret, eundem communione Fidelium privat. At Rex adhuc vitijs, & turpi libidini immerſus, cum magno dolore Procerum, ac totius populi manet pervicax, ſed brevi pœnas luit, ab ipſis Cumanis, non diù pòſt miſerabiliter oppreſſus, & interemptus.

29. Mortuo Rege Ladislao III. Proceres, & Regnicolæ in duas partes ſcinduntur, & pars una Carolo Siciliæ Regis Filio Stephani IV. ex Filia Ma-

ria nepoti favet, pars altera, Venceslaum Bohemiæ Regis filium in Regem eligit, & post hunc Othonem Bavariæ Ducem ad Sceptrum evocat. Unde seditio gravis, discordiâque Regnicolas perturbat. Ut igitur Clemens V. huic malo occurreret *Gentilem* cum amplissima potestate in Hungariam misit, qui tandem per iteratas svasiones, preces & exterminationes Summi Pontificis, effecit, ut ab Hungaris Carolus præmentionatus communi consensu Rex acceptaretur, & de more coronaretur. Nec pœnituit hujus Pontificij consilij Hungariam. Hic enim Carolus Rex per Annos 34. ac ejusdem Filius Ludovicus per Annos 40. cum summa laude & gloria Regnum gubernârunt, & non solùm integrè illud conservârunt, sed etiam eximiè ampliaverunt.

30. Anno 1345. Andreas Rex Neapolitanus, Ludovici Regis Hungariæ frater insolentiâ suorum, ac fortassis ipsiusmet etiam Joannæ uxoris ejusdem, perfidiâ, fuerat strangulatus. Cujus rei indignitate, & affectu erga Ludovicum Regem motus Summus Pontifex Clemens VI. anno insequenti atrox supplicium de complicibus mortis Andreæ curat sumi.

31. Anno 1348. Ludovicus Rex Hungariæ, ipsemet in persona ad vindicandam armis mortem Andreæ fratris, cum exercitu in Regnum Neapolitanum vadit, & præter Titulum Regum Hungariæ, ejusdem Pontificis assensu. Titulis Regis Hierusalem, & Siciliæ utitur.

32. Anno 1350. Ludovicus Rex iteratò ex Hungaria cum exercitu in Regnum Neapolitanum pergit, & ad interpositionem Pontificis cum Joanna Regina pacem init, dein Romam in reditu veniens, à Pontifice cum maximis honoribus excipitur.

33. Anno 1357. Ludovicus I. Hungarorum Rex, composito bello cum Venetis, antequam è finibus Venetorum exercitum reduceret, Pontificem Innocentium VI. adversùs Tyrannos, qui ditiones Ecclesiasticas oppresserant egregiè adjuvat, ob quod eundem Pontifex Titulo Ecclesiæ Signiferi condecorat, ut & ejusdem Successor Urbanus V.

34. Invalescente formidabili Turcarum potentiâ, Gregorius XI. Principes Christianos ad ferendam Græcorum Imperio opem contra eosdem incitat, sed præsertim Ludovicum Regem Hungariæ, & jam etiam Poloniæ simul, ad id invitat. Cujus consilio, si tunc Ludovicus acquievisset, vires Turcarum nunquam ità accrevissent, ut ad viscera Hungariæ penetrare valuissent.

Anno 1440. Cùm intestino bello, eóque gravissimo laboraret Hungaria, concertantibus de Regno, Elisabethâ viduâ, nitente retinere Regnum pro Ladislao filio Posthumo, & Vladislao I. Lithvaniæ Principe Regis Poloniæ fratre in Regem Hungariæ à Proceribus Regni electo, Eugenius

nius Papa, continuò misit in Hungariam, Julium Cæsarium Cardinalem, eidem demandans negotium pacandæ Hungariæ, quod is etiam, summâ suâ dexteritate, & sapientiâ feliciſſimè confecit, Regnúmque plenè pacavit.

35. Communibus suffragijs Electorum, Sigismundus Rex Hungariæ, ut Marchio Brandeburgicus, in Regem Romanorum eligitur, quam electionem Summus Pontifex Joannes XXI. summoperè approbavit.

36. Gliscente dein Hussitarum in Bohemia Hæresi, Joannes Papa, & Sigismundus jam Rex Romanorum, Cremone convenientes, Generale Concilium ad pestem hanc exterminandam indicunt.

37. Moritur interea Venceslaus Rex Bohemiæ, cui jure sanguinis succedit Sigismundus in Regno, applaudente Martino V. Summo Pontifice, qui in Sigismundo maximam spem habebat, sopiendi Hussitarum Hæresim in Bohemia.

38. Anno 1433. Sigismundus in Italiam proficiscitur, & Romæ ab Eugenio IV. Pontifice in Basilica Vaticana Augustalibus insignibus, & Aureâ Coronâ redimitur, ac in Imperatorem Romanorum creatur.

39. Anno 1453. Dum Mahometes Turcarum Imperator superbiâ tumens ob Græcos plenè debellatos Pannoniæ immineret ac ad Belgradi expugnationem se pararet, Calixtus III. Papa ingruentis periculi non ignarus, Joannem S. Angeli Cardinalem, Virum sapientiâ, & magnanimitate præstantem, in Germaniam, Hungariámque Legatum mittit, ut Septemtrionales Principes, in communem Christianitatis hostem concitaret. Insuper operâ S. Joannis Capistrani Christianos ad Crucem ultrò suscipiendam, propositâ omnium peccatorum remiſſione invitat, quorum 40. millia collecta, eximium præbuêre Joanni Corvino in solvenda Belgradi obsidione, & victoria de Turcis reportata, subsidium.

40. Paulus II. Summus Pontifex, non solùm consilio, & adhortatione, sed & grandi pecuniæ submisſâ summâ Regi Matthiæ Corvino author fuit, ut Podebrachium Bohemiæ Regem, tanquam publicum Hæreticum invaderet, Moraviámque, Silesiam, ac Bohemiam pro se occuparet.

41. Cùm Rex Matthias Corvinus Szabacsium Præsidium, quod Turcæ ad Savum ædificaverant, intra 30. dies expugnâsset, Xistus Summus Pontifex, Dominicum Alevienſem Episcopum ad Regem Matthiam gratulationis causâ misit, eidémque unà cum Venetis annuatim 93. millia aureorum pro continuando bello contra Turcas liberaliter obtulit & constituit.

42. Anno 1513. Thomas Bakoczius Archi-Episcopus Strigoniensis, authoritate Vladislai Regis Hungariæ, magnificam Legationem Romam suscepit,

pit, Pontificis opem implorans, ut Principes Christianos contra Turcam concitet, sed cùm ob intestina bella Principum Christianorum Summus Pontifex Leo X. id præstare non posset, dat Legato Diploma Pontificium, concedendo fidelibus universorum criminum veniam ad bellum Turcicum spontè euntibus. Ad cujus Anno insequenti factam promulgationem, ingens multitudo crucigerorum concurrit, ita ut justum exercitum conficerent. Quæ tamen expeditio licèt postmodùm optato successu caruerit, ob perversitatem ac malitiam Ducis hujus exercitûs, patuit tamen optimus in eo Summi Pontificis erga Hungariam affectus, favor, & animus.

43. Anno 1520. Cùm Turcæ jam jam imminerent Hungariæ, Ludovicus II. Rex Stephanum Verbôczium, Legatum in Urbem ad Summum Pontficem Leonem X. mittit supplicando, ne Ludovico, ac Hungaris periclitantibus deesse vellet. Is cùm in Urbem venisset, Leonem votis, ac supplicationibus, usque adeò intentum reperit, ut è Vaticano ad Sanctæ Mariæ, quam majorem vocant Ædem, discalceatus, nudísque pedibus processerit, DEUM optimum maximum fusis precibus, & lacrymis orando, ut revocatâ animis Christianorum Principum pristinâ pietate, & concordiâ, eos ad inferenda arma Turcis, veris hostibus concitaret. Nec diù post Leo Verbôczium Romæ detentum remisit benevolè, & se causæ publicæ juvandæ minimè defuturum respondit, brevíque missurum Legatum, à quo *Ludovicus*, mentem & voluntatem suam in eum propensissimam, & planè Paternam intellecturus, & simul auxilia, quæ in præsens fieri possent accepturus. Nec multò post venit Budam à Leone missus Thomas à Vio Cardinalis Sancti Sixti Cajetanus dictus, certum pondus auri adferens, ac Ludovicum nomine Pontificis ad resistendum fortiter Turcis animans atque appromittens effecturum se, ut cæteri quóque Principes Christiani, sociatis terrâ maríque viribus, idem faciant.

44. Anno 1526. Ante fatalem pugnam Mohaczianam, Clemens VII. Papa non solùm pecuniam liberaliter Ludovico Regi pro subsidio belli contra Turcas subministravit, sed &, ut Donaria Ecclesiarum in necessaria belli subsidia converterentur, facultatem concessit.

45. Post cladem Mohaczianam, Franciscus Battyanius Illyrici Præfectus à Clemente VII. Summo Pontifice ad tuendos Illyrici fines subsidia supplex expetijt, & quamvis tunc Pontifex votis illius satisfacere nequiverit, utpotè ipsemet ab hostibus circumventus, ijsque perturbationibus & angustijs undíque pressus, ut multò magìs alienâ egeret ope, quàm suam cuíque ferre valeret, nihilominùs appromisit, quod ubi DEO adjuvante incom-

incommodis illis liberatus fuerit quantum in ſe erit tuendæ Hungariæ, ejúſque finibus, ſe nullatenus defuturum. Quod re ipsâ poſtmodùm præſtitit, mittendo in ſubſidium recuperandæ Hungariæ, quatuor millia ſelectiſſimorum peditum.

46. Similiter Paulus III. Anno 1542. Ferdinando I. Cæſari ad recuperationem Budæ à Solymanno dolo ac fraude captæ, tria millia peditum militum, Duce Alexandro Vitellio, ſubmininiſtravit.

47. Gregorius XIII. Hungariæ Animarum bono ſuccurrere cupiens, tanquàm univerſalis Paſtor Fidelium, pro educatione Juventutis Hungaricæ, in ſtudijs & virtute formandæ, Romæ 12. Alumnorum Collegium fundavit, illúdque Collegio Germanico pariter à ſe fundato S. Apollinaris, incorporavit. Idem Summus Pontifex aliud Seminarium, pro Alumnis Tranſylvaniæ Claudiopoli erexit, & ut aliqui ex Hungaris ſemper ſint, etiam in Seminario Olomucenſi, decrevit, ac ſtatuit.

48. Anno 1600. Clemens VIII. Papa, Rudolpho Cæſari bellum in Hungaria contra Turcas gerenti, decem millia ſelectiſſimorum Militum, in ſubſidium Duce Franciſco Aldobrandino cognato ſuo, liberaliter ſubmiſit.

49. Anno 1660. Periclitante Tranſylvaniâ, ne occaſione tot mutationum, Principum, Provincia illa in manus Turcarum totaliter deveniret, atque pro Varadini conſervatione, quod intendebant ijdem obſidere, Alexander VII. per totum orbem Chriſtianum publicas inſtituit preces, Jubilæúmq; indixit.

50. Demùm durante hoc bello Turcico, Innocentius XI. Pontifex, illud & orationibus, alijſque pijs operibus, & conſilijs, & pecunijs liberaliter ſæpiùs ſubminiſtratis egregiè adjuvit, ut notum eſt omnibus. Cujus uti Succeſſor, ita & imitator eſt hac ipſa in cauſa, modernus quóque Summus Pontifex Innocentius XII., offerendo ampla ſubſidia in reparationem Urbium à Turcis hoc bello reoccupatarum, initâ jam pace, reparandarum.

51. Hìc jam conſideret prudens Lector, quàm temerè & ſtolidè agant quidam, abjectiſſimæ licèt & viliſſimæ ſortis, novarum Sectarum Cultores, etiam in Hungaria, qui contra Romanos Pontifices, & Romanam Eccleſiam, à qua Hungari, & Fidem Chriſtianam, & Regnum, & Regem, & Regale Sceptrum, & Regiam Coronam, & tantos favores accepêre, audent obgannire, & horrendis calumnijs (eas comminiſcendo) in eam præſumunt debachari. Cùm tamen eorum ſectæ, omnium malorum in Regno Hungariæ, atque tot perturbationum, Rebellionum, Revolutionum, deprædationum, devaſtationum, ruinarum, & oppreſſionum, fuerint unica cauſa & origo, ut ex ſequenti patebit Catalogo.

CATALOGUS LXXIX.

Seditionum, Rebellionum, Vaſtationum, Bellorum, Tumultuum, deprædationum, & aliorum malorum in Hungaria, ex occaſione Novarum Hæreſum.

1. Poſtquàm Selimus Imperator Turcarum Mamalucorum Imperium evertiſſet, totâque Ægypto potitus fuiſſet, universóque non tantùm Orienti, ſed & Occidenti, ob continuarum victoriarum famam, terrorem ſummum incuſſiſſet, pronum erat cogitare, eum arma converſurum in Chriſtianitatem, & primò quidem in Pannoniam, tanquàm in totius Chriſtianitatis antemurale. Hoc omnium Chriſtianorum periculo, excitatus Leo X. Summus Pontifex, pro debito ſui officij, utpotè univerſalis Chriſtianitatis totius Paſtoris, & Capitis, curam ſeriam ſuſcepit, omnémque diligentiam ad avertendum tantùm malum à Chriſtianitate, ejuſdémque defenſionem adhibuit. Primò igitur publicas preces, & jejunia, per Eccleſiam totam indixit. Deinde per Legatos & Nuncios, ad fœdus, & bellum contra tam formidabilem hoſtem Chriſtianos Reges, Principes, ac Reſpublicas excitavit. Præterea omnibus Principibus Chriſtianis, ut Communis omnium Parens, ſeriò edixit, ut pacem omnes colerent, & qui inter ſe diſſidebant, in quinque Annos, generales inducias facerent. Cui edicto morem gerentes Chriſtiani Principes, unanimi conſenſu, arma contra communem Hoſtem ſtatuerunt vertere: sícque inter illos conventum fuerat: ut Imperator Romanorum Maximilianus, cum Hungaris, Polonis, & Germanis Conſtantinopolim aggrederetur, Galliæ Rex cum Helvetis, Venetis, & alijs Italiæ Principibus, Græciam invaderent, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, & Angliæ Reges, cum ducentis navibus bellicis, & centum triremibus, à Pontifice inſtructis, Conſtantinopolim eodem tempore, quo Imperator terrâ, mari oppugnarent.

Cæterùm quandoquidem pecunia belli nervus eſt, ſine qua nihil, non dico præclarè, ſed nec geri quidem quid poteſt, neceſſe ſanè tunc erat de medijs ejus colligendæ, cogitare. Igitur hunc in finem, Imperatoris, aliorúmque Principum rogatu, Jubilæum per omnes Chriſtianas Provincias à Leone X, Pontifice annunciatum, & promulgatum fuit, ut pij homines, qui ad hoc ſacrum bellum ire non poterant, ad illud promovendum, benevolè aliquod ſubſidium pecuniarum, conferrent. Huic pio conatui, diabolus ſe opponere volens, concitavit Martinum Lutherum Monachum Auguſtinianum,

num, qui imprimis contra has Indulgentias, ex ſola æmulatione debachari cœpit (quòd harum Indulgentiarum promulgatio, non ejus Ordinis, Concionatoribus, ſed PP. Franciſcanis commiſſa fuerit) Anno 1517. Deinde ad deteriora prolapſus, publicè profiteri non eſt veritus, Dominatum Turcarum præferendum eſſe, Dominatui, Chriſtianorum. Unde in Epiſtola ad Germaniæ Nobilitatem ajebat: *Dominatu Turcarum, nîl eſſe gratius, ut in quo, nec Canonicum, nec Civile Jus locum habet.* Teſtatur etiam Eraſmus, in Epiſtola ad Fratres Inferioris Germaniæ, ſcribens, hunc ſermonem, & hoc votum frequenter fuiſſe in ore Lutheri, & ejuſdem aſſeclarum. *Malle ſe ſub Imperio Turcæ non baptizati, quàm ſub Imperio Turcæ baptizati (ſic Carolum V. Imperatorem illi appellabant) vivere.* Idem Lutherus in quodam, contra Caroli Cæſaris edictum, libello dicit: *Turcarum Imperatorem multò prudentiorem, & juſtiorem eſſe Chriſtianis Principibus, eóque populum monet, ne vel arma contra eum ſumat, vel quidpiam in belli ſumptus, contra eundem contribuat.* Et Tomo 2. fol. 49. ait: *Malè inquit faciunt, qui contra Turcam arma ſumunt.* Nec verò Lutherus tantùm, ſed & reliqui ejuſdem aſſeclæ, ut Hutterus. Oecolampadius, & alij, ejuſdem voti, & ſententiæ fuerunt, ſicut paſſim ſcripta eorum teſtantur. Uti obſervat Florimundus Ræmundus lib. 3. de Origine Hæreſum, prioris ſæculi. Capite 10.

2. Idem Author loco citato, num. 5. addit: Illud ſanè circa mendacium negari non poſſe, diſſidia in negotio Religionis à Luthero excitata, Turcarum res multùm promoviſſe, qui ejuſmodi occaſionibus, uti non neglexerunt, & in margine inſtar Epiphonematis adſcribit, *Lutheranum Schiſma, Hungariæ, & Tranſylvaniæ amiſſæ fuit cauſa.*

3. Notum ſanè eſt, (ut idem Author ait) nec Sleidanus (aliàs Lutheranus Hiſtoricus) id diſſimulat, & Jovius lib. 2. & 3. Hiſtoriæ Hungaricæ fatetur, in omnibus illis primis Conventibus Imperij, in quibus petebatur ſubſidium militare contra Turcas, pro defenſione Hungariæ. Proteſtantes ſemper proteſtando proteſtatos fuiſſe. *Niſi ſibi liberum ſuæ Religionis permittatur Exercitium, nulla ſe contra Turcam, quamvis ipſorum capitibus proximè imminentem, auxilia collaturos.*

4. Diſſidentibus ſic cum Imperatore, & inter ſe Principibus Imperij, Luthero Auctore, Turcarum Imperator Solimannus Selimi Filius hâc uſus opportunitate, Belgradum Chriſtianitatis in terra Antemurale, invadit, acríque obſidione cingit, illúdque, omni Chriſtianorum Principum, deſtitutum auxilio, expugnat, Anno 1521.

5. Eâdem uſus occaſione, mox ſequenti Anno 1522. Rhodum Inſulam aggreditur, quæ quamvis à fortiſſimis S. Joannis Hieroſolymitani Equitibus

(qui tunc Rhodenses Equites appellabantur) eorúmque Magno Magistro Gvilelmo Vilaretio, natione Gallo, acerrimè ac pertinacissimè propugnaretur, tamen post toleratas sex mensium atrocissimas oppugnationum asperitates, nemine ex Principibus Christianis in áuxilium nobilissimæ Insulæ accurrente (eò quòd ipsi civilibus bellis, & præsertim ex dissidio novæ Religionis, ortis, ac multiplicatis inter se armis dimicarent) eadem in manus ejusdem Solimanni devenit.

6. Unde Ludovicus II. Hungariæ Rex perspiciens ex nova mutatione Religionis tanta mala in Germania exoriri, in publicis Comitijs, latâ lege, quæ exstat, sanciendum curavit, ne à quopiam perversum hoc dogma in Hungaria reciperetur, útque ejusdem sectatores, si qui essent, ignibus addicti cremarentur, quæ Lex postea, etiam in eorundem fautores extensa fuit.

7. Verùm caveri non potuit, quin saltèm libelli pessimæ, ac perniciosæ hujus labis, per clancularios, ejus sectæ homines, Pannoniam quóque pervaderent, quorum lectione, multorum perturbati animi, illicò commoverentur, ad seditiones & dissidia. Quod ipsum mox eventus docuit: Anno siquidem 1524. in Pesthanis Comitijs, plerique Regnicolæ factione factâ, à Rege, & saniore parte Senatûs, secedunt, relictóque publico Conventu, privatum Conventiculum Hatvanini sibi constituunt, multáque in eo contra Regem, & Rempubicam moliuntur.

8. Dum sic Regnum perturbatur, Solimannus, ingentes facit apparatus, ad invadendam Hungariam. Ludovicus itáque Rex pro sui, ac Regni totius conservatione modis omnibus satagit, subsidiáque à Principibus Christianis, sed præsertim à Cæsare, & Germanis sollicitat, néque tamen ea (propter Religionis dissidia, & inde exortas factiones) obtinet. Demandat etiam omnibus Regnicolis, ut arma contra imminentem truculentissimum hostem sumant, sed & hos jam minùs sibi obsequentes experitur. Ipse proinde primus cum prætoriano milite ad castra descendit, sícque exemplo suo, eosdem, licèt non eâ frequentiâ, quàm necessitas publica exigebat, in campum prodire adigit. Verùm & hìc eosdem pervicaces, & refractarios reperit. Nam néque castra sua Regijs castris conjungere (uti Rex volebat) voluêre, néque alia auxilia, quæ jam in procinctu fuerant, præstolari. Evincunt ergò, ut Rex compulsus fuerit castra sua eorum castris conjungere, pugnámque cum hoste temerè inire, in qua & Rex, & totus Exercitus, ac Præcipui Regni Magnates, tam Ecclesiastici, quàm sæculares miserè periêre.

9. Post fatalem hanc cladem, & miserabilem interitum Regis Ludovici, bellóque concertantibus de Regno Joanne Zapoliano, & Ferdinando I. Austriaco, usque ad mortem, ejusdem Joannis, nempè ad Annum 1540. mi-

ris,

ris, & meris revolutionibus, devastationibus, & depopulationibus, vexata est Hungaria, cùm Joannes auxilia Turcica continuò evocaret proprijs viribus Ferdinando resistere non valens. Ferdinandus verò utrúmque hostem, ob defectum subsidiorum militarium ex Germania (quæ ob dissidia in negotio Religionis impediebantur) plenè debellare non posset.

10. Protestantes siquidem in Imperio sub hæc tempora inito inter se Smalcadico fœdere pro tuenda nova Religione, atrox bellum contra Cæsarem Carolum V. moverant, qui proinde magis sollicitus fuit, ut Imperium pacaret, quàm ut Ferdinando Fratri subsidia militaria mitteret.

11. Ijsdem motibus, cædibus, rapinis, alijsque bellicis incommodis, atque ex ijsdem causis, sub Isabella Joannis Inter-Regis Vidua, Transylvania, & Hungaria exagitabantur, usque ad obitum ipsius Isabellæ, qui contigit Anno Christi 1560.

12. Post mortem verò Isabellæ, filius ejusdem Joannes Sigismundus Zapollya, jam sectæ Arianorum novorum addictus, quantos tumultus, seditiones, & devastationes concitaverit, foverit, & continuaverit in Hungaria, usque ad finem vitæ suæ, hoc est, usque ad Annum 1671. Nunc Hungariæ fines invadendo, deprædando, & vastando, nunc Turcas in auxilium evocando, nunc pacem initam cum Ferdinando Rege iteratò rumpendo; Annales Hungarici illorum temporum, testantur locupletissimè.

13. Anno 1572. Fanaticus quidam Gregorius Carachondius cognomento Niger, sectâ Calvinianus, homo conditionis vilissimæ, cùm sibi similibus, ingentes in partibus Transtibiscanis excitaverat tumultus, sed hic brevi oppressus, & interemptus est, asseclæque illius, quà cœsi, quà fugati, & dissipati.

14. Anno dein 1603. Moyses Siculus, sectâ Arianus, evocatis in auxilium Turcis, novam Rebellionem in Transylvania concitat, sed conserto cum Cæsareis prælio vincitur, & interimitur.

15. Verùm mox Anno 1604. Stephanus Bocskaius in partibus Transtibiscanis, turbulentiores, ac periculosiores, sub prætextu tuendarum novarum Religionum motus facit, ac Anno insequenti, totam Superiorem Hungariam occupat. Quo bello, illiúsque occasione, quàm miserè fuerit tota Hungaria afflicta, vix est dicibile, undique siquidem premebatur, & vastabatur, à Cæsareanis militibus, à Turcis, à Tartaris, per Bocskaium evocatis, & ab ipsismet quóque Bocskaianis, hi tamen maximè in Catholicos sæviebant.

16. Pace dein à Cæsare Rudolpho, cum Turcis, & Bocskaio initâ, moritur Bocskaius Cassoviæ 1606. quo mortuo rursus in Transylvania novi motus, & in superiori Hungaria per Haidones novi tumultus exoriuntur. Conspirant interim novarum Sectarum asseclæ, non tantùm Hungari, verùm-etiam

etiam Auſtriaci, & Moravi, contra Rudolphum Cæſarem, inſuper & Matthiam Archi-Ducem Fratrem ejuſdem in illum concitant, mòxque indictis Comitijs Regni, Poſonium, eundem priùs in Gubernatorem eligunt, ac dein in Regem Hungariæ coronant, ab eoque exercitium liberum ſuarum ſectarum, extorquent. Anno Chriſti 1608.

17. Anno verò 1612. Perturbatur mirum in modum Tranſylvania, concertantibus inter ſe pro Principatu, Gabriele Bathorio, Andreâ Geczio, & Gabriele Betlehemo, atque huic demum Principatus à Turcis adjudicatur, ſed non niſi Lippâ cum vicinis locis, à Betlehemo ijſdem traditâ, quâ occaſione ſupra ſedecim millia Chriſtianorum in miſeram captivitatem ſunt abducta.

18. Anno dein 1619. Lutherani, alijque novi Sectarij in Ferdinandum II. Hungariæ, & Bohemiæ Regem, atque in Provincijs Auſtriacis Matthiæ ſucceſſorem, conſpirant. Initium Rebellionis dedêre Lutherani Pragenſes, dein Viennenſes, quo eodem Anno Gabriel Betlehemus quóque, Hungariam, bello invadit, atque ferè totam occupat, non ſine deprædationibus, ac depopulationibus, & ſævitie maximâ, in omnes quidem Catholicos, ſed præſertim in Perſonas DEO ſacratas. Duravit hoc inteſtinum bellum annis tribus & ampliùs, donec Pax inter Cæſarem, & Betlehemum publicaretur, ipſo die Novi Anni 1622.

19. Verùm inconſtantiſſimæ mentis Betlehemus Anno ſequenti, nempè: 1623. rurſus Pacem rumpit, & auxilijs Tartarorum, ac Turcarum adjutus, maximas devaſtationes, præſertim per Moraviam agit, quâ pariter occaſione, multa Chriſtianorum millia in duriſſimam abducta ſunt ſervitutem.

20. Anno dein 1624. Pax iterum, inter Cæſarem Ferdinandum, & Gabrielem Betlehemum conficitur, ſed rursùm Anno 1626. per eundem Betlehem violatur, haud dubiè ſtimulantibus eum Principibus Imperij Acatholicis, qui & Sveciæ, & Daniæ Regem concitaverant, ad arma, hoc fine, ut Fidem Catholicam penitùs opprimerent, & ſi fieri poſſet extingverent.

21. Anno verò 1627. Quadraginta millia Tartarorum, perfidè & occultè evocat Betlehemus, ſed cùm hi in itinere cœſi eſſent à Polonis, pacem rurſus à Cæſare ſibi oblatam, amplectitur, ac tandem, poſt tot Patriæ proditiones, devaſtationes, deprædationes, miſerè ſine omni hærede moritur, Anno 1629.

22. Anno dein 1632. Ruſtici in Hungaria Superiore Rebellionem movent Duce Petro Cſáſzár, ſed à prudentioribus viris ex Nobilitate, quà vi, quà minis compeſcuntur, eorum Duce ſupplicio affecto, Caſſoviæ.

23. Con-

23. Conquieverat tantiſper jam Hungaria, cùm ecce Sveci Lutherani, Georgium Rakoczium Principem Tranſylvaniæ, ſectâ Calviniſtam ad promovendas ſuas Sectas, armis (quas rationibus non poterant) in ſocietatem belli, varijs artibus inducunt. Igitur is Anno 1644. bellum Cæſari, nullâ prorsùs habità causâ, indicit, séque Svecis in Moravia ad Brunam (quæ tunc ab illis oppugnabatur) conjungit, ſed mox Anno ſubſequenti pœnitentiâ ductus, pacem cum Cæſare init, & in Tranſylvaniam redit.

24. Anno autem 1656. Georgius II. Rakoczius Calviniſta, à Polonis tunc multis hoſtibus circumventis, in ſui auxilium invitabatur, cum aſſecuratione ſucceſſionis, in Regno Poloniæ Filij ipſius Franciſci, ſi is in fide Catholica educari permitteretur, verùm ipſe dementatus à Predicantibus ſuis, poſtulatis eorum, ſub annexa conditione, acquieſcere abſolutè noluit, quin imò hoſtiliter Poloniam invaſit, séque Svecis, & Coſacis, tunc Polonorum acerrimis inimicis, conjunxit. Atque hinc continuatio omnium malorum, quibus poſtea conflictabatur Hungaria, & Tranſylvania, ſuam originem habuit. Utérque ſiquidem Cæſar graviſſimè offenſus Rakoczio fuit, quòd Polonos utriúſque partis tunc amicos, contra ſuas iteratas dehortationes, & inhibitiones aggredi præſumpſerit. Interea licèt Rakoczius totum exercitium ſuum (utpotè qui à Tartaris in captivitatem, non tam abductus, quàm abactus fuerat) perdiderit, & ipſe cum pauculis vix evaſerit, utérque tamen Cæſar validum exercitum in Tranſylvaniam mittit. Adveniens igitur ſupremus Vezirius, cum centum millibus Armatorum primò Arcem Jenő expugnat, ac mox etiam Caran-Sebes, & Lugas occupat. Chamus verò Tartarorum, ipſam Tranſylvaniam intrans, eandem fœdè depopulatur, & vaſtat, ac ſupra centum millia Chriſtianorum, in diram abducit ſervitutem. Poſt hæc, major Tranſylvaniæ confuſio oritur, ex concertatione Rakoczij pro retinendo, & Achatij Barczai pro obtinendo Principatu. Barczaius itáque ſuis viribus diffiſus Turcas in auxilium evocat, & commiſſo prælio Rakoczium vincit, Anno 1659. Verùm redeunte ad ſua Turcâ, rurſus Rakoczius Barczaium invadit, atque hic rurſus ad auxilia Turcica confugit, novúmque prœlium cum eo committit, in quo Rakoczius etiam perijt. Hâc commoditate uſi Turcæ, Varadinum expugnant, 1660. & Anno ſubſequenti Arcem Sz. Job, eidem vicinam. Interea Joannes Keménius Tranſylvaniam invadit, clàm à nonnullis Regnicolis ad Principatum invitatus, eámque brevi occupat, & Barczaium Principatu, & vitâ exuit, atque pro firmandis ſuis rebus Auguſtiſſimi Romanorum Imperatòris auxilia implorat, Hàc re offenſus Turcarum Imperator, Purpuratum Alibaſſam in Tranſylvaniam mittit, qui eandem hoſtiliter invadit, & vaſtat, Keminiúmque

Regno exturbat, & Michaëlem Apafium, Principem Transylvaniæ constituit. Anno tamen 1662. Joannes Keménius suffultus auxilijs Romanorum Imperatoris, Transylvaniam recuperare nititur, verùm Apafio Memhet Bassa succurrit, cum quo nihilominùs Keménius pugnam init, sed in eadem lapsu equi, vel suorum proditione miserè perit. Porrò interempto Keménio, Excellentissimus Generalis Montecuculi (qui eidem in auxilium venerat) imposito præsidio Cæsareo, præcipuis fortalitijs Provinciæ, ex Transylvania regressus est, & Apafius in Principatu suo confirmatus. Inter hæc tempora Calvinistæ Superioris Hungariæ gravissimos ciêre motus adversùs Principissam Rakoczianam, viduam, (vili sanè de causa,) nempè quòd post conversionem suam ad Fidem Catholicam, noluerit præstare Prædicantibus Calvinistis, ea stipendia annua, quæ priùs, Rakocziana Familia dum Calvinianæ Sectæ esset, ex benevolentia sua, ijsdem solebat tribuere.

25. Hoc eodem Anno, indicta fuêre Posonium Comitia Regni, à Cæsare, præcisè pro conservatione Patriæ contra imminens bellum Turcicum. Ex quibus tamen Acatholici ablegati, nihil de bono publico, sed de privatis tantùm suæ Religionis prætensionibus tractare volentes, cùm id non obtinerent (néque enim tempus illud id patiebatur) reclamante saniore Comitiorum parte, & Cæsare, publicâ factâ secessione, discesserunt, protestando se nihil ex ijs servaturos, vel approbaturos, quæ in ijsdem conclusa fuerint. Quod etiam suum propositum postea effectuârunt, nihil subsecuti belli Turcici tempore, in publicum bonum præstare volentes. Atque ab hoc suo ex Comitijs discessu, Rebellionem, quæ postmodùm subsecuta est, cudere cœperunt.

26. Anno igitur 1663. Magnis copijs aggrediuntur Turcæ Hungariam, atque Ujvarinum, aliáque vicina eidem fortalitia, capiunt. Tartari verò magnam Hungariæ, & Moraviæ partem depopulantur. Nec tamen diuturnum fuit hoc bellum, siquidèm mox anno subsequenti 1664. inter utrúmque Imperatorem, ex insperato pax conclusa fuit. Verùm conclusio hæc pacis, novam ansam Acatholicis res novas moliendi præbuit. Id causantibus, quod sine eorum, & reliquorum Hungarorum concessu conclusa fuerit. Occultas proinde conspirationes contra Cæsarem ineunt, quæ postmodùm Anno 1669. in publicam erupêre Rebellionem. Et quamvis hæc per incaptivitatem aliquorum Magnatum & Nobilium, sumpto etiam de ijs extremo supplicio dissipata fuerit. Ast Anno 1672. rursus erupit, rursúsque Anno 1673. aliquantum sopita est. Interea Anno 1674. Prædicantes Acatholici tanquàm incentores, & Authores Rebellionis Posonium citantur, & judicialiter à Tabula Regia convicti, ex Regno Hungariæ proscribuntur. Verùm nec sic extincta

tincta est plenè Rebellio, sed successu temporis (utpotè quæ jam profundas egerat radices) magìs semper accrescebat usque ad Annum 1683. Quo tandem erupit in bellum Turcicum, continuatum ad præsentem Annum 1698. per spacium 15. Annorum, quanto ferè tempore duravit etiam præcedens illud, Rebellio. Itàque ab Anno 1656. quo Rakoczius Poloniam intraverat, usque ad hæc ipsa tempora, hoc est per Annos propè 43. semper depopulationibus, incendijs, deprædationibus, exactionibus, tumultibus, alijsque belli tam domestici, ac intestini, quàm externi incommodis, miserum in modum conflictata est Hungaria, & Transylvania. Quorum omnium malorum, ut ex contextu hujus relationis patet, potissima causa fuit Hæresis, & tanta in Religione diffidia.

Hinc clarissimè *Concluditur Primò.* Nihil desiderabilius, nihil optabilius, nihil utilius, nihil salubrius, pro Hungaria, & Transylvania excogitari posse, quàm si in his Regionibus esset unica Fides, & una duntaxat Religio, idque non tantùm bonum æternum, verùm etiam commune, politicum & temporale spectando. Quæ certè conclusio à nullo rationis compote, & à passionibus libero homine, negari potest.

Concluditur Secundò. Religionem in quam hæc adunatio fieri posset, & deberet, non esse aliam, quàm Religionem Romano-Catholicam.

Probatur Primò. Nam ut Catholici fiant Lutherani, vel Calvinistæ, id prudenter ab ijs exigi nequit. Cùm illi firmâ fide credant, & teneant, tanquàm unum ex Articulis suæ fidei, se extra Fidem Catholicam salvari non posse. E contra verò Lutherani, & Calvinistæ admittunt, & fatentur, quòd quis in Fide Romano-Catholica salvari possit, & multos esse salvatos. Igitur illis facilior est ad Fidem Romano-Catholicam transitus, quàm Catholicis ad eosdem, idque salvâ eorum conscientiâ. Deinde estò Catholici vellent ad alterutram illorum Religionem transire, & se coadunare, nescirent tamen, quamnam ex illis deberent eligere, cùm neutra adferre possit pro sui veritate tale argumentum, quod per omnia idem, non possit, altera quoque pro se allegare.

Probatur Conclusio Secundò. Quia si proponatur Lutherano, an, si absolutè Religionem suam deberet mutare, vellet potiùs Calvinista, vel Catholicus fieri, respondebit, utique se in hoc casu, potiùs Fidem Catholicam amplexurum, quàm Religionem Calvinianam. Et vicissim, si quæratur ex Calvinista, utrùm si inevitabiliter necessitaretur, ut vel ad Lutheranam, vel ad Catholicam transeat Religionem, respondebit similiter, potiùs se transiturum ad integram, & verè Romano-Catholicam, quàm ad semi-Catholicam, seu Lu-Lutheranam. Itàque facilior erit hæc adunatio, in Fide Romano-Catholica, quàm vel in Lutherana, vel in Calviniana.

Probatur Cōnclusio Tertiò. Quia quod aliquando possibile fuit fieri, id defactò quóque fieri potest. Fuit autem jam factum, ut tota Hungaria, & Transylvania, Fidem Romano-Catholicam profiteretur, & in eadem per multa sæcula perseveraret. Ergò defactò quóque id fieri poterit, & ut fiat etiam expedit, tum ob commune bonum temporale, tum & vel maximè ob majorem certitudinem salutis æternæ. Ergò fiat. Et ut fiat, ex corde desidero & opto, & à DEO ter optimo maximo humiliter exoro.

CATALOGUS LXXX.

Ingressûs, & propagationis, Religiosorum Ordinum, sub Corona Hungariæ.

1. Primus Ordo in Hungaria fuit, Ordo S. Benedicti, institutus à S. Benedicto, Anno Christi 494. Ex quo Sacro Ordine plurimi & scientiâ, & vitæ sanctitate illustrissimi, veræ Fidei doctrinâ, Hungariam illustrârunt. Accidit autem illius in Hungariam adventus, adhuc ante Annum Christi millesimum. Primum verò hujus Sacri Ordinis Monasterium fuit S. Martini, in Sacro Monte Pannonio, fundatum à S. Stephano primo Rege Hungariæ, Anno 1002. Alterum Pécz-Varadiense, fundatum ab eodem S. Rege, 1007. Tertium S. Adriani in Szala. Quæ dein aucta fuerunt, usque ad numerum quinquagesimum octavum.
2. Sacer Ordo Cisterciensis, qui fundatus est à S. Roberto, Anno Christi 1092. Primum Monasterium in Hungaria habuit de Topolcza (aliàs Teplicza) B. M. Virginis, in Diæcesi Zagrabiensi fundatum, Anno Christi 1135. Alterum Cikador B. M. Virginis, in Diœcesi Quinque Ecclesiensi, fundatum Anno 1142. Dein Belæ-fontis, in Diœcesi Wesprimiensi fundatum, Anno 1152. His successêre postmodùm alia, usque ad numerum quadragesimum primum.
3. Ordo Carthusiensis, fundatus est à S. Brunone, Anno 1084. qui adhuc vivens, sui Ordinis Religiosos, misit in Hungariam ad prædicandum Evangelium. Successu verò temporis, habuit hic Sacer Ordo quatuor Monasteria in Hungaria.
4. Ordo Cruciferorum S. Joannis Hierosolymitani, qui olim Hospitalarij sunt dicti, postmodùm verò Equites Rhodenses, ac nunc Melitenses nuncupantur, fundatus à Gerardo viro nobilissimo, Anno 1099. primum Conventum habuit in Hungaria, S. Laurentij de ůker, qui viguit, Anno 1190. Cui deinde accessêre Conventus viginti tres.

5. Præ-

5. Præmonſtratenſium Ordo fundatus à S. Norberto, Anno 1170. Primam Præpoſituram in Hungaria habuit S. Stephani Protomartyris de Promontorio Varadienſi. Dein S. Regis Stephani de Bozok, quæ fundata eſt Anno 1139. Poſtmodum verò crevêre Præpoſituræ hujus Sacri Ordinis ſub Corona Hungariæ, uſque ad numerum trigeſimum.

6. Ordo Gvilelmitarum inſtitutus eſt à S. Gvilelmo Duce Aquitaniæ, Anno 1155. Contigit verò illius ingreſſus in Hungariam ſub Bela IV. Rege, qui regnavit ab Anno 1236. uſque ad Annum 1275.

7. Ordo Prædicatorum inſtitutus à S. Dominico, Anno 1208. inductus eſt in Hungariam adhuc ab ipſo S. Dominico, Anno 1228. Cujus primus Conventus fuit Jaurini, & alter Weſprimij. Poſtmodùm verò mirè propagatus eſt ſub Corona Hungariæ, ita ut conſtitueret duas Provincias, unam Hungaricam, alteram Dalmaticam. Unde Anno 1254. Budæ Generalia totius Ordinis, celebrata ſunt Comitia, ſub Alberto V. Generali Ordinis. Et Anno 1273. alia Peſthi, ſub Generali VI. Ordinis, Joanne Verulenſi.

8. Ordo PP. Franciſcanorum Conventualium, inſtitutus à S. Franciſco Aſſiſinate, Anno 1209. venit in Hungariam, vivente adhuc S. Fundatore, Anno 1218. cujus primum Monaſterium fuit Agriæ. Crevit poſtea hic Sacer Ordo mirè per Hungariam, ſed pleríque illius Conventus, poſtmodum ceſsêre RR. PP. Franciſcanis Strictioris Obſervantiæ, reformatis per S. Bernardinum Senenſem, Anno 1440. Qui ſucceſſu temporis, ſic propagati ſunt, ut ſub Corona Hungariæ quatuor numeraverint Provincias.

9. Ordo S. Pauli primi Eremitæ, qui ad Eremum ſeceſſit, Anno Chriſti 253. Inſtitutus à B. Euſebio Canonico Strigonienſi 1215. adeóque natus in Hungaria. Deinde Regulam accepit à Paulo Epiſcopo Weſprimienſi 1263. Et tunc primò cœpit dici, Ordo S. Pauli primi Eremitæ, poſtmodùm Regulam S. Auguſtini, impetravit à Cardinali Gentili, Nuncio Apoſtolico in Hungaria. Dein confirmatus eſt à Joanne XII. Papa, Anno Chriſti 1317. ac denuò ab Alexandro VII. Anno 1668.

10. Societas JESU, fundata à S. Ignatio Lojola, Anno 1540. introducta eſt in Hungariam à Nicolao Olaho Archi-Epiſcopo Strigonienſi 1559. In Tranſylvaniam verò, à Stephano Bathori Rege Poloniæ, 1574. Demùm Anno 1687. in publicis Regni Comitijs, Poſonij celebratis, Regno eſt incorporata, unanimi Regnicolarum conſenſu.

11. Fuêre quóque olim in Hungaria, Ordines bini Canonicorum Regularium S. Auguſtini: Unus eorum, qui Superpelliciati dicti ſunt, horum antiquiſſima Præpoſitura putatur fuiſſe Præpoſitura S. Ladislai de Develich, quæ

viguit Anno Christi 1292. Alter verò eorum, qui Canonici Regulares S. Sepulchri Hierosolymitani nuncupabantur, horum prima Præpositura fuit B. M. Virginis de Glogoncza Zagrabiensis Diœcesis, in Comitatu Crisiensi, fundata, Anno 1207. ab Andrea II. Rege Hungariæ.

12. Ordo quôque Eremitarum S. Augustini inter alios Ordines Religiosos; viguit olim in Hungatia, numerabátque quindecim Prioratus, quorum nomina Catalogo XLVI. dedimus.

12. Ordo SS. Trinitatis pro Redemptione Captivorum institutus fuit à S. Joanne de Matha, & Felice Anachoreta, Anno 1198. confirmatus ab Innocentio III. Papa Anno 1240. & 1208. Hic Ordo non fuit priùs in Hungaria, sed primò introductus est à Celsissimo Principe Georgio Széchényi Archi-Episcopo Strigoniensi, *Illaviam* Anno 1695.

14. RR. PP. Carmelitarum Ordo collectus fuit in Monte Carmeli, ab Almerio Legato Apostolico, & Patriarcha Antiocheno, Anno 1170. & Regulam accepit, à S. Alberto Patriarcha Hierosolymitano 1171. Confirmatus verò ab Honorio III. Pontifice 1216. Et iterum áb Honorio IV. 1285. Europæ innotuit circa Annum 1201. Reformatus deinde fuit à S. Theresia 1562. Hic Sacer Ordo pariter introductus est in Hungariam à duobus Archi-Episcopis Strigoniensibus, Georgio Szelepchenyi, & Georgio Széchényi ejusdem Successore, quorum utérque ijsdem RR. PP. legavit, quantum sufficit pro duobus eorum Conventibus. Elianos tamen RR. PP. Carmelitas, olim in Hungaria habitâsse, colligit Cardinalis Pazmannus, ex Bulla quadam Papali, Anno 1434. scripta, & in Capitulo Strigoniensi asservata.

15. Sanctissimus Ordo Capucinorum, initium sumpsit Anno 1525. Qui Sacer Ordo similiter non fuit priùs in Hungaria, sed introductus est ab ijsdem duobus Archi-Episcopis, quorum ille collocavit eosdem RR. PP. Bazinij, & Posonij, hic verò Budæ.

16. Congregatio Pauperum Matris DEI fundata fuit à Josepho Calasentio Catalauno, & approbata, Anno 1621. à Gregorio XV. Pontifice, & dicta, *Scholarum Piarum.* Habet hæc Sacra Congregatio duo Collegia in Hungaria, unum in Podolinecz in Scepusio, & alterum Prividiæ in Comitatu Nitriensi. Residentiam unam, Brezno-Banyæ, & alteram in Sancto Georgio, propè Posonium.

17. Sacer Ordo Minimorum seu Paulanorum, institutus fuit à S. Francisco de Paula, Anno 1436. & confirmatus à Julio II. Papa i 1506. introductus est in Hungariam *Ovarinum* à Georgio Szechenyi Archi-Episcopo Strigoniensi, 1695.

18. Sa-

18. Sacer Ordo Servitarum, ſeu Servorum Beatæ Virginis, initium habuit Anno 1216. fundatus à S. Philippo Benitio, introductus in Hungariam Agriam ab eodem Archi-Epiſcopo Strigonienſi Georgio Széchényi, & priùs ad B. Virginem in Pratis, per Celſiſſimum Principem Paulum Eſzterházi, Regni Hungariæ Palatinum.

19. Sacer Ordo Camaldulenſium, inſtitutus fuit à S. Romualdo, Anno Chriſti 967. confirmatus ab Alexandro II. Papa 1073. Hic Sacer Ordo priùs non fuit in Hungaria, licèt Sanctiſſimus illius Patriarcha Martyrij cupiditate flagrans, in Pannoniam proficiſci non ſemel tentaret. Paucis autem abhinc annis RR. PP. hujus Sancti Inſtituti, Illuſtriſſimus Dominus Blaſius Jaklin Epiſcopus Nitrienſis, & Aulæ per Regnum Hungariæ Cancellarius, unà cum ſuo Magnifico Domino Fratre Nicolao Jaklin L. Barone, Monaſterium propè Nitriam fundârunt, in loco amœniſſimo, & eorundem vocationi aptiſſimo.

20. Ordo Fratrum Miſericordiæ, introductus eſt in Hungariam, Poſonium, à Georgio Szelepchenyi, Archi-Epiſcopo Strigonienſi, dein Templum erexit ijſdem ibidem Magnificus Dominus Baro Joannes Maholani, S. R. Majeſtatis in Judicijs Perſonalis.

21. Quantum ad Moniales attinet, habuêre hæ complura Monaſteria in Hungaria, præſertim Dominicanæ, & Clariſſæ, verùm hæc per bella, injuriáſque temporum interiêre. Reſtant ſolùm SS. Claræ duo: unum Poſonij, alterum Tyrnaviæ; unum Ordinis Sancti Auguſtini Kiſmartoni fundatum à Celſiſſimo Principe Paulo Eſzterházi Regni Hungariæ Palatino. Item unum Monaſterium Urſulitarum Poſonij fundatum Induſtriâ Eminentiſſimi Cardinalis Leopoldi à Kollonicz Archi-Epiſcopi Strigonienſis. In quo Nobiles puellæ ſanctè educantur, inſtruuntur, & in moribus pijs, ac honeſtis artibus, literíſque erudiuntur, ac informantur. Cui acceſſit recentiſſimè aliud Caſſoviæ, ex liberalitate Auguſtiſſimæ Imperatricis Magdalenæ Eleonoræ, & Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini Georgij Feneſi, Epiſcopi Agrienſis.

CATALOGUS LXXXI.

Piarum Fundationum.

Anno 900. Primò S. Stephanus hortatu S. Guntheri Eremitæ Cognati ſui, Budæ Templum SS. Petri & Pauli erigit, & Gunthero Monaſterium. Idem duos Archi-Epiſcopatus, decem Epiſcopatus, Monaſterium cum Templo

S. Martini, Albæ Regali Basilicam Beatæ Virginis, Romæ Templum S. Stephani Protom. ibidem Hospitale Peregrinorum Hungarorum, Hierosolymis Cœnobitis Monasterium, item Cœnobium in Beel, item S. Astrico (qui postea Archi-Ediscopus Colocensis fuit) Monasterium, & Ecclesiam, item *Ravennæ* Ecclesiam, & Cœnobium S. Petri ad Vinçula, item Constantinopoli Templum maximâ munificentiâ ædificat, & plurimis bonis, ac proventibus ditat. *Baron.*

S. Gysela S. Stephani Uxor Wesprimij S. Georgij, Basilicam fundat, & Episcopatui illi multa bona attribuit. *Baron. ad annum* 1002.

Anno 1002. *A deodato*, Monasterium Tatæ erectum, D. Stephanus tertiam partem è victorijs suis prædæ, semper Templis vel erigendis, vel ditandis dicavit.

Petrus Rex, Quinque Ecclesijs Templum SS. Petro & Paulo, & sibi Tumulum erexit.

Aba Rex, Cœnobium cum Ecclesia ad Saár ædificavit.

Andreas Rex, Templum, & Monasterium Benedictinorum honori S. Anniani dicatum, in Tihan erexit.

Anno 1058. Rado Palatinus, fundat Abbatiam S. Demetrij, ad Savum fluvium, pro Benedictinis.

Bela Rex, Templum S. Salvatoris, & Monasterium, sibíque Tumulum in Szekxárd fundat.

Anno 1050. Geyza, Vaciæ in loco, quem Cervus ignitis cornibus comparens designavit, Basilicam D. Petro, item aliam B. Virgini, ex voto ponit. Idem, Templum Budæ B. Virgini ædificat.

S. Ladislaus, Varadiensem Ecclesiam B. Virgini honori, ibidémque Canonicorum Collegium erexit. Idem, Ædem S. Martini ob partam Victoriam in Monyoro posuit. Idem, Ædem S. Salvatoris post victoriam Chunorum statuit. Idem, ad radices montis Carpatici Monasterium Abbati Mercurio, ob dextram S. Stephani ibi servatam augustè instauravit Anno 1078. Item Ecclesiam Zagrabiæ S. Stephani Regis, fundavit.

Atho Palatinus, fundavit Abbatiam S. Jacobi de Silisio, in Comitatu Simigiensi pro Benedictinis.

Almus Colomanni Frater, in Demesiensi agro Ædem D. Margaritæ dicat.

Anno 1100. Geyza II. Nitriensem Ecclesiam, è Collegiata, Cathedralem facit, ejusdémque proventus novis accessionibus promovet. Idem ex spolijs, quæ ex hostium copijs devictis congregavit, Templa per Hungariam ditat.

Lambertus Palatinus, circa Annum 1124. fundat Præposituram S. Stephani in Bozók, pro Præmonstratensibus.

Anno 1150. Thomas Palatinus, Monasterium in Esch, pro Religiosis Cisterciensibus ædificat, & dotat.

An-

Andreas II. Captâ Damiatâ Mahometi delubrum insano sumptu ædificatum, in Basilicam D. Virginis Matris honori dicatam convertit. Idem, Urbis ejusdem opulentissimæ spolia (præterea, quæ militi cesserunt in stipendium) omnia in Divini cultûs promotionem erogavit.

Circa Annum 1209. Chepanus, & Poth fratres Palatini Regni Hungariæ, fundârunt Abbatiam S. Jacobi in Lében, pro Benedictinis.

Circa Annum 1230. Michaël Berényi, fundavit Monasterium, & Templum S. Antonij in Pest, Ordini Prædicatorum.

Circa Annum 1234. Monasterium S. Catharinæ in Peleskő, fundat Comes Arnoldus Banffi de Alsó Lendva.

Bartholomæus Quinque Ecclesijs Episcopus, primum Paulinis Monasterium S. Jacobi in Patak posuit.

Anno 1200. S. Elizabetha Vidua, Marpurgij, celebre Xenodochium exstruxit.

Anno 1238. Erectum Monasterium Dominicanorum Quinque Ecclesijs.

Anno 1250. Bela IV. finitis bellis, Strigonij Ædem B. Virginis Auxiliatrici suæ statuit. Idem, In Insula Leporum Monasterium Monialium, & Ecclesiam condidit pro Sanctimonialibus Ordinis S. Dominici, inter quas Filia ejus Margaretha vixit, circa Annum 1252.

Anno 1280. Ladislaus IV. post bellum cum Ottocaro Bohemo feliciter gestum, bina pro Patribus Ordinis S. Francisci Monasteria ædificat, Albæ unum, Posonij alterum.

Martinus Banus Croatiæ, & Sclavoniæ, tredecim diversis Religiosorum familijs, Cœnobia exstruxit. Vixit circa Annum 1290.

B. Augustinus Zagrabiensis Episcopus, ibidem Monasterium Ordini Prædicatorum condit.

Ludovicus Rex, Albæ Sacellum ponit: ejusdem tempore, usque adeò Religio Catholica, & res Ecclesiastica propagata est, ut plus tertiâ Regni parte in res Divinas esset applicatum.

Carolus Rex, Basilicam Albensem instaurat, & ornat. Idem, in Lippa Templum S. Ludovici Episcopi Tolosani Patrui sui, cum Monasterio Franciscanorum ædificat.

Anno 1364. Ludovicus Rex, Ecclesiæ Nitriensi Civitatem Nitriam donat. Idem, in Nôsthre Eremitis Paulinis Monasterium fundat. Idem, Cellis Marianis in Styria, Magnificam Divæ Virgini Basilicam è veteri Sacello ponit, ob victoriam contra Turcas obtentam. Idem, aliam Divæ Virgini Ædem Aquisgrani ædificat.

Regina Elizabeth, ad Sacellum à Ludovico conditum illustandum post hujus funus, ibidem Sacerdotum Collegium fundat.

Joan-

Joannes Corvinus, ex hostium cæsorum manubijs, complura Templa exstruit, & ditat, inter quæ est Templum Albæ Juliæ, in quo conditus est.

Anno 1450. Matthias Rex, Budæ Collegium Sacerdotum fundavit. Idem, Episcopatui Varadinensi, Comitatum Bihariensem in perpetuum addixit, ut Varadinensis Episcopus ejus Comitatûs Comes esset. Idem, Ædem Sacram Albæ Regali amplificat. In ejusdem funere, eidem Templo collatæ sunt res pretij quinque & septuaginta millium aureorum.

Anno 1490. Joannes, ex Episcopo Varadinensi factus Ordinis S. Francisci Religiosus: huic Ordini Templum Olomucij ædificat, & quinquaginta aureorum millia in sacros usus erogat.

Anno 1497. Hospitale Romæ à S. Stephano erectum, ab Vladislao instructum & instauratum.

Anno 1650. Templa Catholicis violenter erepta in Comitatu Lyptoviensi, Arvensi, Thurocziensi, Trenchiniensi, Nitriensi, Barsiensi, & Posoniensi, in Commissione Posoniensi Anno 1684. in Martio habita, jussa sunt restitui.

Anno 1581. Stephanus Bathori, Transylvaniæ Princeps, ac dein Poloniæ Rex, Claudiopoli, & Albæ Juliæ Collegia fundat Societati JESU.

Rudolphus II. Cæsar, ad instantiam Cardinalis Draskovicz Episcopi Jaurinensis, Præposituram Thurocziensem Societati JESU confert pro Scholis erigendis, & Collegio formando.

Vetustissima, ac Illustrissima Familia Homonnaiana, Societati JESU Collegium Homonnæ fundat, quod dein Ungvarinum translatum est.

Comes Nicolaus Eszterhàzi Regni Hungariæ Palatinus, Ædem Magnificam S. Joannis Baptistæ, Patribus Societatis JESU, Tyrnaviæ ædificat.

Petrus Pazmannus è Societate JESU, Archi-Episcopus Strigoniensis, & Cardinalis, Academiam Tyrnaviæ Societati JESU, fundat, Anno 1635. Idem Eminentissimus Cardinalis Posonij eidem Societati JESU Collegium ponit. Item Convictum Nobilium Tyrnaviæ, Anno 1626. Item Seminarium Clericorom S. Stephani Regis, ibidem 1624. Item Monasterium Monialium S. Claræ Tyrnaviæ reparat. Item Seminarium Clericorum Viennæ, quod nunc etiam ab ejus cognominatur nomine. Item Templum PP. Franciscanorum Tyrnaviæ, & aliud Ujvarini exstruit.

Georgius Lippai Archi-Episcopus Strigoniensis, Collegium, & domum Probationis, Societati JESU, Trenchinij fundat, Anno 1653. Item Tyrnaviæ Collegium Generale Cleri Regni Hungariæ.

Eodem Anno 1653. Collegium Societatis JESU Sopronij inchoatum, Fundatore Illustrissimo Comite Georgio Draskovicz Episcopo Jaurinensi.

Illustris-

Illustrissimus Comes Paulus Pálffi, fundat Monasterium, & Templum Patribus Franciscanis in Malaczka.

Benedictus Kisdi Episcopus Agriensis, Academiam Societati Jesu Cassoviæ fundat. Item Seminarium Clericorum ibidem.

Georgius Szelepchenyi, Societati JESU Collegium fundat Szakolczæ, & aliud Leutschoviæ. Item Seminarium Convictorum, & Clericorum Tyrnaviæ. Idem, RR. PP. Carmelitis Discalceatis, fundationem unius Monasterij, in Testamento relinquit.

Celsissimus Princeps Paulus Eszterházi, Regni Hungariæ Palatinus Monasterium, & Templum honori B. Virginis fundat, in Pratis dictum. Idem Princeps Palatinus fundavit Monasterium Monialium Ordinis S. Augustini, Kismartonij. Idem, Princeps fundavit Servitas, in Frakno. Item Tyrnaviæ, & Sopronij fecit Fundationem pro Præmijs, singulis annis Juventuti Scholasticæ, distribuendis.

Georgius Széchényi, Archi-Episcopus Strigoniensis, omnem suam industriam in pijs fundationibus impendit, & quidem Societati JESU sex omninò Collegia fundat, nempè. Budense, Strigoniense, Gűnziense, Agriense, & Quinque Ecclesiense. Item Seminaria Clericorum, & Juventutis, quinque, videlicet: Jaurini, Budæ, Ibidem Convictum Nobilium. Item Convictum Nobilium Trenchinij, & alium Leutschoviæ. Item Monasterium RR. PP. Ordinis Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum, Illaviæ, in Comitatu Trenchininiensi. Item Xenodochium pro Militibus læsis & vulneratis, Strigonij. Item RR. PP. Dominicanis Monasterium, in Castro Ferreo. Item RR. PP. Franciscanis Monasterium, Sűmegini, & Strigonij. Item Monasterium RR. PP. Capucinis, Budæ. Item Monasterium RR. PP. Carmelitis Discalceatis, Budæ. Item Monasterium RR. PP. Servitis, Agriæ. Item Monasterium RR. PP. Paulanis, Ovarini.

Serenissimus Josephus Rex Hungariæ, Domum Tertiæ Probationis Societati JESU, Neozolij fundat.

CATALOGUS LXXXII.

Continens nomina, ac memoriam Fundatorum Monasteriorum Ordinum Mendicantium, & signatè Ordinis S. Francisci Seraphici, sub Corona Hungariæ.

Superiùs dedimus Nomina eorum Fundatorum, qui ex bonis stabilibus fundârunt variorum Religiosorum Monasteria. Hìc verò adducemus Nomi-

na eorum, qui ex suis facultatibus fundârunt Monasteria Religiosorum; ex mera Eleëmosyna viventium. Hujus modi sunt omnia Monasteria S. Francisci Seraphici. Multa verò ex hîc enumeratis, per Bella, & Hæreses, ac Turcas, jam interiêrunt, quæ tamen sensim recuperantur, non pauca de novo prioribus accessêre.

Nomina Monasteriorum, & eorundem Fundatorum.

Agriense Monasterium Ordinis S. Francisci Seraphici, fundavit Clerus, & Episcopus Agriensis, adhuc circa tempora S. Francisci.

Alba Regalense, Ladislaus III. Rex Hungariæ.
De Athyna B. V. in Sclavonia, Relicta Comitis Joannis de Corbavia, & relicta Jobi de Gara, sorores.
Aracha, Elisabetha Regina Hungariæ.
Bereg Száz, eadem Elisabetha R. H.
De Báthor, Familia Báthoriana.
Bako in Moldavia, Uxor Vaivodæ Moldavi, filia Vaivodæ Transylvani.
Beczkoviense, Jacobus Hasko, Præpositus de Vág-Ujhely.
Bisztriczienſe in Transylvania, Episcopus Transylvaniæ, Anno 1336.
Budense S. Joannis Evangelistæ, Bela IV. Rex Hungariæ.
Cassoviense, Familia Pereniana.
Castri Ferrei, Familia Kanisiana.
Claudiopolitanum in Transylvania, Matthias I. Rex Hungariæ.
Comaromiense, ex Civium Eleëmosynis.
In Insula Csálokőz, Georgius Szelepchenyi Archi Episcopus Strigon.
Cremnicziense, Georgius Lippai, Archi Episcopus Strigoniensis.
Ersek Ujváriense, Petrus Pazmannus Cardinalis.
In Eremo S. Catharinæ, Familia Erdődiana.
Fél falu in Transylvania, Familia Kendiana.
Galgoczense, Familia Turzoniana.
Gerla, Familia Abrahamffiana.
Gorbonak, Bela de Genere Keren.
Gyöngyösiense, Familia Báthoriana.
Homonnense, Familia Drugeth de Homonna.
Hunyadiense, Familia Hunyadiana.
Jaurinense, ex Civium Eleëmosynis.
De Insula Leporum, Bela IV. Rex Hungariæ.
Kanisiense, Joannes Kanisai, Archi-Episcopus Strigoniensis.
Kaproncza, Henricus Banus Sclavon.
Keſztel, Stephanus Vajvoda Transylvanus.
Lyptoviense, Comes à Danek.
Lippa, Ludovicus I. Rex Hungariæ.
Kismartoniense, Comes Nicolaus Eszterhazi R. H. Palatinus.
Lubreg, D. Joannes Gűz, 1373.
Malaczkense, Comes Paulus Pálffi, R. H. Palatinus.
Német Ujváriense, Comes Christophorus Battyani.

Nitrien-

Nitrienſe, Nicolaus Telegdi, Epiſcopus Nitrienſis.
Okolicznenſe, Ladislaus Mattyaſowski, Epiſcopus Nitrienſis, R. H. Aulæ Cancellarius.
Orſova, D. Lipo de Orſova, Comes Temeſienſis.
Ormoſd S. Mariæ de Conceptione, D. Jacobus Székely.
Pratenſe ad Lacum B. V. Celſiſſimus S. R. I. Princeps Paulus Eſzterházi Regni Hungariæ Palatinus.
Pruskenſe, Georgjus Jakuſich Epiſcopus Agrienſis.
Papenſe, Comes Franciſcus Eſzterházi.
Pereczk, D. Philippus Korongi.
Poſonienſe, Ladislaus III. Rex Hungariæ.
Quinque-Eccleſienſe, Familia Korodiorum.
Remetin in Sclavonia, Joannes Corvinus junior.
Sabarienſe, Colomannus Epiſcopus Jaurinenſis.
Szakmár, Eliſabetha Regina Hung.
Száz Város in Tranſylvania, eadem Eliſabetha Regina Hungariæ.
Szakolczenſe de Compaſſione B.M.V. DD. Vicini Civitati Szakolczenſi.
Segeſd in Simigienſi Comitatu, Andreas III. Rex Hungariæ.
Szemenye B.M.V. in Comitatu Szaladienſi, Comes Michaël Banffi, de Alſo Lendva.
Szechinienſe, Comes Franck de Szechiny.
Szőlőſienſe, Familia Priniana.
Sebeſienſe, Familia Forgachiana.
Szinta, Cives illius Oppidi.
Sirmienſe, Ugrinus Dux Sirmienſis.
Strigonienſe B.M.Virg. Bela IV. Rex Hungariæ.
Sůmegienſe, Georgius Széchényi, Epiſcopus Jaurinenſis.
Sopronienſe, Ladislaus III. Rex Hungariæ.
Telegdienſe, Chanadinus Archi-Epiſcopus Strigonienſis.
Tővisienſe, Joannes Hunyadi ſenior.
Tyrnavienſe, Petrus Pazmannus Cardinalis, Archi-Epiſcopus Strigon.
De Varam, Magnif. D Rivvold.
Verőcza, Eliſabetha Regina Hungariæ.
Weſprimienſe, Stephanus Sennyei, Epiſcopus Weſprimienſis.
Wiſegradenſe, Sigiſmundus Rex Hungariæ.

CATALOGUS LXXXIII.

Statuum Regni Hungariæ.

Quatuor Status in Hungaria jam inde à Temporibus Sancti Stephani Regis Hungariæ, qui totius Regni Corpus conſtituunt, numerantur:

Primus eſt Eccleſiaſticus.
Secundus Magnatum.
Tertius Nobilium.

Quartus Civitatum Liberarum ac Regiarum.

Et quidem ſine horum omnium quatuor Statuum Communi Conſenſu, nulla Lex, nullus Articulus, nullum Statutum, etiam in publicis Regni Conventibus, ſeu Comitijs concluſum, alicujus roboris & valoris eſt. Imò talis Articulus cenſetur nullius prorſus efficaciæ, & prorſus invalidus. Debent tamen Articuli hujuſmodi unanimi Conſenſu omnium Quatuor Statuum concluſi, poſtmodùm ab ipſo Rege approbari, & confirmari, ad hoc ut Vim ſuam obtineant, & pro legitimis recipiantur ab omnibus Regnicolis, ac pro Lege ſtabili habeantur. Hoc verò currenti Sæculo ſub Matthia II. Rege, à quo, primò novæ duæ Sectæ, Lutheranorum, & Calviniſtarum liberum ſuæ Religionis in Hungaria obtinuerunt vel potiùs extorſerunt exercitium, quintum Statum ſub titulo *Statûs Evangelici*, nunquam ad hæc tempora in Hungaria vel de nomine noti, conatæ ſunt erigere, licèt & ab Evangelio, & à ſe invicem toto Cœlo differrent, & diſcreparent; Verùm tam huic conceſſioni liberi exercitij, quàm quinti hujus Statûs, appellationi, & creationi in illis ipſis Comitijs publicè contradixit Univerſus Status Eccleſiaſticus, & reliqui Catholici omnes, undè hic quintus Status, ſicut inſtar fungi noviter enatus, & violenter protruſus eſt, ita etiam jam ſenſim evaneſcit. Cujus proinde nulla ſub hoc Titulo, in Regni Comitijs habenda eſſet ratio.

Et quia hactenus diſpoſiti Catalogi, fuerunt de Rebus, potiſſimùm, ad Statum Eccleſiaſticum ſpectantibus, ſubſequentes erunt, de Rebus, quæ magìs Statum Politicum concernunt. ſit igitur.

CATALOGUS LXXXIV.

Primorum Incolarum Pannoniæ, ante Chriſtum Natum.

Anno Diluvij 155. Primus incoluiſſe fertur has terras *Bannon*, ex *Semi* filij Noë Progenie, Pronepotis ejuſdem, *Aramei* filius, qui etiam nomen Pannoniæ dedit ijſdem.

Anno 1796. Diluvij, Pannones hactenus liberi à *Daraio Hidaſpis* filio ſubacti ſunt, & magna ex parte in ſervitutem abacti.

Anno 1799. Diluvij, occaſione Rebellionis, *Araſtagoræ* contra Daræjum, Pannones rediêre rurſus in Patriam.

Anno Diluvij 1932. *Amintas* Macedonum Rex, bellum Pannonibus indixit, ſed ab ijſdem devincitur, & clade magnâ afficitur.

Anno Diluvij 1945. *Perdicas* Macedo, hanc cladem ulciſci volens, ipſe in ca-

ptivitatem incidit, in ultimámque miſeriam ab ijſdem Pannonibus redactus eſt.

Anno Diluvij 1946. Pannones ob victoriam proximè de Macedonibus reportatam Duce *Bardillo*, Macedoniam ipſam invadunt, ſed à Rege Macedoniæ *Philippo* victi, pacem ab eo precario impetrant.

Anno Diluvij 1951. Cùm iterum rebellâſſent, Macedonum Tributarij facti ſunt.

Anno dein 1971. Poſt Diluvium, Pannones ab Alexandro Magno, contra Darium Regem Perſarum in ſocietatem armorum evocantur, in quo bello, & Regiam cuſtodiam, & nomen celebre adepti ſunt, ac multis libertatibus donati, & aucti, ut ex ſequenti, ab Alexandro Magno ijſdem dato, Privilegio patet.

Pannones dein liberi ſuis legibus vivebant, uſque ad Auguſti Cæſaris tempora, úſque ad Chriſti Domini Adventum.

CATALOGUS LXXXV.

Incolarum, & Dominantium Pannoniæ, poſt Chriſtum Natum.

Anno igitur Chriſti 9. Auguſtus Imperator, Pannoniam in Provinciam redegit, eámque Imperio Romano ſubjecit, mansítque ea ſub Romanorum Dominio, annis ampliùs quàm trecentis, ad quam in officio coërcendam, Romani conſtanter duas Legiones intertenebant, ſubinde verò plures prout exigebat neceſſitas.

Anno dein 336. Peſte exhauſtâ, & Principum impietate undíque dilaceratâ Pannoniâ, Vandali à Gothis pulſi, Conſtantini Imperatoris permiſſu, Pannoniam occupârunt, & per annos ferè 40. poſſiderunt.

Anno verò 372. Gotthi, eoſdem Vandalos etiam Pannoniâ expulerunt, eámque ſui juris fecerunt.

Verùm néque Gotthorum diuturnum in Pannonia fuit Imperium. Nam Hunni ex Scithia cum numeroſiſſimo exercitu prodeuntes, Gotthis pulſis, ejuſdem Dominium uſurpârunt.

Dominati ſunt dein Hunni Pannoniæ annis ferè 80. & maximè eorum Imperium floruit, ſub Attila, qui 27. eidem præfuit annis, ſed poſt mortem hujus, inter filios ejuſdem, exorto inteſtino bello, viribus prorſus tota gens exhauſta eſt. Pars proinde victa, cum *Chaba* uno filio Attilæ in Scithiam redijt, pars altera cum *Anderico* altero ejuſdem Attilæ filio in Pannonia, ſed planè diminuta remanſit.

Anno itáque 458. hâc occasione usi Ostrogotthi, oppressis Hunnis, Panno- niam occupant, eámque sub quatuor Regibus sibi succedentibus, propè 70. annis possident.

Nicolaus Trevel de Neuma, 1405.
Joannes de Rozgon, 1439.
Ladislaus de Rákos,
Georgius Szechi.
Blasius de Raska,
Joannes Sárkány, 1529.
C. Thomas Erdődi, 1606.
C. Joannes Draskovicz.
C. Christophorus Banffi de Alsó Lendva.
C. Stephanus de Csák.
C. Emericus Erdődi.
C. Georgius Erdődi.

CATALOGUS CVI.

Magiſtrorum Pincernarum Regalium.

Bartholomæus, Anno 1351.
Blaſius Forgách.
Laurentius de Tharri.
Paulus, & Joannes Compolth de Nava.
Andreas Pongrácz de Dengeleth.
Georgius de Thurocz.
Stephanus de Kaniſa.
Michaël de Palocz.
Joannes Bánffi de Lendva.
Stephanus Dersffi.
Michaël Czobor.
Sigiſmundus Forgách.
Andreas Dóczi.
C. Georgius Drugeth de Homonna.
C. Paulus Pálffi.
C. Adamus Forgách.
C. Adamus Battyani.
C. Franciſcus Battyani.

CATALOGUS CVII.

Magiſtrorum Janitorum Regalium.

Thôtes.
Nicolaus de Telegd.
Simon Koniæ, Bani filius.
Emericus de Marczal.
Benedictus de Thurocz.
Benedictus Bánffi de Lendva.
Nicolaus Bánffi de Lendva.
Moyſes Buſzlai.
Valentinus Horváth de Végles.
Franciſcus Dersffi.
Demetrius Láſzloffi.
Andreas Sarmaságı.
Nicolaus Iſtvánffi.
C. Paulus Rakoczi.
C. Stephanus Nyári.
C. Ladislaus Cháki.
C. Nicolaus Pálffi.
C. Stephanus Zichi.
C. Marcus Czobor.

CATALOGUS CVIII.

Magiſtrorum Cubiculariorum.

Joannes, Oliverij filius.
Blaſius de Raska.
Gabriel Pereni, & Joannes Podmaniczki.
Adamus Doczi.
C. Joannes Draskovich.
C. Paulus Nadaſdi.
C. Nicolaus Forgách.
C. Joannes Pálffi.
C. Georgius Erdôdi.
C. Nicolaus Palffi Senior.

CA-

CATALOGUS CIX.

Magiſtrorum Agazonum Regalium.

Dionyſius.
Stephanus, filius Dionyſij Vajvodæ.
Petrus Cheh.
Laurentius de Hedervára.
Nicolaus Cſáſzár de Latſiæ.
Paulus de Dombo, & Ladislaus de Weſſen.
Ladislaus Orſzágh de Guth.
C. Georgius Báthori.
C. Franciſcus Battyani.
C. Georgius Zrini.
C. Nicolaus Zrini.
C. Adamus Zrini.
C. Franciſcus Kéri.

CATALOGUS CX.

Magiſtrorum Dapiferorum.

Leukenes.
Oliverius, Anno 1351.
Nicolaus de Weſſen.
Martinus Deis.
Joannes, & Stephanus Pereni.
Ladislaus de Báthor.
Wilchelmus Comes Zagoriæ.
Emericus Pereni.
Emericus Deſews.
Michaël Czobor.
Stephanus Bebek, 1511.
Joannes Dragffi.
C. Georgius Thurzo.
Franciſcus Dersffi.
C. Thomas Szechi.
Thomas Boſnyak.
Stephanus Oſtroſith.
C. Adamus Battyani.
C. Georgius Illyesházi.
C. Chriſtophorus Erdődi.

CATALOGUS CXI.

Magiſtrorum Curiæ Regiæ.

Gabriel de Perén, & Joannes Podmaniczki.
Michaël Paloczai.
Caſparus Czobor.
Georgius Sarmaságí, 1510.
Thomas Zechi.
Petrus de Reva.
Emericus Czobor.
C. Franciſcus de Nádaſd.
C. Georgius de Frangepanibus.
C. Paulus Eſzterházi.
C. Joannes Draskovich.
C. Michaël Eſzterházi.

CATALOGUS CXII.

Comitum Poſonienſium.

Simon, filius Mauritij, Anno 1351.
Nicolaus Zambo.

Sinoslaus de Weltav.
Stephanus, & Georgius de Rozgon.
Andreas Pankyrcher.
Nicolaus Banffi de Lendva.
Joannes Bornemiſzſza de Berencze.
C. Stephanus Pálffi.
C. Paulus Pálffi.
C. Nicolaus I. Pálffi.
C. Joannes Pálffi.
C. Nicolaus II. Pálffi.

CATALOGUS CXIII.

Comitum Temeſvarienſium.

Temeſvarinum, Arx, & Civitas inſignis, loco commodiſſimo ſita ad Temeſium Fluvium, quam Veteres Pannoniæ Reges, contra Cumanorum, & Bulgarorum nondum Chriſtianâ Religione imbutorum, hoſtiles incurſiones ædificaverant, & poſtea invaleſcentibus Turcarum armis, & ijſdem ultra Iſtrum, Regiones Coronæ Hungaricæ, ad fines utriúſque Valachiæ, vaſtantibus, Hungariæ Reges valido præſidio muniverant; cui præfecerunt cum ſumma poteſtate Comitem Supremum ejuſdem Comitatûs Temeſienſis, ſubjiciendo illi totum illum tractum, qui inter Tibiſcum, & Tranſylvaniam protenditur, atque ſucceſſu temporis, pro majori dignitate, & authoritate ejuſdem, Officium hoc inter Barones Regni connumerârunt. Paucorum tamen ex his exſtant Nomina, utpotè tardiùs inſtituta, ſed néque diù ſtetit hæc dignitas Baronatûs, nam ejuſdem finis fuit Anno 1552. poſt expugnatum à Turcis Temeſvarinum. Hos tamen inter, fuêre:

Joannes Hunyadi Corvinus.
C. Ladislaus Corvinus.
Paulus Kiniſius, ſub Matthia Corvino, Rege Hungariæ.
Jóſa de Som, ſub Vladislao II, Rege.
Stephanus Bathori, ſub eodem Rege.
Matthæus de Várda, 1409.
Laurentius Ujlaki, ſub Ludovico II. Rege.

Stephanus Loſzonczi, ſub Ferdinando I. Rege. Qui Temeſvarinum fortiter quamdiù potuit, propugnavit; verùm hoc expugnato, à Turcis multis vulneribus, pugnando ſtrenuè confoſſus, ab ijſdem captus, ac demùm decollatus eſt.

CATALOGUS CXIV.

Actualium Regni Baronum.

Palatinus Regni, Celſiſſimus Princeps, Paulus Eſzterházi.
Judex Curiæ, Comes Stephanus Csáki.
Banus Croatiæ, Sclavoniæ, & Dalmatiæ, Comes Adamus Battyani.

Magi-

Magister Tavernicorum, Comes Georgius Erdődi.
Magister Dapiferorum, Comes Christophorus Erdődi.
Magister Cubiculariorum, Comes Nicolaus Pálffi Senior.
Magister Agazonum, Comes Franciscus Kéri.
Magister Pincernarum, Comes Franciscus Battyani.
Magister Janitorum, Comes Marcus Czobor.
Magister Curiæ Regiæ, Comes Michaël Eszterházi.
Comes Posoniensis, Comes Nicolaus Pálffi.

CATALOGUS CXV.

Supremorum Comitum Comitatuum.

Supremi Comites Comitatuum, aliqui sunt Perpetui, alij pro Regis arbitrio constituuntur. Horum autem est prima dignitas in ijs Comitatibus quibus præsunt, magna quóque est in ijsdem, eorum dignitas ac potestas, sed tamen legibus Regni limitata. Desiderâssem autem singulorum Comitatuum seriem Supremorum Comitum ordine successionis hìc apponere. Quod quia pro nunc fieri non poterat, saltèm illorum Nomina, qui actualiter, illis præsunt subnectere non prætermittam.

Itáque *Comitatus Sopronienſis*, *Pest*, *Pilis*, *&* *Zóld*, Supremus Comes nunc est, Celsissimus Princeps Paulus Eszterházi.

Posoniensis, C. Nicolaus Pálffi Senior.
Castriferrei, C. Franciscus Kéri.
Szaladiensis, C. Michaël Eszterházi.
Mosoniensis, C. Adamus Zichi.
Jaurinensis, Episcopus Jaurinensis, Serenissim. Princeps Christianus Augustus è Ducibus Saxoniæ.
Vesprimiensis, Episcopus Vesprimiensis Paulus Széchéni.
Albensis, C. Franciscus Eszterházi.
Nitriensis, Episcopus Nitriensis Ladislaus Mattyasowski.
Threnchiniensis, *&* *Liptoviensis*, C. Nicolaus Illyésházi.
Strigoniensis, Archi-Episcopus Strigoniensis Eminentissimus Cardinalis Leopoldus à Kollonicz.
Barsiensis, *&* *Arvensis*, C. Georgius Erdődi.
Hontensis, C. Wolffgangus Kohári.
Neogradiensis, C. Adamus Forgách.
Comaromiensis, C. Stephanus Zichi.
Scepusiensis, C. Stephanus Csáki.
Sárosiensis, C. Franciscus Rakoczi.
Zempliniensis, C. Franciscus Barkoczi.
Ungvariensis, C. Nicolaus Bercsényi.
Aba-Ujvariensis, C. Sigismundus Csáki.
Tornensis, C. Adamus Keglevich.
Borsodiensis, C. Simon Forgách.
Hevesiensis, *&* *utriúsque Szolnok*, Episcopus Agriensis Georgius Fennesi

Gömöriensis, M. D. Petrus Andrási.
Tolnensis, Episcopus Quinque Ecclesiensis.
Baranniensis, C. Joannes Draskovich.
Thurocziensis, M. D. Franciscus Revai.
Zoliensis, M. D. Thomas Smidek.
Zabolczensis, C. Petrus Zichi.
Szakmariensis, M. D. Alexander Károli.
Ugocsiensis, C. Stephanus Csáki Junior.
Bereghiensis, C. Sigismundus Csáki.
Maromarosiensis, C. Laurentius Pekri.
Csongradiensis, Perillustris D. Stephanus Bertothi.
Bihariensis, Episcopus Varadinensis Augustinus Benkovicz.
Zaradiensis, M. D. Franciscus Klobusiczki.
Crasnensis, C. Ladislaus Szent-Ivani.
Severiensis, Perillustris D. Joannes Maczkazy.
Sirmiensis, Episcopus Sirmiensis Franciscus Jani.
Varasdinensis, C. Alexander Erdödi.
Zagrabiensis, & *Crisiensis*, Perillustris D. Stephanus Jellasich.
Posegiensis, C. David Ivanovich.
Valkovariensis, & *Barananiensis*, Comes Joannes Draskovich.

CATALOGUS CXVI.

Personarum Tabulæ Regiæ.

Personæ Tabulam Regiam, constituentes, seu Judices Sedis Judiciariæ Regis, sunt:

Palatinus.
Judex Curiæ.
Cancellarius Secretarius, qui est Archi-Episcopus Strigoniensis, vel ejusdem Locumtenens.
Magister Tavernicorum.
Unus aliquis alius, ex Baronibus Regni.
Tres Episcopi.
Personalis.
Vice-Palatinus.
Vice-Judex Curiæ.
Quatuor Prothonotarij Regni.
Prælatus Tabulæ Regiæ.
Baro Tabulæ Regiæ.
Duo Assessores Regij.
Duo Assessores Archi-Episcopales.
Fiscus seu Director Causarum Regiarũ.

CATALOGUS CXVII.

Legatorum Sanctæ & Apostolicæ Sedis, ad Reges Hungariæ.

Urolphus, ad prædicandum Evangelium in Hungariam.
Anonymus, ad Ovonem Regem Hungariæ, 1042.
Cardinalis Columnensis, ad Andream II. Regem Hungariæ.
Philippus Firmanus Cardinalis, ad Ladislaum IV. Regem Hungariæ.
Nicolaus Cardinalis Ostiensis, ad Inter-Regnum.

Ju-

Julianus Cardinalis, ad Vladislaum I. Regem Hungariæ.
Gentilis Cardinalis, ad Carolum Regem Hungariæ.
Sanctus Petrus Thomasius, ad Ludovicum I. Regem Hungariæ.
Guido Portunensis Episcopus, ad Ludovicum I. Regem Hungariæ.
Beatus Joannes Dominici, ad Sigismundum Regem Hungariæ.
Episcopus Coronensis, ad Joannem Corvinum Regni Hungariæ Gubernatorem.
Nicolaus Cardinalis, ad Inter-Regnum.
Joannes S. Angeli Cardinalis, ad Ladislaum Posthumum Regem Hungariæ.
Cardinalis Vitoniensis, Regiâ Britaniæ stirpe natus, ad Matthiam Regem H.
Dominicus Alivensis, ad eundem Regem Hungariæ.
Laurentius Roborella Episcopus Ferrariensis, ad Matthiam Regem Hungariæ.
Ursus Ursinus, ad Vladislaum II. Regem Hungariæ.
Thomas de Vio Cajetanus, ad Ludovicum II. Regem Hungariæ.

CATALOGUS CXVIII.

Variorum in Religione Dogmatum, sub Corona Hungariæ.

Catholici. In qua fide fuerunt omnes Hungari, & Populi Coronæ Hungaricæ subjecti, ab initio suæ Conversionis ad fidem Christianam, usque ad Annum 1500. & ultra. Et manent num etiam in eadem plurimi, ac omnes Croatæ, Bosnenses, & Dalmatæ.

Ariani Veteres. Extirpati ex omnibus Provincijs Coronæ Hungaricæ, sub pœna combustionis.

Hussitæ. Eliminati hi quóque, sub Matthia I. Rege Hungariæ.

Fratricelli. Hi initio statim suppressi sunt, in partibus Coronæ Hungaricæ subjecti,

Patarini. Cœperat hæc Secta serpere in Bosnia, imò jam latè propagari, illius tamen asseclæ postmodùm reducti sunt rursus ad fidem Catholicam, sub Ludovico I. Rege Hungariæ.

Photiniani. Horum author fuit Photinus, Sirmij in Pannonia Episcopus. Cujus doctrina damnata est in Concilio Sardicensi, Anno Christi 341. ac iterum in Concilio Sirmiensi, 357. Asseclæ illius postmodùm defecerunt, ita, ut nec vestigium illorum remanserit in Pannonia.

Mahometani. Sectæ hujus sub Corona Hungariæ fuêre soli Turcæ, & Tartari, in Bessarabia.

Judæi. Horum magna copia fuit in Hungaria, sed postmodùm ex Regno proscripti sunt, à Ludovico I. Rege Hungariæ.

Schismatici. Cujusmodi sunt Rasciani, Rutheni, & Valachi, in Croatia, & Transylvania. Quorum tamen magna pars est unita jam Ecclesiæ Romano-Catholicæ.

Lutherani. A Martino Luthero Monacho Apostata, qui suas hæreses incœpit spargere, Anno Christi 1517. In Hungariam clanculò subrepserunt, circa Annum 1527.

Calvinistæ. A Joanne Calvino, qui Sectam suam fundare cœpit Genevæ in Sabaudia, Anno Christi 1541. & ultimas suas Institutiones conscripsit, Anno 1559. Hi adhuc tardiùs venerunt in Hungariam, & Transylvaniam.

Anabaptistæ. Proscripti hi sunt ex Regno, Anno 1556. & adhuc Anno 1548. Et cùm adhuc tolerarentur ab aliquibus Magnatibus, totaliter tandem per se defecerunt.

Puritani. Authore Samsone, Prædicante Calvinistâ in Anglia. Horum adhuc aliqui reperiuntur inter ipsos Calvinistas, in Hungaria, & Transylvania.

Sabatharij. Reperiuntur adhuc aliqui èx his, sed in sola Transylvania.

CATALOGUS CXIX.

Idiomatum, & Nationum, sub Corona Hungariæ.

Primi Incolæ Pannoniæ, fuêre *Pannones.* Quorum Idoma erat, quod defactò est, nempè Slavonicum.

Dein *Romani* obtinuerunt Pannoniam. Quorum Idioma Latinum erat.

Postmodùm supervenêre *Vandali.* Horum Idioma pariter Slavonicum fuit. Unde Slavonica lingva alio nomine Vandalica nuncupatur.

Vandalos ex Pannonia expulerunt *Gotthi*, & *Ostrogothi.* Horum Idioma, an fuerit Slavonicum, vel Germanicum, incertum est. Constat tamen eos fuisse Septemtrionales & Sarmatiæ populos. Adhuc autem defactò, Rex Svecorum scribit se Regem Gotthiæ; Sveci verò Germanico utuntur Idiomate, uti Sarmatæ Slavonico.

Jaziges, utebantur Slavonico Idiomate, licèt nunc utantur Hungarico. Quia fortassis pulsis Jazigibus, Hungari eas occupârunt partes, quas Jaziges Medanastæ olim incolebant.

Longobardi, fuêre populi Germaniæ, adeóque eorum Idioma erat Germanicum.

Slavi in Pannonia, *Croatæ*, *Bosnenses*, *Dalmatæ*, *Rasciani*, *Rutheni*, qui sunt in

in Hungaria, uti & *Valachi* in Croatia, utuntur Idiomate Slavonico, ſola dialecto diversâ.

Valachi, in partibus Superioris Hungariæ, in Tranſylvania, Moldavia, & Valachia, utuntur corrupto Idiomate Latino.

Hunni, *Avares*, *Hungari*, idem populus eſt. Hi utuntur proprio Idiomate, quod ab exitu illorum ex Scythia, ad hæc uſque tempora, ſemper invariatum manet, néque ullam affinitatem habet, cum aliquo Europæ Idiomate.

Saxones, in Hungaria, & Tranſylvania, utuntur Germanico Idiomate.

Turcæ, proprium ſuum habent Idioma, Dalmaticum tamen, & Hungaricum affectant ſcire.

Zingari, habent proprium ſuum Idioma, quod illi Ægyptiacum eſſe dicunt.

Pro moderno autem ſtatu Hungariæ, vigent in ea Idiomata: Hungaricum, Germanicum, Slavonicum, & Latinum, cujus uſus eſt communis inter Nobiliores, & Politiores.

CATALOGUS CXX.

Fauſtorum cum Infidelibus, & Turcis Bellorum.

900. S. Stephanus Rex adhuc adoleſcens, contra Ducem Simigienſem *Kupam*, Gentiliſmo adhærentem, bellavit, & eo interfecto, ejus bona, Monaſterio S. Martini addixit, Kupæque corpus quadrifariam diviſum, Strigonij, Veſprimij, Jaurini, Albæ Juliæ portis præfixum eſt, ad deterrendum à Gentiliſmo populum.

1000. S. Stephanus, *Gyulam* Tranſylvaniæ Vajvodam Gentiliſmi ritûs tuentem, prælio vicit, quâ occaſione Tranſylvaniam, Chriſtianis ſacris imbuit.

Idem Sanctus Rex, Bulgaros, Rege eorum *Kéjano* cæſo, Hungariam infeſtantes fudit penitùs, & Hungariæ ſubjugavit.

1050. *Bela* Rex, omnes ad Idola Scytharum reverti anhelantes, occidit.

Salamon Rex, contra Chunos feliciter bellat, ad montem *Cſerhelly*.

Idem Albam Græcam occupat, Bulgaróſque cædit.

S. Ladislaus, pauculis ſuorum amiſſis, decem Chunorum millia ad Tibiſcum cædit, & *Acum* eorum Ducem, ipſe ſingulari certamine occidit.

Idem ter de Cumanis Bello triumphat.

Idem

Idem Expeditionis in Terram Sanctam Dux futurus, itineri se accingit cum Hungaris, sed mors Regis bona cœpta intercepit.

1100. A Geyza II. hujus nominis Rege, *Lodomirius* cum Chunis, & Ruthenis cæsus, & fugatus est.

Multa cum *Emmanuele* Græcorum Imperatore Bella felici eventu gessit, Stephanus III. Rex Hungariæ.

1150. Ne Christiana expeditio, post captam Hierosolymam, Christianorum diffidijs turbaretur, fœdus init Rex Bela cum Venetis, quin & Juramento sanxit, se quóque Christianis commilitaturum contra hostem Christianitatis.

Andreas II. Rex Hungariæ, Honorij Pontificis svasu, expeditionem in Terram Sanctam suscipit, ejúsque Belli Imperator declaratur, & ab omnibus acceptatur: Anno 1218. Damiatam Urbem obsidet,

1200. & post 22. Menses occupat, defendentibus Urbem 70000. Saracenorum. Unde Hierosolymitanus dictus.

Sub Bela IV. Anno circiter 1242. Chunorum 40. millia non recensito imbelliori sexu, aut ætate, in Hungariam admissi, Duce *Cuthenο*, eâ conditione, ut Baptismum susciperent.

Stephanus V. Rex, Bulgarorum Regem cæcidit, Budinum Bulgarorum Metropolim, tertio obsidionis Mense expugnavit, & totam

1250. Mysiam Hungariæ stipendiariam fecit.

Ladislaus IV. Rex Hungariæ, Anno circiter 1282. Cumanos insigni clade affecit, ad lacum *Hood*.

Ludovicus I. Rex Hungariæ, è Regno suo Judæos proscripsit.

1300. Idem Ruthenos, & Moldavos ferro domuit.

Idem *Atlamo* Tartarorum Duce capto, ejus exercitum palabundum cæcidit.

Idem Ludovicus *Stratimirum*, qui se Bulgariæ Regem jactabat, devictum captivavit, & trium Mensium spatio, totam denuò Bulgariam Hungariæ subjugavit.

1350. Idem Valachiam Transalpinam reluctantem, armis ad Tributa Hungaris danda, compulit.

Idem Valacho rebellante, & Turcam in Armorum societatem evocante, Nicopolim capit, circa Annum 1393. & hic primus Turcarum in Hungariam ingressus fuit.

Albertus Rex Hungariæ, Turcam Hungariæ fines infestantem, sæpiùs fugat, circa Annum 1468. Anno

Anno 1441. Joannes Corvinus Hunniades, ad Villam S. Emerici, in Transylvania, cædit Turcarum 20. millia, suorum tribus millibus perditis.

Idem 1442. *Bassæum* Bassam, 80. millibus fortem, suorum 15. millibus, cædit.

1400. Idem 1443. Bassam Anatoliensem fugat, 30. millibus cæsis.

Idem in Macedonia, cæso hostili exercitu, *Carambejum* Bassam capit.

1445. Stratagemate ad Savum, cædit Turcam.

1448. Viginti duobus millibus suorum, vincit Turcarum exercitum 80. millibus fastuosum, cæsis eorum 34. millibus, 18. Octobris.

1465. Mahomet Belgradum obsidet, 25. Junij, sed à Joanne Hunniade, gravissimâ clade affectus, repellitur 6. Augusti.

1462. *Alibegus* ex Mysia, à Michaële Szilágyi cæditur propè Savum: Idem cæditur bis à Transylvanis, Anno imminenti.

1463. Matthias Rex Hungariæ, *Jajczam* Bosniæ Metropolim 16. Decembris, cum 27. Civitatibus, & Arcibus expugnat.

1471. Ab obsidione *Jajczæ* Mahomet repellitur.

1450. 1474. Duodecim millia Turcarum Valachiam vastantia, à Stephano Vajvoda fugantur.

1475. *Sabbacia* ad Savum, astu capitur à Matthia Rege Hungariæ.

1480. *Alibegus*, à Stephano Báthori, & Paulo Kinisio cæsus 30. millia suorum, in Campo Panis, seu Kényér mezô, amisit.

1492. Cæsi in Croatia, & ad Belgradum Turcæ.

1494. Turcas ab obsidione Belgradi, repellit Kinisius. Hoc tempore Matthias Rex *Zrebernicum* ab Argentifodinis celebre in Mysia expugnat.

1527. Ferdinandus Rex Budam, à Zapollya Turcis adjuto, recipit.

1529. Turca Viennam obsidet, & amissis suorum multis millibus, recedit.

1500. 1537. Günzium, contra expugnationem Solimanni, fortiter Nicolaus Jurisics defendit.

1541. Irrito conatu Turcæ Pesthum oppugnant. propugnante illud Barkoczio.

1542. Vacziam nostri recipiunt.

1551. Temesvarinum, Stephanus Lossonczi contra obsidionem Turcicam defendit.

1552. Irrito conatu Agriam Turcæ obsident, & repelluntur 18. Octobris, propugnante Stephano Dobo.

1555. Irrito conatu Szigethum à Turcis oppugnatur: Idem factum bis Anno 1556. licèt postea 1566. fuerit expugnatum.

1557. Joannes Lenchovics, & Joannes Alapi ad S. Helenam cædunt Turcam.

1558. Cæditur à Cæsareaneis Turca, ad Oppidum *Szikzo*.

1562. Irrita fuit Tutcæ ad Szathmarinum obsidio, Arcem tuente Francisco Zay.

1565. Petrus Erdődi Banus Croatiæ, profligat Turcas, Regnum vastantes.

1566. Comes Ekius Vesprimium, Tatam, & alias Arces Turcis eripit.

1567. Lazarus Schvendius, cædit 10. millia Turcarum ad *Hust*, ad obsidionem solvendam venientes. *Palota* frustra oppugnatur à

1550. Turcis, defendente Georgio Thuri.

1586. Turcæ Hungariam vastantes, à Georgio Zrinio cæduntur.

1589. Cæduntur Turcarum 25. millia, Duce Sidismundo Rakoczi Capitaneo Agriensi.

1592. Turcæ, ab obsidione Sißeki, astu Canonici Zagrabiensis repulsi. Anno sequenti reduces 22. millibus suorum amissis, rejecti.

1593. Ducibus Pálffio, Nadasdio, & Hardecio, Turcæ ad Albam Regalem cæsis 10. millibus fugati, & à Tieffenpachio, Sabacia armatâ manu recepta, uti & Fűlekinum.

1594. Deditione Neogradinum Turcis eripitur, quo tempore Tieffenpachius succursum hostium, ad Hatvan repressit.

1594. Mansfeldius, bis repulso succursu Turcico, Strigonium expugnat, simul Vissegradum, & Vacia, post etiam Hatvanum occupatur à nostris.

1592. Jaurinum, Ducibus Schvarczenburgio, & Pálffio recuperatur, pariter Vesprimium, Tihan, & cæteræ Arces recipiuntur.

1600. *Papam*, Turcæ à Gallis venditam, nostri recipiunt.

1601. Alba Regalis, cæso Turcâ, vi expugnata.

1604. Irritâ obsidione, tentatur à Turcis Strigonium.

1600. 1626. Turca, ab oppugnatione Novigradi, repellitur, & Vacia capitur.

1636. Turcæ ad Szegedinum profligantur. 1636.

1626. Missa in succursum Betlehemio 40. millia Tartarorum internecione delentur.

1664. *Breznicza, Babocsa, &c.* Turcis ereptæ, *Pons Eszék* combustus, Duce Zrinio.

Eodem Anno, Duce Generali Susâ, Nitria, & Leva à Turcis reoccupata.

Eodem Anno, Duce Montecuculi, Turca ad Sanctum Gothardum memorandâ strage affectus.

1683. Ab Obsidione Viennæ, Turca gloriosè depulsus. Idémque ad *Parkan* cæsus, & post paucorum dierum obsidionem, expugnatum Strigonium.

1684. Vissegradum, Vacia, Viroviticza Turcis erepta.

1685. Cæsus ad Strigonium Turca, & soluta obsidio 16. Augusti, *Ujvarinum* armatâ manu occupatur 19. Augusti. *Pontes Eszek* iteratò combusti. *Dubicza* expilata.

1686. *Buda* Metropolis Hungariæ, à Serenissimis Ducibus Carolo Lotharingiæ, & Emmanuele Bavariæ, in præsentia hostilis exercitûs, qui ad solvendam obsidionem venerat, vi, & armatâ manu expugnatur; ac dein *Quinque Ecclesiæ, Simony Tornya, Siclosium, Szegedinum*, & *Chanadinum*, & in Superiori Hungaria *Fanum S. Jobi*, ex Turcarum potestate eripiuntur.

1687. *Agria*, longâ fame pressâ, Turcis eripitur, & ad deditionem adigitur. Item Turcæ ad *Eszekinum*, maximâ clade per nostros profligantur, ac ferè ad internecionem delentur. Item tota ferè *Sclavonia* recuperatur. Et Fortalitia *Transylvaniæ*, Milite Cæsareo, præsidiantur.

1688. *Alba Regalis* deditione recipitur, & *Belgradum* à Serenissimo Emmanuele, Duce Bavariæ feliciter expugnatur, *Szigethum* quóque nostris cedit; compluráque alia ad *Unnam* fluvium fortalitia, Turcis eripiuntur, qui insuper memorabili victoriâ ad *Triveniczam* Bosniæ pagum, per Ludovicum Marchionem Badensem, profligantur.

1689. Eodem Serenissimo Marchione Duce, iteratis vicibus ad *Moravam* fluvium, & *Nissam* Urbem, Turcæ castris exuuntur, & ipsa quóque Urbs *Nissa*, ac dein etiam *Vidinium*, aliæque ijsdem finitimæ Arces, in Cæsaream potestatem rediguntur.

1690. *Canisa*, post longam ploquadam, deditione à nostris recipitur.

1650.

1691. Memorabilem prorsùs, nostri eodem Serenissimo Duce, ad *Szalankemén*, de Turcis reportant Victoriam.

1692. *Varadinum*, adolescente Junio, post longissimam & lentissimam obsidionem, per Excellentissimum Generalem Haislerum, factâ forti impressione expugnatur, & Turcis eripitur.

1693. Præsidia *Jenö*, & *Világos Vár*, à nostris occupantur.

1697. Turcarum Imperator ipse in Campum prodiens, à Serenissimo Eugenio Duce Sabaudiæ, Cæsarei Exercitûs Summo Ductore, ad Tibiscum fluvium infra Szegedinum, ingenti clade afficitur, & in fugam turpissimam compellitur. Atque per eundem Serenissimum, in Bosniam quóque expeditio feliciter suscíptur; Demùm ab Excellentissimo Generali Rabutin *Uj palanka* armatâ manu cœsis omnibus Turcis præsidiarijs, occupatur, atque solo æquatur.

CATALOGUS CXXI.

Bellorum cum Christianis Principibus, & Domesticis.

900 Scythas Imperium depopulantes, S. Udalricus Augustanæ Urbis Episcopus, ab Urbis illius obsidione repellit, Anno 955.

Eosdem Otto primus Imperator ita cædit, ut vix pauci incolumes evaserint.

11030. Stephanus, mortuo Henrico Cæsare, contra Conradum Viennam occupat, quòd Bavariam filio Emerico cedere nollet, ad quam maternâ hæreditate jus habebat. *Aventinus lib.* 5.

Divus Stephanus, magnis Conradi copijs circumventus, ope Deiparæ imploratâ, servatur incolumis.

1000. Henricus III. Imperator, Hungaros prælio vincit, & Petrum Regem solio restituit, 1044. 5. Julij.

Idem Posonium post duorum mensium obsidionem ob Naves à quopiam obsessorum perforatas, deserit.

Idem Andream Regem Bello impetijt, sed ob famem astu literarum interceptarum procuratam, pacisci cogitur, sponsione factâ, nunquam Hungariam invadendi.

Idem Andreas Rex, triennali prælio Poloniam, Bohemiam, Australésque, Hungariæ stipendiarios facit.

Idem Andreas Rex, à Bela Duce in prælio cæditur, 1059.
In Bello Geyzæ cum Salamone ſuſcepto, in opem Geyzæ Angeli veniſſe ſunt conſpecti, ſicque fugavit Salamonem.
S. Ladislaus, cum Salamone Bohemos Threnchinium uſque excurrentes, profligat.
1050. Idem Cracoviam, aſtu montis farinacei, contra Polonos expugnat.
Colomanni Regis exercitus à Ruthenis ferè ad internecionem deletus.
Colomannus, Venetos prœlio cæcidit, ob Dalmatiam infeſtatam, unde ij pacem ab eo per Legatos petiêrunt, ac impetrârunt.

Stephani II. Copiæ, primùm è confinijs Bohemiæ repulſæ, dein redintegratis viribus magnam Bohemis cladem intulerunt.
Hungari, à S. Leopoldo Auſtriæ Marchione in fugam conjecti.
Bela II. Borichum filium Colomanni Regis, ex Pellice natum, Regnum ſibi vendicare volentem profligat, eíque adhærentes interimit.
1100. Geyza II. fudit Theutonum, & Saxonum, Auſtriacorum, & Bavarorum Copias, quæ ſub auſpicijs Henrici Auſtrij Poſonio occupato Hungariam invaſerunt, quibus repulſis, Poſonium recepit.

Stephanus III. varia contra Venetos prælia feliciter geſſit.
Stephanus IV. ob Coronam ſibi uſurpatam, à Stephano III. commiſsâ acie victus eſt.
1150. Ad Belam III. quartò deficiunt Jadrenſes.
Veneti, ſub Regimine Emerici Regis, Jaderam in Dalmatia, poſt plurium menſium obſidionem recuperant.

Bela IV. commiſſo ad Neoſtadium cum Friderico prælio, hunc occidit, & ipſe Exercitum ſuum amittit
Styria ſe Belæ IV. ſubdit; commiſſo dein cum Ottocaro Bohemo, qui Styriæ Ducatum prætendebat, prælio, ita conventum eſt, ut
1200. mediam Styriæ partem Bela, mediam Ottocarus poſſideret. *Fu gerius lib.* 2. *Cap.* 4.
Ottocarus, contra fœderis pacta, Hungariam vaſtat, & plura ejuſdem Oppida, ac Vicos occupat.
Bela pariter varijs Bohemiam excurſionibus afflixit.
Stephanus IV. Bohemos, & Auſtrales inſigni victoriâ profligavit.

 Rudol-

Rudolphus Imperator, contra Ottocarum Regem pugnaturus, cum Stephano V. Rege Hungariæ fœdus pangit.

Stephanus V. Bulgariam cum Mysia stipendiariam Hungariæ facit.

1277. Rudolpho cum Ottocaro pugnanti, Ladislaus IV. Rex Hungariæ in persona, cum tanta suorum militum copia succurrit, quantam nulla Cæsaris potentia dedit.

Item Cumanos magnâ clade affecit, 1282.

1250. Andreas III. Rex Bellum contra Austriacos feliciter gessit.

Venceslaus (quem Hungari Ladislaum dixerunt) Bohemiæ Regis filius, ob dissensiones, & prælia æmuli Caroli, pro Corona, in Patriam rediit.

1285. Albertus I. Imperator, Ottocari filius, Abbatem Admontensem cum militibus, contra Joannem Comitem à Ginsio in Hungariam misit, sed hi post Rakespurgum ab Hungaris cæsi. *Fugger. lib. 1. Cap.* 14.

Carolus I. Matthæi Comitis Threnchiniensis, armis, opibus potentis, ingentem exercitum propè Cassoviam prælio vicit.

Idem cùm Valachis pacem petentibus, eam negâsset, inter viarum angustias cæsus, ægrè mutato habitu salvus profugit.

Obsessâ à Joanne Rege Cracoviâ, Casimiro suppetias mittit Ludovicus Rex Hungariæ.

1300. Idem Saxones in Transylvania tributum pendere nolentes, bello cogit.

Idem Dalmatiam, Croatiam, reluctantem compescit.

Idem ter Pontificum Romanorum gratiâ, in Italiam per suos contra Schismaticos expeditionem suscepit, ut Innocentio, Gregorio, & Urbano, Summis Pontificibus, opem adferret, Flamineam, Picenum, Umbriam, recuperavit.

Veneti, Jadram iterum recipiunt.

Sigismundus, Valacho iterum rebellante, & Turcam in armorum societatem evocante, Nicopolim capit, 1393.

Idem æmulos Regni, qui magn osmotus excitaverant, itémque Ruthenos, & Moldavos perdomuit.

Post mortem Ludovici Regis Hungariæ, Veneti Dalmatiam prælijs
1350. vexant.

Blasko Bohemus, coacto facinorosum exercitu Tyrnaviam occupat.

Rusti-

Ruſticorum in Hungaria bellum, cæſis ſeditionis Authoribus exſtinctum.
Circa Annum 1386. Sigiſmundus Rex Croatiam, Dalmatiámque omnem, ſibi rebellantem, Joanne Bano capto, in ſuam recipit ditionem.
Idem vigeſies Turcam in campo cædit.

1405. Vilhelmus Auſtriacus, per Legatos Pacem poſtulat, à Sigiſmundo Rege Hungariæ.
1415. Sigiſmundi Regis Exercitus, à Valachis cæditur.
1437. Bellum Ruſticorum, ingens in Tranſylvania exortum.
1400. 1439. Albertus Rex, Dalmatiam Venetis eripit.
Joannes Corvinus Gubernator, Valachiam Hungariæ ſubjicit, cæſo Vajvodâ Dragulâ.
1445. Comes Ciliæ, ſe Hungariæ ſubjicit.
Joannes Corvinus, infeſtis armis Auſtriam, Styriam, Carinthiam, Carnioliam ingenti multarum Civitatum ſtrage eſt populatus.

1549. Fridericus Imperator, Hungaros ad Kôrmônd cædit.
1460. Matthias, Bohemos Hungariam populantes cædit, & 1465. in Arce Koſztolán, eorum 150 ſuſpendi juſſit.
Idem varia juſto ſeptennio cum Hæreticis, in Bohemia, & Moravia prælia confecit, ijſque devictis Moraviæ Marchio, & Rex Bohemiæ ſalutatus eſt.
Idem 1466. Tranſylvanos hortante Benedicto Rufo, novum ſibi Regem deligere volentes, compeſcit.
1450. Idem Stephanum Moldaviæ Vajvodam, cæſis ſeptem Rebellium millibus, parere docuit.
Idem 1467. 14. Julij, 14. Auſtriaca Oppida deditione accipit, quæ Friderico inducias petenti ultrò ceſſit. Sed cùm Fridericus promiſſa non penderet, eum 1479. novo bello laceſſit, & 1485. Viennam 1. Junij expugnat.
Idem Neoſtadium integro anno oppugnat, & deditione accipit.
1488. Styri, & Carinthi, Pacem ab Hungaris ſunt mercati.
1490. Maximilianus Cæſar, mortuo Matthiâ, Viennam & Auſtriam recuperat, Veſprimium, & Albam Regalem expugnat 18. Novembris, ſed hæc 1491. Vladislaus Rex recipit 19. Auguſti.

Horrendum Ruſticorum adversùs Nobilitatem bellum exoritur. Anno 1514.

1527. Budam, Ferdinandus à Zapollyanis occupat, sed eandem 1529. Solymannus expugnatam Zapollyæ restituit.

1500. Post mortem Zapollyæ Vissegrad, Pest, Vacz, à Ferdinandi copijs recepta, Budâ tamen irritâ obsidione tentatâ.

1553. Hungari Duce Petro Bakid, bello Saxonico occupantur, in quo Lucas Jósa Fridericum Saxonem capit, & captivum Carolo Cæsari sistit.

1553. Isabella Vidua Zapollyæ, Tokainum occupat.

1564. Cæsareani, ducibus Zajo, & Balassio, ad Hadadum Arcem, copias Joannis Sigismundi Zapollya Transylvaniæ Principis, magnâ clade afficiunt, eorúmque castra diripiunt.

1564. Joannis Zapollya filius, auditâ morte Ferdinandi, evocato

1550. Turcæ subsidio Szakmarinum occupat, & alias Arces vastat.

1565. Cæsareani Tokainum, & Szakmarinum, manibus Zapollyanorum eripiunt. Ijdem 1566. Arcem Szádvár recuperant.

1573. Seditiosa decem millium Rusticorum colluvies à Keglevich, & Alapi cæsa, & Gubetius Dux immani supplicio affectus.

1595. Sigismundus Bathorius Transylvaniæ Princeps, fœdus init cum Rudolpho Cæsare.

1598. Bocskaius, Transylvanos ad defectionem à Cæsare commovit.

1604. Tumultus Bocskay Hæretici exortus, in quo ad sexaginta Animarum Christianarum millia, in Turcarum, & Tartarorum servitutem sunt adducta. Cassovia ad eum defecit.

1605. 6. Martij, Bocskay pacem init cum Cæsare.

1607. Seditiosi, Ujvarinum Cæsari restituunt, 11. Februarij.

1619. Gabriel Bethlehemus, contra Cæsarem arma movet, Turcam in societatem evocat, Cassoviam, & plurima Hungariæ Præsidia unà cum Corona occupat.

1600. 1621. 1. Maij, Vesprimium, Fülek, Posonium, Rebellibus eripitur.

1633. Rakoczius insurgit in Cæsarem, Cassoviam, Eperjesinum, Leutschoviam occupat. Et sequenti Anno pacem cum Cæsare init.

1657. Leopoldus I. Rex Hungariæ, Polonis contra Svecos auxilia præbet, Casimirúmque Regem ad Regiam suam dignitatem recuperandam, & Hostem Patriâ ejiciendum adjuvat. In Transylvaniam quóque Exercitum mittit contra Rakoczium ejusdem Principem, qui pariter bello injusto eandem Poloniam invaserat.

1662. Turbatâ Tranſylvaniâ, ob frequentem mutationem Principum, idem Leopoldus I. Rex Hungariæ ad pacandam Provinciam, novum Exercitum Duce Montecuculio expedit, præcipuiſque Fortalitijs ejuſdem, præſidia militaria imponit.

1670. Conſpiratio in Cæſarem patefacta, & aliquantum ſopita & repreſſa. At rursùs 1673. reſuſcitata, & continuata compluribus annis, donec in Turcicum bellum eruperit.

1682. Ab Emerico Tőkőlyi Lutherano Turcarum copijs adjuto, Caſſovia 15. Auguſti, & 16. Auguſti Eperieſinum occupatur.

Ab eodem Fülekinum expugnatum, & dirutum.

1685. Caſſovia, à Cæſare reoccupatur, & Eperieſinum è Rebellium
670 manibus extorquetur.

1687. Nova Rebellio, à nonnullis perverſis, factionis Tőkőlianæ reſuſcitatur, ſed ſupplicio paucorum ex complicibus, ſedatur.

1688. Munkaczinum, quod adhuc unicum pro partibus Tőkőlyi hactenus ſtetit, deditione à Cæſareanis recipitur.

1697. Nova rursùs in Superiore Hungaria Rebellio, (ſed quâ ſtolidior hactenus nulla fuit) ex inſperato erumpit, quæ tamen ſtatim in ſui exordio utpotè malè excocta, & imprudentiſſimè inſtituta, eſt repreſſa.

CATALOGUS CXXII.

Comitum Croatiæ, qui poſt mortem S. Ladislai Hungariæ Regis, Regnum Croatiæ rurſus Coronæ Hungaricæ adjunxerunt.

Poſt mortem S. Ladislai Regis, qui Regna Croatiæ, Sclavoniæ, & Dalmatiæ, Coronæ Hungariæ incorporaverat. *Dalmatia*, & *Croatia*, ſe iterum ab eadem Corona intendebat ſeparare, & ſui juris eſſe. Unde Colomannus Rex Hungariæ, S. Ladislai Regis Succeſſor, coactus eſt, cum ſuo exercitu jus ſuum in ea Regna vendicare. Et quidem Dalmatiam armis ſibi ſubegit. Croatiam verò per ſuos Legatos ad Officium, & debitam ſibi ſubjectionem reduxit. Croatæ ſiquidem intellectâ benevolentia Regis inito conſilio, maluerunt ſpontè ſe clementiæ Regiæ ſubmittere, & ſub protectione ejuſdem manere; miſerunt proinde ad Regem XII. Nobiles, ex XII. præcipuis Tribubus, ſeu Familijs Croatiæ, qui Regnum Croatiæ, denuò Coronæ Hungariæ, nomine totius gentis in perpetuum incorporarent. Quorum ſequentia ſunt Nomina:

C. Guran, de genere Chacittorum.
C. Hugrinus, de genere Chucchacorũ.
C. Marmognia, de genere Subithorum.
C. Pribislavus, de genere Guddomirorum.
C. Georgius, de genere Cithorum.
C. Petrus, de genere Suacittorum.
C. Paulus, de genere Gusichorum.
C. Martinus, de genere Carinensium, & de genere Lapzanorum.
C. Pribislavus, de genere Politochorũ.
C. Hobraduus, de genere Lasnizitorum.
C. Joannes, de genere Jamomethorum.
C. Miroguus, de genere Tugomirorum.

CATALOGUS CXXIII.

Actualium Tabulæ Regiæ Personarum.

Proximæ Tabulæ Regiæ Posonij, sub Judicijs Brevibus Brevium, pro Dominica Invocavit, celebratis, in Anno 1698. interfuerunt:

In Septemviratu.

Celsissimus Princeps, Paulus Eszterházi de Galantha, Regni Hungariæ Palatinus.

Ex parte Cleri.

Reverendissimus Dominus Stephanus Dolni, Electus Episcopus Quinque Ecclesiensis.
Reverendissimus Dominus Andreas Illyés, Episcopus Transylvaniensis.
Reverendissimus D. Gregorius Gerznnerich substitutus, non existente alio Episcopo.

Ex parte Magnatum.

Comes Georgius Erdődi, Tavernicorum Regalium Magister.
Comes Christophorus Erdődi, Dapiferorum Regalium Magister.
Comes Nicolaus Pálffi Senior, Cubiculariorum Regalium Magister.
Comes Franciscus Battyani, Pincernarum Regalium Magister.

In Tabula Regia.

Magnificus Dominus Joannes Maholányi, Præsentiæ in Judicijs Locumtenens.
Reverendissimus Dominus Ladislaus Biber, Tabulæ Regiæ Prælatus.
Magnificus Dominus Valentinus Szente, Vice Palatinus.
Magnificus Dominus Petrus Zapari, Vice Judex Curiæ.
Magnificus Dominus Gabriël Balassa, Baro Tabulæ Regiæ.

Magni-

Magnificus Dominus Franciscus Klobusiczki, Baro Tabulæ Regiæ,
Generosus Dominus Paulus Orban, Prothonotarius Palatinalis.
Magnificus Dominus Stephanus Szirmai, Prothonotarius Judicis Curiæ Regiæ.
Generosus Dominus Stephanus Nagy, Præsentiæ Regiæ Prothonotarius,
Generosus Dominus Stephanus Barlok, Juratus Assessor Tabulæ Regiæ,
Generosus Dominus Andreas Scarbala, Juratus Assessor Tabulæ Regiæ,
Admodum Reverendus Dominus Andreas Vlasicz, Canonicus Posoniensis; Assessor Archi-Episcopalis.
Generosus Dominus Gabriël Palugyai, Assessor Archi-Episcopalis.
Generosus Dominus Joannes Horvath Simonchicz, Causarum Regalium Director.

CATALOGUS CXXIV.

Legatorum Regiorum, ad alios Reges, & Monarchas.

Astricus Episcopus Colocensis, ad Sylvestrum II. Pontificem, à Sancto Stephano Rege.
Stephanus, Episcopus Vaciensis, à Bela IV. ad Cœlestinum II. Romanum Pontificem, & Fridericum II. Imperatorem.
Nicolaus Konth Palatinus, & *Vitus* Episcopus Nitriensis, à Ludovico I. Rege, ad Clementem VI. Pontificem.
Matthæus Ragusinus, Dalmatiæ Præfectus, *Emericus Marcellinus*, & *Ladislaus Paloczius*, à Regno, ad Vladislaum I. in Regem electum.
Joannes Vitézius, Episcopus Varadinensis, *Thomas Zechel*, *Sebastianus Rosgonius*, *Ladislaus Canisaj*, *Pancratius*, *Petrus Zokoli*, & *Joannes* Episcopus Chanadiensis, à Regno, ad deducendum Matthiam I. ex Bohemia in Hungariam.
Idem *Joannes Vitézius*, Episcopus Varadinensis, à Matthia I. Rege, ad Ferdinandum Cæsarem.
Joannes, Episcopus Quinque Ecclesiensis, & *Joannes Rosgonius*, à Matthia I. Rege, ad Paulum II. Pontificem.
Thomas Dragffi, à Matthia I. Rege, ad eundem Summum Pontificem.
Nicolaus Banffi, & *Georgius* Archi-Episcopus Colocensis, ad Ferdinandum Neapolis Regem.
Nicolaus Cuopor, à Matthia I. Rege, ad Bohemiæ Regnum sibi expetendum.
Stephanus Crispus, à Matthia I. Rege, ad Casimirum Poloniæ Regem.

Joannes VIII. Episcopus Varadinensis, & dein Olomucensis, à Matthia I. Rege, ad Carolum VIII. Galliæ Regem, cum trecentis Equitibus selectis, ex præcipua Nobilitate.

Osvaldus, Zagrabiensis Episcopus, à Matthia I. Rege, ad Casimirum Poloniæ Regem.

Dominicus, Præpositus Albensis, ab eodem Rege, ad eundem Regem.

Prænominatus *Joannes*, Episcopus Varadinensis, ab eodem Rege, ad Fridericum Cæsarem, & Maximilianum ejus Filium, vicibus iteratis.

Thomas, Cardinalis, Archi-Episcopus Strigoniensis, ab Vladislao II. ad Julium Pontificem.

Stephanus, Sirmiensis Episcopus, ab Vladislao II. Rege, ad Albertum Fratrem Poloniæ Regem.

Georgius, Chanadiensis Episcopus, ab Vladislao II. ad Maximilianum Romanorum Regem.

Dominicus, Albensis Antistes, ab Vladislao II. Rege, ad Casimirum Poloniæ Regem, & Albertum ejusdem Filium.

Martinus Czobor, ab Vladislao II. Rege, ad Bajazetem Turcarum Imperatorem.

Petrus More, ab Vladislao II. Rege, ad Turcarum Imperatorem.

Antonius, Episcopus Nitriensis, ab Vladislao II. ad Alexandrum VI. Pontificem.

Georgius Szakmarius, Episcopus Quinque-Ecclesiensis, ab Vladislao II. ad Maximilianum Cæsarem.

Barnabas Belai, ab Vladislao II. Rege, ad Leonem X. Pontificem.

Thomas Nadasdius, à Ludovico II. Rege, ad Ferdinandum I. Romanorum Regem, & Imperij Principes.

Thomas Camarianus, ab Inter-Regno, post mortem Ludovici II. ad Clementem Pontificem.

Antonius Verantius, Episcopus Quinque Ecclesiensis, & *Franciscus Zai*, à Ferdinando I. Rege, ad Solimannum Turcarum Imperatorem.

Franciscus Frangepanus, Archi-Episcopus Colocensis, à Joanne Inter-Rege, ad Carolum V. Imperatorem.

Joannes Essechius, Episcopus Quinque Ecclesiensis, à Vidua Joannis Inter-Regis, ad Solimannum Turcarum Imperatorem.

Nicolaus Palatinus, *& Stephanus Bebecus*, à Ferdinando I. Rege, ad Carolum V. Cæsarem.

Martinus Quessetius, Episcopus Vesprimiensis, *Georgius Rakoczius*, & *Martinus Berilaus*, à Regno ad Principes Imperij, Spiræ Comitia celebrantes.

Geor-

Georgius Draskoviczius, Episcopus Jaurinensis, *Joannes Kolosvarius*, Chanadiensis, & *Andreas Duitius*, Episcopus Tinniensis, à Regno, & Ferdinando I. Rege, ad Concilium Tridentinum.

Georgius Hoszutoti, à Maximiliano Cæsare, ad Solimannum Turcarum Imperatorem.

Andreas Duitius, ut Episcopus Quinque-Ecclesiensis, à Maximiliano Rege, ad Sigismundum Poloniæ Regem.

Petrus Pazmannus, Cardinalis, Archi-Episcopus Strigoniensis, à Ferdinando II. ad Urbanum VII. Summum Pontificem.

Georgius Szelepchenyi, Episcopus Wesprimiensis, vicibus iteratis, ad Turcarum Imperatorem.

CATALOGUS CXXV.

Locorum, Tricesimarum, sub Corona Hungariæ.

1. Buda. 2. Alba Regalis. 3. Pathay. 4. Arva. 5. Threnchinium. 6. Szakolcza. 7. Leva. 8. Belusia. 9. Besztercze. 10. Solna. 11. Ujhelyinum. 12. Tyrnavia. 13. Verbovium. 14. Posonium. 15. Oroszvár. 16. Jagendorff. 17. Nevsidel. 18. Zarand. 19. Malaczka. 20. Schuczen. 21. Gayar. 22. Stomffa. 23. Szeniczium. 24. Sopronium. 25. Rusth. 26. Fraissendorff. 27. Szent Márton. 28. Cassovia. 29. Leutschovia. 30. Bártffa. 31. Kesmark. 32. Lublyo. 33. Sztropko. 34. Homonna. 35. Zagrabia. 36. Nedelcze. 37. Varasdinum. 38. Muraszombath. 39. Szombathely. 40. Pinkafeld. 41. Radafalva. 42. Hidegh kúth. 43. Rácz-Kanisa. 44. Vinicze. 45. Krapina. 46. Stubicza. 47. Stanisniak. 48. Topozka. 49. Kosthanicza. 50. Nandor-Alba. 51. Kupel. 52. Sabacz. 53. Archy. 54. Barich. 55. Szent Demeter. 56. Racha. 57. Pothos. 58. Ap jocz. 59. Ujvár. 60. Temesvár. 61. Karan-Sebes.

CATALOGUS CXXVI.

Notarum Infidelitatis, in Hungaria.

Notæ Infidelitatis, sunt crimina seu casus, propter quorum commissionem quis, capitis, & omnium bonorum amissionis, reus efficitur.

1. Crimen læsæ Majestatis.
2. Confectio falsarum Literarum, & Usus.
3. Confectio falsi Sigilli, & Usus.
4. Cusio falsarum Monetarum, vel scienter Usus illarum.

5. Occiſio, vel vulneratio Fratrum, & Conſangvineorum, intra quartum gradum.
6. Paricidium, Uxoricidium, Matricidium.
7. Stuprum conſanguinearum Perſonarum, vel violatio Novercarum.
8. Crimen Inceſtûs.
9. Crimen Incendiarij publici.
10. Inductio Exterorum, ad diſturbandum Regnum.
11. Violatio Literarum, falſi conductûs, ſive fidei publicæ.
12. Traditio Caſtrorum, ſeu Caſtellorum, & Fortalitiorum hoſtibus facta.
13. Eorundem amiſſio, Erectio, Expugnatio, & Interceptio.
14. Verberatio, & Incaptivatio Judicum ordinariorum, & vices gerentium eorundem.
15. Occiſio Litigantium, & Cauſantium, ad Diœtam proficiſcentium.
16. Occiſio, vulneratio, vel verberatio hominum Religioſorum, Palatinalium, Capitularium, Conventualium, in Executione.
17. Hæreſis.
18. Adminiſtratio armorum, & victualium Turcis, & Infidelibus.
19. Turbatio, detentio, vel ſpoliatio, Transfugientium à Turcis.
20. Occiſio Vice-Comitum, Judicum Nobilium, & Juratorum Aſſeſſorum Comitatûs, in Executione.
21. Intertentio Haydonum Liberorum.
22. Occupatio Bonorum, contra conſvetudinem, vel verò non reſignatio eorundem poſt admonitionem.
23. Spoliatio, & Rapina, aliorúmque malorum, patratio Inter-Regni tempore.
24. Renuentia Nobilium inſurgendi, in Generali Expeditione penes Regem.
25. Occiſio, verberatio, moleſtatio, à Sede Judiciaria domum revertentium.
26. Defenſio Arcium contra Regem.
27. Matrimonium inter Conſanguineos ſcienter contractum.
28. Nobiles infringentes oſtia Eccleſiarum.

CATALOGUS CXXVII.

Expugnationum, & Receptionum, Civitatum ac Fortalitiorum, in Hungaria,

Alba Regalis expugnata, Anno 1543. recepta 1688.
Agria expugnata, 1596. recepta 1687.

Buda

Buda expugnata 1547. recepta 1686.
Belgradum expugnatum 1519. receptum 1688. amissum 1690.
Banyaluka in Bosnia, expugnata 1511.
Canisa expugnata 1600. recepta 1690.
Chanadinum expugnatum 1598. receptum 1687.
Caposvarinum expugnatum 1555. receptum 1686.
Eszekinum expugnatum 1527. receptum 1687.
Gyula expugnata 1566. recepta 1695.
Jajcza in Bosnia expugnata 1526.
Illokum in Sclavonia expugnatum 1541. receptum 1688.
Jaurinum expugnatum 1594. receptum 1698.
Fanum S. Jobi expugnatum 1661. receptum 1686.
Jenő expugnatum 1566. receptum 1693.
Lippa expugnata 1596. recepta 1691.
Palota expugnata 1543. recepta 1689.
Posega expugnata 1543. recepta 1691.
Pesthum expugnatum 1541. receptum 1686.
Strigonium expugnatum 1604. receptum 1683.
Siklosium expugnatum 1543. receptum 1686.
Szegedinum expugnatum 1558. receptum 1686.
Simony-Torna expugnata 1554. recepta 1686.
Szigethum expugnatum 1566. recepsum 1688.
Szolnokinum expugnatum 1552. receptum 1685.
Valpo expugnatum 1543. receptum 1686.
Vacia expugnata 1597. recepta 1684.
Ujvarinum expugnatum 1663. receptum 1685.
Varadinum expugnatum 1660. receptum 1692.
Veroviticza expugnata 1553. recepta 1684.
Vissegradum expugnatum 1544. receptum 1684.
Temesvarinum expugnatum 1552.
Bichashium in Croatia expugnatum 1592. frustra obsessum 1697.

CATALOGUS CXXVIII.

Fortalitiorum, & Castellorum, per Arma, Augustissimi Imperatoris Leopoldi I. hoc postremo bello Turcico ereptorum, & recuperatorum.

Infra Danubium, & Dravum.

1. Buda.
2. Strigonium.
3. Vissegrad.
4. Vôrôsvár.
5. Dombo.
6. Erd.
7. Vál.
8. Sambék.
9. Kaposvarinum.
10. Simon-Tornya.
11. Kopany.
12. Adony.

13. Csikvár.
14. Mohácz.
15. Berzencze.
16. Babolcha.
17. Quinque Ecclesiæ.
18. Siklos.
19. Szekszard.
20. Baranya.
21. Uj palánk.
22. Bátorszek.
23. Csóka-kő.
24. Szegesd.
25. Fok.
26. Igál.
27. Sósd.
28. Lak.
29. Pincze-hely.
30. Nádasd.
31. Főldvár.
32. Paks.
33. Pentele.
34. Dárda.
35. Endréd.
36. Tólna.
37. Hedvig.
38. Ozora.
39. Tamásy.
40. Canisa.
41. Szigethum.
42. Valpo.
43. Korotnha.
44. Pelisia.
45. Palota.
46. Alba Regalis.

Intra Danubium, & Tybiscum.

1. Pesthum.
2. Ujvarinum.
3. Vacia.
4. Surány.
5. Párkány.
6. Neogradinum.
7. Szétsén.
8. Buják.
9. Hollokő.
10. Hatvan.
11. Heves.
12. Calocia.
13. Zombor.
14. Mártonyos.
15. Szintha.
16. Futhok.
17. Kobolye.
18. Bacska.
19. Szolnokinum.
20. Szarvas.
21. Szent Miklos.
22. Mőzo Szeged.
23. Janko.
24. Báth-Monostor.
25. Szegedinum.
26. Agria.
27. Titul.
28. Bodrok.
29. Erdőd.

Trans Tybiscum.

1. Csongradinum.
2. Gyula.
3. Gyarmath.
4. Csanadinum.
5. Varadinum.
6. Szent Job.
7. Somlyo.
8. Fekete Bátor.
9. Lyugas.
10. Karansebes.
11. Világosvár.
12. Jenő.
13. Arad.
14. Lippa.
15. Főlak.
16. Czona.
17. Zarkad.
18. Beczkerék.
19. Besenyő.
20. Térd, ubi Tybiscus in Danubium influit.

Inter Savum, & Dravum.

1. Valpo.
2. Eszekinum.
3. Ilok.
4. Posega.
5. Sirmium.
6. Veroviticza.
7. Novigrad.
8. Gradiska.
9. Kelpen.
10. Ujvár.
11. Archi.
12. Valkovár.
13. Maroth.
14. Dombo.
15. Szent Demeter.
16. Saladank.
17. Babocza.
18. Kovacz.
19. Bánmonostor.
20. Szalan kemén.
21. Zemplin.

CATALOGUS CXXIX.

Locorum, per quæ Poſta, Poſonio uſque Cibinium in Tranſylvaniam pergit.

1. Poſonium.
2. Cſekléſz.
3. Sárfő.
4. Gerencſir.
5. Galgóczium.
6. Ripon.
7. Tapolcsán.
8. Sambokreth.
9. Veſztenicz.
10. Bajmoczium.
11. Rudno.
12. Szambokréth.
13. Noltſova.
14. Roſenberga.
15. Bertelenfalva.
16. Okolicſna.
17. Vihodna.
18. Lucſivna.
19. Svaboſcz.
20. Leutſchovia.
21. Korotnok.
22. Berthoth.
23. Eperjeſinum.
24. Licsérd.
25. Caſſovia.
26. Szinna.
27. Vilmány.
28. Tállya.
29. Tokainum, una & media Poſta.
30. Ibrány, una & media Poſta.
31. Kálo.
32. Gyula.
33. Dobos.
34. Matoles.
35. Cſegőd.
36. Szathmarinum.
37. Medgyes.
38. Iloba.
39. Nagy-Bánya.
40. Remete, ſemi-altera Poſta.
41. Sóóſmez, ſemi-altera Poſta.
42. Deés.
43. Iklod.
44. Claudiopolis.
45. Torda.
46. Kocſárd.
47. Panád.
48. Tsanád.
49. Cibinium.

Atque hîc in Pôſta ultima, curſum calami ſiſto, reſiduos Catalogos Rerum Memorabilium Hungariæ, daturus ſequenti Diſſertatione, unà cum animadverſionibus & adnotationibus, ſupra Catalogos præcedentes.

CATALOGUS ULTIMUS,

SEU

Index Catalogorum primæ hujus Diſſertationis Paralipomenonicæ, Rerum Memorabilium Hungariæ.

XLIX.

FINIS.



Errata Typographica humaniſſime Lector, ſic corrige.

Pagina.	Linea.	Errata.	Correcta.
1. & ſequentibus aliquot,	2. & in Titulis.	*Paralipomenica*,	Paralipomenonica.
Ibidem.	15.	*Miſcellanearum*	Miſcellaneorum.
3.	30.	1564.	1676.
Ibidem.	31.	1452.	1532.
5.	26.	*Proſegenſem.*	Poſegenſem.
21.	15.	*oppagnatione.*	oppugnatione.
24.	12.	*Rikao*	Rikno.
26.	12.	*lequibus*	è quibus eſt.
28.	4.	*AbragBanya*	Abrukbánya.
31.	21.	*Comtiatus*	Comitatus.
35.	2.	*alto*	alio.
Ibidem.	33.	*miſcellanearum.*	miſcellaneorum.
40.	8.	*Pius XI.*	Pius II.
45.	16.	*iinfluit*	influit.
47.	25.	*Smecianka.*	Szmreczianka.
57.	2.	*Papa*	Peyſo.
Ibidem.	*Ultima.*	*Hiulca, palus,*	Hiulca palus.
59.	29.	*Agenſem*	Argenſem.
61.	28.	*Vegilienſis*	*adde* Auſarenſis.
62.	4.	*Merianenſis*	Mercanenſis.
Ibidem.	5.	*Lactarenſis*	Catharenſis.
67.	23.	*Archivijs*	Archivis.
69.	13.	*tam*	jam.
92.	30.	*Almiſſam*	Alminium.
95.	*lin. penult.*	135.	1351.
96.	27. 28.	Duæ hæ lineæ omittendæ erant.	
97.	22. 23. 24.	Omitendæ erant hæ tres lineæ, & ſeries numerorum ordine naturali mutanda.	
125.	30.	*aplicatas*	applicatus.
153.	22.	*Ruffina*	Ruffinus.
171.	26.	*Banus.*	Bani.
174.	13.	*Anno* 1612.	1608.
176.	24.	*contrahebantur.*	non contrahebantur.

Pagina.	Linea.	Errata.	Correcta.
189.	17.	1671.	1571.
196.	6.	*Ungatia*	Hungaria.
Ibidem.	25.	*initiuu*	initium.
226.	16.	*Pstrosith*	Ostrosith.
333.	18.	*numetiam*	etiamnum.
200.	29.	*Clericorom*	Clericorum.
205.	24.	*possiderunt*	possederunt.
238.	8.	*Tutcæ*	Turcæ.
Ibidem.	18.	*Sidismundo*	Sigismundo.
242.	28.	*Piceum*	Picenum.
246.	*penultima*	*Zapari*	Czapari.





DISSERTATIO II.
PARALIPOMENONICA,
Memorabilium Rerum in Hungaria.

CATALOGUS I.
Summorum Pontificum, ex Provincijs Coronæ Hungariæ subjectis.

I.

S. CAjus patriâ Salonensis ex Dalmatia, creatus Pontifex Anno Christi 284. die 17. Decembris, Martyrio affectus Anno 296. die 22. Aprilis. Pontificatum gessit annis 11. mensibus 4. diebus 5.

2. Joannes IV. natione Dalmata, electus Anno Christi 639. Die 31. Decembris, obijt Anno 641. Die 12. Octobris. Pontificatum gessit anno 1. mensibus 9. diebus 6. Fuit is liberalitate in redimendis captivis celeberrimus.

CATALOGUS II.
Imperatorum.

1. *Decius Trajanus*, electus in Imperatorem Anno Christi 249. Erat is ex *Pannonia* Savia, Bubali, seu Cibali Civitate, (quam quidam illam existimant, quæ nunc *Valpo* nuncupatur) oriundus. Fuit vir fortis, ac bello clarus, dignissimúsque Imperio, nisì in Christianos tam acerbè sævîsset. Imperavit annis 2. & mensibus 6. Qui in prælio contra Gothos Mœsiam vastantes, infeliciter pugnans, demum fugere cupiens, in profundam paludem seu voraginem mersus, nusquam ampliùs comparuit Anno Christi 25.

2. *Etruscus Messius Decius*, Filius ejusdem, quem Parens statim initio sui Imperij Cæsarem dixerat. In eodem prælio, telis Barbarorum confixus.

3. *Marcus Aurelius Claudius*, origine Dalmata, electus à toto exercitu in Imperatorem, universo Senatu Romano electionem illius approbante Anno Christi 268. tanquam dignissimum hoc munere judicante; Vir enim erat omnibus bonis animi & corporis exornatus. Obijt Peste Anno 220. postquam Gotthos insigni prælio devicisset, & imperium duobus non planè annis tenuisset.

4. *Marcus Aurelius Claudius Quintillius*, Dalmata, defuncti Marci Aurelij Claudij Frater. Imperio dignus, esto *Claudij* Frater non fuisset, sed cùm militarem disciplinam severiùs urget, cæsus est à suis 17. Imperij sui Die.

5. *L. Domitius Valerius Aurelianus*, Pannonius Sirmio oriundus, obscuro quidem genere, sed rebus gestis clarissimus, utpotè in prælijs semper victor, communi suffragio electus est in Imperatorem eodem Anno 270. qui cùm imperâsset annis ferè quinque, populo charus, Senatui tamen metuendus, fraude suorum interfectus est Anno 275.

S*Anctus Stephanus Rex ponitur natus Anno Christi* 969. Loco cujus ponendus est Annus 985. nam licèt circa Tempus Nativitatis S. Stephani Regis, Chronologi inter se non conveniant (Baronius siquidem, Spondanus, Brietius, & Balbinus ejus nativitatem ponunt ad Annum 989. & aliqui adhuc tardiùs natum tradunt. Henchenius verò Tom. 3. ad 23. Aprilis, Folio 174. baptizatum putat circà Annum 494.) Rectius tamen illi sentiunt, qui Nativitatem illius ponunt ad Annum 985. Uti ponit *Inchoffer* & post eum *Schönleben*, & nos posuimus in ejusdem Libri, Catalogo duodecimo, & olim in Epitome Chronologica Hungariæ. Fol. 286.

Salamon Rex ponitur mortuus 1077. Et ità habet etiam vetus Chronicon Hungariæ, & P. Gabriel Hevennesi in Indicijs Sanctitatis Hungariæ. Quia tamen Brunerus è Bertholdo Constantiensi propè Synchrono scribit adhuc eum vixisse 1087. & nos in Citata Epitome ponimus illum primò 1086. Regnum deseruisse (licèt Ricciolus notet eum Anno 1075. monachum induisse) & Thuroczius, ac Bonfinius scribant visum illum semel fuisse, in Hungaria, sub Colomano Rege (quamvis hæc narratio non apud omnes fidem mereatur, & ipsi hi Authores id solùm ut rem auditam referunt) conformiùs tamen veritati Chronologicæ illi sentiunt, qui mortem illius magis protendunt: Imò si dicta narratio Bonfinij & Thuroczij, est vera, ponenda erit mors illius saltem ad Annum 1095. qúo scilicèt Anno Colomanus regnare cœpit.

Andreas II. Rex scribitur obijsse Anno 1235. & ita habet Vetus Chronica Hungariæ. Et Epitome nostra Chronologica Hungariæ, ità & *Bonfinius*. Paduanus tamen monachus coævus, uti & Author Chronici Australis Joa. B. Pigna in historia Estensium, Par. 1. Libro 3. tardius eum obijsse asserunt & mortem illius ad an. 1236. prolongant alij vero planè ad annum 1238 Quem in finem proferunt Matrimoniales litteras 14. Maji 1235. ab eodem Rege datas, & subscriptas. Atque hoc ipso Anno eum cum Beatrice Filia Ducis Estensis nuptias celebrâsse narrant. Inde tamen non eruitur mortem illius differendam ad annum 1238. nam licèt illas Matrimoniales litteras dederit 14. Maji 1235. tamen illâ ipsâ quoque die, eandem in Uxorem duxit, ut scribit Bonfinius, unde accidere potuit, ut circà finem ejusdem

etiam anni obierit, & ita re ipsa accidere deducitur ex illis Bonfinij verbis. *Beatrix verò Andreâ vitâ defuncto accitis Pontificibus, & magnâ Procerum manu secundum Regis Exequias, se gravidam veris indicijs ostendit, & paucis post diebus, ad Patrem redijt, & paulò post elegantem Puerum edidit, eidémque Stephani nomen imposuit. Sed hæc est nostra conjectura, quà antiquissimorum illorum Scriptorum, authoritati nolumus præjudicare.*

Bela IV. notatur defunctus 1275. Licèt Stero, Longinus, Siffredus & alij ponant, eum mortuum fuisse Anno 1270. Sed ad Annum 1275. mortem illius ponit Vetus Chronicon Hungariæ, uti & Ricciolus, neq; obstant Litteræ illæ pacificatoriæ cum Rege Bohemiæ, à Stephane Belæ IV. Filio Anno 1271. subscriptæ in quibus citati Authores se fundant, ex quibus inferunt jam Anno 1271. Stephanum regnâsse; adeoque Belam IV. Anno 1270. mortuum fuisse. Nam Bela confecto Bello Bohemico, quod simul cum Filio Stephano contra Ottocarum gessit, reliquum tempus Regiminis sui, pacificè exegit. Erat siquidem vir pacificus, & ingenitâ probitate præditus. Unde verosimile est, quod adhuc vivens, filium Stephanum ad partem Regiminis, & curarum Regni absumpserit, eidemque illarum litterarum pacificatoriarum subscriptionem commiserit. Quod indè confirmari potest, quód hic Stephanus vivente adhuc Patre, jam ab Anno 1270. se minorem Regem Hungariæ, & Ducem Transylvaniæ scriberet. Hinc quando in eodem Catalogo ponitur Stephanum V. Anno 1276. regnare cœperit, ad intelligendum est, quòd solùs & pleno jure regnare cœperit. Majorem considerationem videntur facere litteræ Ladislai IV. qui fuit filius & Successor Stephani V. Nonâ Calendas Julij Anno 1279. datæ, quæ ponunt Regni ejusdem Annum Septimum & habentur apud Odardum, Reynaldum, ad Annum 1279. Numero 33. ubi etiam Numero 19. exhibentur aliæ litteræ Gregorij X. ad Regem Bohemiæ Anno 1272. quibus Bohemo, pacis cum Ladislao Rege Hungariæ observantia commendatur his accedit Dubravius citatus à Ricciolo, qui ait Stephano V. Regi Hungariæ successisse Ladislaum Filium 1272. ipse tamen Ricciolus hanc ejusdem Successionem ponit ad Annum 1277. quæ Litteræ si forent Authenticæ turbarent notabiliter Chronologiam Hungariæ, & totam ejusdem Seriem, quod ut evitetur, manebimus penes vetus Chronicon Hungariæ, cum quo consentiunt & alij Chronologi, ut Ricciolus, Abrahamus Bakſajus, Thuroczius, & Jangalinus, præterquam

quam quòd ſecundùm allegatum computum, vix aliquid temporis remaneret pro Regimine Stephani V. nam ſi Bela IV. obijſſet 1270. & Ladislaus IV. Filius Stephani regnare cœpiſſet 1271. vix unus Annus ſnpereſſet pro Stephani Regimine, cùm tamen minimùm duobus & juxta aliquos ferè tribus Annis regnaverit. Et ſanè notabile aliquod tempus eidem tribui debet, conſtat ſiquidem eum plura geſſiſſe Bella. De eò enim ſic ſcribit Regum Hungariæ Chronologia. *Hic ſuperato Rege Otthocaro Bohemos domuit : Bulgarorum Regem, cum universa Miſſia ſtipendiarum ſibi fecit.* Quæ ſanè Bella unius Anni ſpatio conficere non potuit. Verùm nec in hoc puncto volo præjudicare authoritati prædictorum authorũ, maxime cum aliunde etiam conſtet annales Hungariæ non adeò fuiſſe accuratos, in temporum annotatione, ut ipſemet ſatetur Bonfinius.

Ludovicus II. Coronatus 1505. Legendum *natus* 1505. vel ut alij ponunt 1506. Coronatus 1508. obijt 1526.

Ibidem Joannes Zapollya obijt 1553. Legendum 1540. die 21. Juli ætatis 53.

Maximilianus Rex obijt 1564. Legendum Regnare cœpit 1564. obijt 1576.

Ibidem Rudolphus natus 1542. Legendum 1552.

Ibidem Rudolphus Coronam Hungariæ Matthiæ Fratri reſignavit 1608. Addendum Matthias II. Rex Hungariæ, 41. natus Viennæ 1557. die 21. Februarij, Coronatus 19. Novembris 1608. mortuus 20. Martij 1619. Undè conſequenter Ferdinandus II. ponendus eſt Rex Hungariæ 42. Ferdinandus III. 43. Ferdinandus IV. Rex 44. Leopoldus 45 & Joſephus Rex 46.

§ II.

Annotationes in Catalogum ſecundum, uſque ad Catalogum 11. incluſivè.

IN Catalogo 4. notatur Fol. 39. *Valachorum nomen ante Annum* 1300. *nec apud Latinos, nec apud Græcos, Scriptores extitiſſe.* Teſtatur id ipſum, Joannes Lucius, in Hiſtoria de Regno Dalmatiæ, & Croatiæ, quod verùm eſt, intelligendo per Scriptores, Authores Hiſtoricos. Extant namque Litteræ Originales Caroli Regis Hungariæ An-

ni 1332. quibus ad Verbum repetit Litteras Belæ IV. Regis 1256. datas in quibus expresſè etiam Olachorum ſeu Valachorum fit mentio.

In eodem Catalogo aliquorum Oppidorum nomina unius Comitatûs ſubindè ponuntur in vicino aliquo & contermino Comitatu, quæ mutatio facile colligi & corrigi poterit ab ijs, qui ſingulorum Comitatuum, terminos, metas, limites, perſpectos habent.

In Catalogo V. Ubi enumerantur præcipuæ Tranſylvaniæ Urbes, aliquæ Civitates ſunt prætermiſſæ. Verùm hac in parte ſecuti ſumus, quo ad ſeriem, & numerum Civitatum Tranſylvanarum novam Geographiam Michaëlis Antonij Baudrandt & Chronologiam Tranſylvaniæ, Georgij à Reyeherdorffer, reliqua verò loca celebriora Tranſylvaniæ enumeravimus in Catalogo 4. 6. & 8. ejusdem Diſſertationis.

In Catalogo VII. inter thermas & aquas ſalubres Hungariæ apponendæ ſunt etiam Kikeienſes in Comitatu Albavivarenſi.

In Catalogo VIII. ponitur S. Stephanus è ſacro fonte levatùs Anno Chriſti 969. ita quidem cenſent nonnulli apud Inchoffer in Analibus Eccleſiaſticis Hungariæ, Fol. 226. qui eodem quoque Anno natum eundem ſcribunt, & hi ſunt qui S. Stephanum à S. Adalberto ſacro fonte ablutum eſſe contendunt.

Verùm ut Inchoffer oſtendit, S. Adalbertus Anno 969. nec quidem ſacris inititatus fuit, & ex ſuprà allato computu, habetur S. Stephanum natum fuiſſe 985. Quis porrò Sanctum Stephanum ſacro luſtraverit fonte, ambiguum eſt, & certè ſi is fuiſſet S. Adalbertus, utiq; Martyrologium Romanum tàm Illuſtre commendationis Genus non prætermiſſet, quod & Sylveſtrum Papam de Conſtantino Imperatore, & S. Remigium de Rege Clodoveo, & S. Ambroſium de Auguſtino, ſacro fonte initiatis, tanquàm ſingulari notâ condecoravit, ut benè obſervavit citatus Inchoffer.

Ibidem Agria dicitur à Divo Stephano Rege ædificijs exculta & Alba Regalis condita in fine ſæculi decimi. Quod videtur aliquibus ad initium ſæculi undecimi referendum, eò quod ad finem Decimi Sæculi S. Stephanus Admodum Juvenis adhuc fuerit, utpotè decimum quintum tunc tantum agens Annum, & regnare cœperit 997. poſt mortem Parentis ſui Geyſæ, ſtatimque primis Regni ſui Annis, Bello biennali cum Cupa Simegienſi Duce involutus fuerit, quod tempus

fuit

fuit oportuniùs de ſui Regni conſervatione, quàm de Urbium ædificatione, parùm tamen intereſt, ſivè id ad finem Decimi, ad initium Undecim, Sæculi contigerit & præſtabit adhuc tenere hæc quidem opera in fine Decimi Sæculi fuiſſe inchoata poſtmodum verô ab eodem continuata, quandoquidem S Stephanus tantæ Capacitatis erat, ut vivente adhuc Parente Geysâ Duce, conſilijs adhiberetur, & Parens tantam de Filio exiſtimationem habuerit, ut ſubindè per illum jus dici vellet, Oratores audiri, Reſponſa reddi, uno verbo Paternum obire munus, ut idem Inchoffer ſcribit.

Ibidem fol. 50. Sæculo Undecimo, ſeu intra milleſimum, centeſimum, & ducenteſimum Annum, ponitur *Varasdinum ab Andrea II. & Bela IV. Filio ejusdem conditum eſſe*, circa quod Iſtvanffius lib. 9. ſic habet. Varasdinum ab Andrea II. & Bela IV. Filio illius, conditum & libertate donatum eſt, eò quod loci ejus Cives & incolæ, hunc quidem dum à Tartaris pulſus in Dalmatia exularet, omnibus fidei obſequijs excoluiſſent, illum verò dum Captivus detineretur fovere, & in liberalitatem aſſerere non deſtitiſſent, cum verò ex ſupra allatis conſtet, Andream II. Coronatum fuiſſe anno 1201. Belam autem 1236. clarum quoque eſt quòd conditæ Urbis memoria ad Sæculum Decimum tertium hoc eſt poſt annum 1200. retrahenda ſit.

Ibidem fol. 51. primâ parte Sæculi Decimi quarti, Vicegradum, & Tata à Matthia I. Rege exculta ponuntur, quod pariter ad ſecundum Sæculi illius partem, ſicut & erectio Lippæ ad ſubſequens Sæculum retrahi debet.

§. III.

Annotationes in Catalogos ab 11. *usque ad vigeſimum incluſivè*

IN Catalogo 11. Fol. 62. poſt notatum 20. addendum? Nota 21. longè adhuc ante Erectionem modernorum Epiſcopatuum fuiſſe in Pannonia aliquos Epiſcopatus (Eſto enim plena converſio Hungarorum fuerit, ſub S. Stephano Primo Rege Hungariæ Chriſtiano tamen antiquiſſimis etiam Temporibus fuêre Epiſcopi in Pannonia, qui Dominico Gregi, licèt exiguo invigilarunt quanquàm gliſcentibus perſecutionibus, Sedes eorum Epiſcopales, ità proſtratæ poſtea fuerint, ut aut nullos aut certè nobis ignotos numeraverint Succeſſores) hujus modi autem erant *Sirmienſis*, primis temporibus Metropolitanus, poſt Erectionem verò Epiſcopatuum Colocenſi Archi-Epiſcopatui

patui subjectus. 2. *Mursiensis*, (Esség) cujus Episcopus *Valens* in Historia Tripartita celebratur, sed qui postmodùm adhæsit Ario. 3. *Singudiensis* (Hungarus Vég-Szendero) cui præfuit Ursacius, similiter postea & ipse Arij Erroribus intricatus, quorum hi postremi etiam consilio Sardicensi intersuerunt Anno Christi 347. 4. *Cibalensis* (Hungaris Valpo) quem Decio Imperatore rexit *Donatus*. 5. *Carpensis*, cui *Secundus* Episcopus præerat. 6. *Curtensis*, cui moderatus est, *Crescens* (Curta autem Appiano est Buda, Vetus utique non Nova) 7. *Sabariensis*. 8. *Scarabantiensis* (Scarabantia autem hodie Ungaris est Cheprek.) 9 *Scisianus*, qui posteà Zagrabiam translatus, à loco *Zagrabiensis* nunc dicitur. 10. *Nitriensis*, qui postmodum in fundationem erectus Archiepiscopatui Strigoniensi subjectus est, cui Wichondus sub Joanne VIII. qui Anno 872. Pontificatum inierat, præfuit. 11. Episcopatus *Daciæ*, quem adhuc antè Annum Christi 400. *Niceta* Vir Sanctissimus rexit; qui Episcopatus dein Argensis dictus ut, ac demum post Erectionem Episcopatuum, Transylvaniensis: post Erectionem verò Episcopatuum, fuit insuper etiam *Scepusiensis*. De quo Cardinalis Pazmánus in Appendice ad Synodum Tyrnaviensem sic ait: nam *Episcopum ille fuisse Veteras Scripturæ* produnt. At Thuroczius scribit tempore Venceslai Regis Episcopum Scepusiensium fuisse Jacobum nomine, ubi tamen addit hunc Episcopalem Titulum fuisse eidem datum, tantum ad finem vitæ.

Ibidem Episcopus Switnicensis ponitur esse suffraganeus Episcopi Colocensis, qui quidem Episcopatus non est inter 12. Episcopatus fundatos à S. Stephano Rege, habetur tamen in Catalogo ad calcem corporis Juris Hungarici appositus ac consequenter & in Archivo Cancellariæ Hungaricæ. Præest autem Valachis unitis in Croatia, vocaturque etiam Platiensis.

Facit quoque Thuroczius Fol. 69. mentionem Episcopi Zaduriensis in Dalmatia, sed hic idem est cum Jadrensi, Zadera siquidem, Slavis est Jadra Italis vero Zara.

Fuit etiam olim in Hungaria Episcopatus *Cumanorum*, ad quem reperiuntur in Registro Romano complures Litteræ Honorij III. & Gregorij IX. Tractantes tàm de conversione Gentis illius, quàm de conversione Transylvaniæ, sed & Bonfinius scribit *Bochetor* Tartarorum Ducem trajecto Zereche amne, ad Cumanorum Episcopi Regionem pervenisse, eamq; suso fugatoque colono, occupâsse &

incen-

incendiſſe, aſt poſt hanc Tartarorum irruptionem, nulla hujus Epiſcopatûs amplius fit mentio.

Præterea & M. Rogerius Libellum ſuum, de deſtructione Hungariæ per Tartaros, obtulit Joanni Epiſcopo Peſthinienſi. Verum ſub hoc Titulo, nullum puto fuiſſe Epiſcopatum, fortaſſis is fuit Joannes Epiſcopus Weſprimienſis, ſed à Reſidentia Peſthini habita dictus Peſthienſis, ſicut nunc nuncupatur ſubinde Sômôgienſis.

In Catalogo 12. Num. 1. habetur. *Quo Titulo autem dicatur S. Adalbertus fuiſſe Archiepiſcopus Strigonienſis, vide paulo ſuprà.* Citatus hic locus, fuit, per incuriam Typographi prætermiſſus, & ſic ſe habebat. Cùm S. Adalberti adventus in Hungariam contigerit Anno 989. atque is Anno ſequenti 990. ex Hungaria redierit Romam, indé verò remiſſus fuerit à Gregorio V. Pontifice Anno 996. in Bohemiam, ſed ab ingreſſu Bohemiæ, prohibitus, iverit per Poloniam in Pruſſiam, Anno 997. atque ibidem eo Anno Martyrio affectus fuerit; manifeſtum eſt Anno 989. ad quem ponitur in veteri Catalogo Archi-Epiſcoporum Strigonienſium ad calcem Jurium Hungariæ; eum non fuiſſe Archi-Epiſcopum Strigonienſem, ſed neque poſtea, ſiquidem Martyrium illius contigit ante erectionem & Fundationem Archi-Epiſcopatûs Strigonienſis, qui fundatus eſt in S. Stephano anno Chriſti 1000. Ponitur igitur primus in Catalogo Archi-Epiſcoporum Strigonienſium, vel tanquam Patronus Eccleſiæ Strigonienſis, vel quia fuit inter primos viros Apoſtolicos, qui ad converſionem Hungariæ collaborârunt.

Ibidem Num. 17. loco Stephanus IV. legendum Stephanus I. & n. 25. loco 1334. legendum 1342. Num. 29. loco Thomas II. de Bank, legendum Joannes II. de Bank, & Num. 37. loco 1430. legendum 1438.

Ibidem Num. 41. Nicolaus Olahus dicitur, confirmatus 3. Auguſti 1654. & in Catalogo 13. die 4. Julij 1550. Poſterior hic numerus intelligendus eſt pro Epiſcopatûs Agrienſis, prior verò ille, pro Archi-Epiſcopatûs confirmatione.

Ibidem Num. eodem dicitur: Archi-Epiſcopatus Strigonienſis multis annis vacâſſe & anno 1574. Antonium Verantium obijſſe, id ſic intelligendum eſt, Quod Nicolao Olaho ſucceſſerit in Archi-Epiſcopatu Antonius Verantius, qui obijt Anno 1571. vel ut ſcribit Iſtvanffius 1572. poſt mortem verò Verantij fuerit illa longa Vacantia Archi-Epiſcopatûs, uſque ad Stephanum Feierkôvi.

Ibidem Num. 45. notatur Cardinalis Forgácz postliminiò 42. annorum, Societatem Jesu, & RR. PP. Franciscanos à Stephano Bótskajo expulsos Tyrnaviam-reduxisse. Id ita intelligendum est, quod soli RR.PP. Franciscani pulsi fuerint, à Botskajo, quos reduxit Tyrnaviam Cardinalis Forgácz, & simul cum ijsdem etiam PP. Societatis, qui tamen non fuerunt pulsi à Botskajo, sed sponte ante 42. annos occasione fortuiti incendij, quo tota ferè Civitas redacta fuit in cineres, unà cum Domibus destinatis pro Collegio, indè discesserant.

Ibidem Num. 51. ponitur Leopoldus è Comitibus à Kollonicz, S. R. E. Cardinalis ex Episcopo Jaurinensi, & Archi-Episcopo Colocensi, addi poterit: qui prius Nitriensem, posteà hoc sponte resignaro Neostadiensem quoq; Episcopatum laudabilissimè administravit. Quod & circà Catalogos aliorum Epicoporum observandum est. Non enim necesse erat, ut ubiq; sigillatim recenserentur gradus, per quos ad altiores Episcopatus ascenderunt, sed satis fuit apponere suis locis quos Episcopatus, & quo ordine eosdem tenuerunt.

In Catalogo 13. præter enumeratos citato Catalogo Episcopos Agrienses, in Bulla confirmationis Decimarum Episcopi, Præpositi, & Capituli Zagrabiensis à Gregorio IX. impetrata sub Emerico Rege inter alios, quorum de more in fine illius adjecta sunt Nomina, ponitur etiam *Carapanus* Episcopus Agriensis, quem diversum esse à Catapranó, qui primo loco apponitur necessè est fuisse, licèt enim Catapranus & Carapanus affinia sint nomina, Tempora tamen illorum valdè sunt diversa, nam ille ponitur Episcopus Agriensis Anno 1009. Hic verò juxta citatam Bullam ad Annum 1199. proinde Anteponendus est, ante Thomam, quem juxta aliam Andreæ Regis Bullam, seu Diploma, constat fuisse Episcopum Agriensem 1217. Post Thomam verò ponatur Andreas, verùm evidens est, adhuc aliquos intercessisse, inter hunc & Thomam, cum Andreas fuerit Episcopus Agriensis primò circa Annum 1300. ut testatur Thuroczius Par. 2. suæ Chronologiæ, cap. 84

In Catalogo 14. alijs Episcopis Quinque-Ecclesiensibus addendus est Franciscus Estoras, qui præfuit huic Ecclesiæ ac obijt Anno Christi 1116. ut patet ex Privilegijs Illustrissimæ Familiæ Esterhazianæ.

In Catalogo 15. ante Cosmam ponendus est *Ugrinus*, ut ex citata

tata Bulla Gregorij IV. patet, & post Cosmam *Stephanus*. Deinde Gregorius ut constat ex Privilegio citato Familiæ Esterhazianæ à II. Andrea Rege dato.

Ibidem Num. 22. Fol. 74. dicitur Georgius Draskovich ex Episcopo Zagrabiensi fuisse translatus ad Episcopatum Jaurinensem anno 1528. & in Catalogo XIV. Num. 4. creatus Cardinalis 1585. priori loco legendum est, 1578. altero verò uti hic habetur 1585. nam in Episcopum Quinque-Ecclesiensem consecratus fuit anno Christi 1550. Ablegatus ad Concilium Tridentinum nomine Regni Hungariæ missus 1561. indè finito Concilio redijt 1564. Factus dein Episcopus Zagrabiensis, postmodum Jaurinensis, ac demum Cardinalis 1585. Quòd verò hoc anno fuerit creatus Cardinalis & quidem à Sixto V. testatur Istvanffius Fol. 74. his verbis: Gregorio XII. vitâ functo (10. Aprilis) succedit Sixtus V. is Cæsare etiam commendante Georgium Episcopum Jaurinensem, & Cancellarium Regni, virum doctum, vitæ, morumque sanctimoniâ & pietate celebrem in Cardinalium Collegium cooptavit.

Ibidem Num. 24. fol. 74. Joannes Herenssenius ex Episcopo Zagrabiensi Episcopus Jaurinensis factus, loco Joannis ponendus est Petrus Herenssenius, uti ponitur in Catalogo 20.

In Catalogo 16. ponendus est *Calandra* ad annum circiter 1119. & Robertus ad annum 1225. ut ex citatis Bullis patet.

In Catalogo 17. Num. 33. Illud *fuit etiam Episcopus Transylvaniæ*, non spectat ad Franciscum Turzo, sed ad Paulum Bornamissam illius Successorem, qui prius fuit Episcopus Transylvaniæ, deindè inde pulsus, factus est Episcopus Nitriensis 1577. obijtque Anno 1579. In eodem Catalogo, post Zachariam Mohoczi, ponendus est Stephanus Fejérkövi.

In Catalogo 18. ante *Brietium* secundo loco positum anteponendus est Jacobus, ut patet ex Bulla citata, Gregorij IX. post Brietium verò Háab ad annum 1300. cujus mentionem facit Thuroczius.

Ie Catalogo 19. Desiderio Archi-Episcopo Colocensi anteponendus est Albertus Estorás ad annum 2090. ut patet ex citato Privilegio Familiæ Esterhazianæ, deindè Saul post Petrum primum ad annum 1199. pòst Bertholdus ad annum 1202. ante Ugrinum.

Ibidem dicitur *S. Astrico collatus Archi-Episcopatus Colocensis anno* 1000. *in Catalogo* 11. *Fol.* 59. *anno* 1001. *utrobique assignatus annus poterit*

manere, ita ut anno 1000. declaratus fuerit, & altero anno Possessionem Archi-Episcopatûs acceperit. Ibidem post Martinum Pethö ponendus est: Joannes Kutassi, & post loco Joannem Pôski, Petrus Petresich, & post Georgium Szelepchéni, Martinus Borkovich.

Ibidem Fol. 79. Petrus III. *Archi-Episcopus Colocensis sub Uladislao II. eliberatus ex carcere Arvensi ad Instantiam Alexandri II* corrigendum, Joannes Corvinus Filius naturalis Matthiæ Regis Instante Apostolico Nuncio eundem liberè dimitti jussit, paulò ante coronationem Uladislai II. cum quo de Regia Corona competebat. Quo tempore fuit Pontifex Innocentius VIII. immediatè ante Alexandrum VI.

In Catalogo 20. Alexander Mikulich ponitur confirmatus 13. Octobris 1687. & in Catalogo 25. die 30 Novembris eodem anno 1687. prior dies accipiendus est, pro expeditione Bullæ Confirmationis Româ, alter verò pro ipsa Confirmatione in Episcopum Tininiensem. Ibidem pro anno confirmationis Stephani Szelegovich, loco 1665. ponendus est annus 1595.

§. IV.

Annotationes in Catalogos â 21. usque ad 30. inclusivè.

IN Catalogo 21. ante Reginaldum, ponendus est Renaldus pro anno 1225. si tamen fuit is, diversus à Reginaldo, diversus autem fuisse colligitur ex anno Reginaldi, qui ponitur ad an. 1262. Reginaldum autem fuisse Episcopum Transylvaniæ an. 1225. habetur ex citato Diplomate Familiæ Esterhazianæ. Et antè hunc adhuc ponendus *Wilichelmus*, & huic adhuc præponendus *Adrianus*, qui præfuit anno Christi 1199. ut patet ex citata Bulla Gregorij IX. Cæterùm in Romano Registro nullius Episcopi Transylvaniæ nomen invenitur usque ad Sæculum Tertium.

In Catalogo 22. Num. 43. ponitur *Matthias Zebestinus*, legendum Matthias Zebertinus, quamvis in Registro Romano solum nomen illius exprimatur, non cognomen.

Ibidem Num. 48 habetur Nicolaus Micatius ex Episcopo Zagrabiensi, cum tamen in Catalogo autentico Venerabilis Capituli ejusdem

dem nomen non habeatur. Verùm sic habet Registrum Romanum, nisi fortè sit idem cum Nicolao Szelnichey, qui eodem anno & die in eodem Registro scribitur esse confirmatus, & ponitur in Catalogo Zagrabiensium.

Ibidem Num. 50. fol. 83. notatur Joannes Biber Episcopus Varadiensis posteà Agriensis, cum tamen in Catalogo 13. dicatur ex Episcopo Quinque-Ecclesiensi posteà factus fuisse Agriensis. Sic intelligendum est. Quod priùs ex Episcopo Almisiensi fuerit translatus ad Episcopatum Quinque-Ecclesiensem 1613. & ex hoc ad Varadiensem 1622. ac tandem ex hoc ad Agriensem.

In Catalogo 23. antè *Desiderium* ponendus est Albertus Estoras ad ann. 1090. quem pro tunc fuisse Episcopum Csanadiensem patet ex Diplomate à S. Ladislao Rege dato Familiæ Esterhazianæ.

In Catalogo 27. fol. 9. Num. 6. inter alios Episcopatus Dalmatiæ ponendus est etiam Almisiensis Episcopatus.

In Catalogo 29. Stephanus Episcopus Segniensis dicitur fuisse sub Matthia Rege Corvino, 1492. cum tamen Matthias Rex fuerit mortuus anno 1490. id sic intelligendum est, quod fuerit sub Matthia Rege electus, sed primò post mortem illius consecratus 1492.

Ibid fol 94. notatur Marcus Antonius de Dominis Episc. Segniensis 1660. legendum 1600. Hic posteà factus est Archi-Episcopus Spalatensis, & dein transfuga in Angliam, & Apostata, ubi edidit Pestilentissimum de Republica Christiana librum, sed opera Legati Hispanici reconciliatus Romano Pontifici, ab eo veniam obtinuit, Romamque redijt, suásque hæreses abjuravit 1622. Verum rursus ad vomitum redire visus, traditus est custodiæ in qua morbo correptus, obijt Sacramentis Ecclesiæ omnibus munitus, nihilominus inquisitorum judicio, unà cum suis scriptis in campo Floræ publicè igne concrematus est mortuus, quem fortè vivus vix effugisset 1624.

In Catalogo 30. ponitur inter Episcopos Tinninienses Demetrius ad annum 1451. legendum 1441. & hic ipse fuit (ut opinari licet) qui in Catalogo Episcoporum Zagrabiensium nominatur Demetrius Csupor, verùm & ibi ponendus est annus 1447. non 1444. esto authenticum Registrum Zagrabiense sic habeat, nam si Demetrius fuit

translatus ex Episcopatu Tinniniensi, ad Episcopatum Zagrabiensem à Nicolao V. id alio anno fieri non potuit, quàm 1447. cum Nicolaus V. Pontificatum inierit 1437. die 6. Martij, & mortuus sit 1455. die 25. Martij nisi fortè dicatur, quod hæc translatio Demetrij ex Tininiensi Episcopatu ad Zagrabiensem fuerit facta authoritate Regia anno 1444. ut habet Registrum Zagrabiense, & posteà supervenerit Confirmatio Pontificia à Nicolao V.

§. V.

Annotationes in Catalogos à 31. usque ad 50. inclusivè.

IN Catalogo 32. notandum est, bis positum esse Episcopatum Samadriensem, adeóque semel tantùm legendum esse.

In Catalogo 38. ponitur Taxa Episcopatûs Quinque-Ecclesien- Flor. 3300. cum tamen utriusque Archi-Episcopatûs Taxa ponatur Flor. 2000. & ità notatur in Catalogo Taxarum producto ab Alberto Molnar. Quod si ità fuit, fortassis id accidit ex eo, quod Episcopus Quinque Ecclesiensis habeat usum Pallij Episcopalis intra Missarum Solemnia in Ecclesia suæ Diœcesis (quod privilegium solis Archi-Episcopis & Patriarchis à Papa concedi solet) quamvis *Sambucus* ponat Archi-Episcopatûs Strigoniensis Taxam fuisse 7000. Aureorum, & consequens est, & Archi-Episcopatûs Colocensis fuisse majorem quàm 2000. Florenorum.

In Catalogo 40. fol. 106. enumerantur 35. Abbatiæ Benedictinorum & in Catalogo 41. Cisterciensium 40. Cùm tamen in Catalogo 35. illorum Abbatiæ dicantur fuisse 58. & horum 41. sed notandum est in his Catalogis appositas esse solùm eas Abbatias, de quarum nominibus constat, sunt enim aliquæ Abbatiæ ita obliteratæ, ut nec de earum appellationibus amplius extet memoria, & fortassis etiam inter illas aliquæ sunt, de quibus non liquet, cujusnam Ordinis fuerint, quas Catalogo 52. adnotavimus. Ad finem hujus Catalogi addendum in monumentis litterarijs Familiæ Esterhazianæ inveniri Anno Christi 1179. Paulum Estoras fuisse Abbatem Monasterij in monte S. Mariæ Mainhort & Lazi, Ordinis S. Benedicti cujus tamen nulla est memoria. Ibidem fol. 107. Abbatia de Pilisio ponitur funda-

fundata 1384. & ita ponit citata etiam Appendix Cardinalis Pazmanni, ſed Caſparus Jogelinus in notitia Abbatiarum libro 4. fol. 43. ponit Peliſium fundatum anno 1184. ipſe tamen dubitat, an Peliſium ſit idem cum *Piliſio*, ex eò quod etiam Abbatia vallis Paradiſi ab Incolis vocetur Pilecz, hanc tamen conſtat eſſe diverſam Abbatiam, atque hæc fundata eſt an. 1172. conſtat tamen ex Privilegijs Familiæ Eſterhazianæ Demetrium Eſtoras fuiſſe Abbatem Piliſienſem An. Chriſti 1190.

In Catalogo 41. habetur *Abbatiam de Egres fundatam eſſe Ciſtercienſibus* ab Andrea II. Rege 1200. & ita ponit etiam Appendix ſecunda Cardinalis Pazmani ad Synodum Diœceſis Strigonienſis Tyrnaviæ celebratam anno 1229. ſed cum Andreas II. coronatus fuerit imò Anno 1201. conſequens eſt hoc Monaſterium ab eo fundatum fuiſſe, antequam in Regem coronaretur.

Ibidem fol 106. Annus Fundationis Abbatiæ *Belæ fontis*, uti & Abbatiæ *de Baconio* prætermittitur, addendus proindè numerus anni, pro priori 1152. pro poſteriori 1182.

Ibidem Abbatia *Lucentia* notatur fundata 1190. ſed Jogelinus ponit Annum Fundationis 1198. fortaſſis hoc anno completivè, & anno 1190 inchoativè.

Ibidem Abbatiæ de *Candelis* addendus Annus Fundationis 1216.

Abbatiæ de *Abram* 1270. Abbatiæ *Beel Trium Fontium* 1232.

Ibidem fit mentio Abbatiæ *Kolban* in Sclavonia, & rursùs infrà Abbatiæ, *Koblan* & utraque ponitur in Sclavonia credibile tamen eſt, utramque unam eandemque fuiſſe quæ modo *Kolban* modo Koblan nuncupabatur.

Præter enumeratas autem Abbatias Ciſterſienſium Jogelinus habet inſuper Abbatiam *Kien* ſivè *Kors*: fundatam 1270.

In Catalogo 42. enumerantur 51. Præpoſituræ Præmonſtratenſes & in Catalogo 34. *Conventus Ordinis Cruciferorum* 23. *cùm tamen in Catalogo 35. ponatur, tantùm ſub Generali nomine* 30. *Præpoſituræ Præmonſtratenſium, & Conventus Cruciferorum* 24.

Sed ità habet etiam, toties citata Appendix Cardinalis Pazmani, itaque ad primam difficultatem dicendum eſt, Principaliores fuiſſe tantùm 30. minùs verò Principalibus additis, & quaſi filialibus, 57. ad alteram autem unius præceptoratûs nomen ſpecificum non extare.

In Ca-

In Catalogo 45. *recensentur Dominicanorum Cœnobia Hungariæ, 25. & monialium* 8. *& tamen in Catalogo 35. fol.* 108. *ponuntur* 38. *sub Corona Hungariæ fuisse.*

Verùm cùm hic solùm enumerentur Cœnobia Provinciæ Hungariæ, reliqua quinque supplenda sunt ex Provincia Dalmatiæ, quæ & ipsa erat sub Corona Hungariæ.

In Catalogo 47. fol. 111. *dicuntur Eremitarum S. Pauli primi Eremitæ fuisse Vicariatus* 21. *& Prioratus* 43. *& deinde enumerantur* 46. *Prioratus; atque in Catalogo* 35. *fuisse in universum* 68. *verum consulto additus est ad Initium ejusdem Catalogi fuisse Prioratus* 43. *& amplius.*

In Catalogo 48. fol. 113. *dicuntur Monasteria Ordinis S. Francisci Seraphici, sub Corona Hungariæ fuisse in universum* 141. *sicut etiam ponit Franciscus Gonzaga, Episcopus Mantuanus, & tamen enumerantur* 143. *aliqua enim postmodum accesserunt, aliqua etiam desolata sunt.*

§ VI.

Annotationes in Catalogos á 51. *usque ad* 60. *inclusivè.*

IN Catalogo 50. *numerantur Præpositure, Canonicorum Regularium sex in Catalogo autem* 35. *ponuntur fuisse tantùm* 4. *& quatuor tantum ponit etiam toties citata Appendix Cardinalis Pazmani, ubi tamen* idem Cardinalis addit, licèt non dubitem hunc Ordinem (nempe Canonicorum Regularium) in Hungaria habuisse plures Præposituras. ibidem circa Præposituram de Devalich S. Ladislai additur. *Dubium autem est an hæ duæ Præposituræ fuerint diversæ.* Ratio autem dubitandi fuit, quòd Præpositi hoc Titulo gaudentes (uti & modernus Reverendissimus Dominus Stephanus Ravasz) scribant se Præpositos S. Ladislai de Develich, sed patet fuisse diversas, ex illis verbis quæ ibidem idem Cardinalis subjungit: *His addenda Præpositura de Develich, & S. Ladislai, in Simigiensi Comitatu Diœcesis Wesprimiensis.*

In Catalogo 54. Num. 5. fol. 120. dicitur Emericus Priny, Palatinus fundâsse PP. Paulinis Monasterium in Terebes Anno 1519. legendum 1509. quandoquidem Emericus Prinyi factus est Palatinus 1505. & ejusdem Successor Stephanus Bathori 1517.

In Catalogo 56. dicitur Præpositura de Porno data fuisse Collegio

legio Sopronienſi Societatis Jesu, rectius ponetur Abbatia, uti in Catalogo 41. notatur.

In Catalogo 58. Num. 6. fol. 126. refertur *quod Paulus Paxius invaſerit Epiſcopatum Jaurinenſem, at in Catalogo V. nominatur Paulus Paquitius*, in utroq; loco debet eſſe Paulus Paquitius; Paxius enim nomine Blaſius fuit Epiſcopus Jaurinenſis, poſt cuius cædem in Campo Mohacz invaſit Epiſcopatum Paulus Paquitius. Erat autem Paquitius (ut Iſtvanffius ſcribit) è Thracia, nobili & militari Græci ritûs ſtirpe natus, qui cum Turcarum inſolentias amplius ferre non poſſet, cum quinque Fratribus, egregiæ virtutis & fortitudinis viris: Petro, Clemente, Manuele, Demetrio, & Michaële ad Ludovicum II. Regem Hungariæ defecerat, atque poſteà in omnibus bellis fortem fidelémque operam præſtiterat, ſed & Ferdinando (præſertim tempore obſidionis Viennenſis à Solymanno) magno ad res gerendas adjumento fuit, ac tandem in expeditionè Cociana in prœlio contra Turcas fortiter pugnans occubuit.

In Catalogo 59. addi debet cœteris Collegijs Societatis in Hungaria, Collegium Sopronienſe fundatum à Georgio Draskovich Epiſcopo Jaurinenſi.

§. VII.

Annotationes in Catalogos à 60. uſque ad 70. incluſivè.

IN Catalogo 61. inter alios Convictus & Seminaria Societatis Jeſu in Hungaria, apponendus eſt etiam Convictus Nobilium Sopronienſis fundatus à Georgio Draskovits, Epiſcopo Jaurinenſi.

In Catalogo 65. dicitur Henricus pro Archi-Abbate S. Martini de monte Pannonio ſub Benedicto VIII. miſſus, & gubernâſſe Annis 19. ac 1027. obijſſe; & ita habet Regiſtrum ejusdem Monaſterij S. Martini vetuſtiſſimum. Sed cùm Benedictus VIII. electus fuerit in Pontificem 1013. juxta Ricciolum, & juxta alios 1012. hæc annorum ſeries difficulter combinâri poterit, niſi dicatur operâ Benedicti VIII. qui prius Comes Tuſculanus vocabatur, antè initium Pontificatum Henricum fuiſſe miſſum in Hungariam.

Ibidem Num. 18. fol. 137. narratur *Favum Archi-Abbatem S. Martini cœpiſſe munire montem, in Inſula Balathon, quæ modò Szeglegeth dicitur*

tur, sibi, ac suæ Ecclesiæ à Bela IV. & Stephano Rege, ejusdem Filio, collatum, durâsséque Annis quinque, & desijsse, 1263. Et ita habet Registrum citatum Monasterij S. Martini. Sed cùm Stephanus V. Regnare cœperit, tardiùs, id de prima donatione ejusdem Stephani intelligi non potest, sed solùm de confirmatione donationis ejusdem factæ à suo Parente Bela IV. eidem Ecclesiæ, idque post mortem Favi Archi-Abbatis.

Ibidem Num. 26. dicitur *Wilhelmus, ex Archiabbatia ad Episcopatum Quinque-Ecclesiensem assumptus*; Quod addi poterit in Catalogo Episcoporum Quinque-Ecclesiensium, cum & ipsius Successori id sit additum in eodem Catalogo.

Ibidem fol. 137. Num. 21. ponitur Hemanus Archi-Abbas fuisse sub Honorio IV. ac durâsse annis 14. ac desijsse 1295. adeóque inchoâsse regimen, 1281. cum tamen Honorius iniverit Pontificatum anno 1285. sed id intelligendum est, non quod sub Honorio IV. Regimen iniverit, sed quod sub ipsius Pontificatu illud continuaverit.

Ibidem 34. fol. 139. *dicitur Thomas Debrethe simul fuisse Episcopus Jauriniensis, & Commendatarius S. Martini durâsséque annos 29. & desijsse* 1456. fortassis melius ponetur Episcopus Nitriensis, cum hic inveniatur in Catalogo Episcoporum Nitriensium, (& in Catalogo Episcoporum Jaurinensium non reperiatur.) Ad annum 1468. Ita ut desierit Cōmendator Archi-Abbatiæ anno 1456. non per mortem, sed per cessionem factam Ladislao III. qui gubernavit annis 11. & obijt 1467.

Ibidem Num. 47. ponitur Joannes V. Archiepiscopus Colocensis addendum cognomen ejusdem *Kuttasi*.

§. VIII.

Annotationes in Catalogos à 70. usque ad 80. inclusivè.

IN Catalogo 75. Num. 20. *ponitur B. Eusebius Primus Provincialis Ordinis S. Pauli primi Eremitæ in Hungaria obijsse* 1274. legendum 1270. ut signatur in Catalogo 64. Officium siquidem hic suscepit anno 1250. & obijt anni officij sui 20.

Ibidem

Ibidem Num. 24. *Januarij, nomen Tyranni Signatur Murtagen*, & *Num.* 30. *Murtagon* posterius nomen est retinendum *cum Zonara & Cedreno*, quamvis idem *Cedrenus*, subinde eum appellet *Cydragon* & *Curopalates*, Cutvagon.

Ibidem ad 13. *Februarij notatur B. Cunegundis fuisse neptis S. Agnetis, quæ fuit filia Constantiæ Belæ IV. Regis Hungariæ IV. Filiæ.* Ubi nomen neptis non est accipiendum propriè, hæc enim Agnes Constantiæ Belæ IV. Filiæ, Filia fuit Virgo Monialis, sed latiùs pro Premislai Ottocari Regis Bohemiæ filia, quæ erat Parens S. Agnetis, sed mors illius ponenda est, ad annum 1312.

Ibidem *pro* 18. *Februarij .Cutis Martyr*, legendum Cutia quamvis ut observat Henschenius legatur apud alios etiam *Cutias, Cutius, Cutia.*

Ibidem *ad* 4. *Februarij legitur S. Adrianus Regia stirpe in Hungaria*, natus, pro majori claritate addendum: Regia stirpe Scotorum in Hungaria natus.

Ibidem aliqua nomina Sanctorum & Sanctarum melius mutabuntur in magis usitata v.g. Trigrida pro Trigida ad 17. Martij. Theatinus, pro Theotinus, vel Theotinus ad 20. Aprilis Darcea pro Darerca ad 19. Maji. Evilasius pro Evilazius ad 26. Septembris. Salomon pro Salamon ad 28 Septembris.

Ibidem ad 13. Octobris fol. 159. dicitur *S. Colomannus Martyr, S. Margaritæ Reginæ Scotiæ, Hungara Matre natæ Filius*, ita quidem nonnulli, quos & ego secutus fui; Nunc verò monitus à quodam peritissimo Genealogiarum. S.Colomanum non potuisse fuisse. S.Margaritæ Reginæ Scotiæ Filiū, clarè convincor. S. siquidem Colomannus Martyrium passus est anno 1012. quo tempore S. Margarita Regina Scotiæ necdum nata fuit. Præterea S. David Rex Scotiæ, qui obijt anno 1103. extrà Controversiam fuit filius S. Margaritæ, ergo Colomannus ejus frater esse non potuit, cùm ultrà 140. annos differant inter se tempore. Fuit igitur Colomannus Malcomani I. Regis Scotiæ filius, ex Margarita quidem Regibus Ungariæ cognatione juncta natus, sed non illa quæ Sanctitatis nomen, in Ecclesia meruit, undè corpus S. Colomanni dein Rex Hungariæ Petrus, tanquàm cognatione sibi juncti in Hungariam deportari curavit, ubi aliquot annis insigni in loco conservatum fuit, postmodum verò agentibus illis, quorum intererat, reportatum est rursus in Aûstriam.

Ibidem ad 15. *Novembris S. Leopoldus dicitur fuisse Parens Sophiæ Reginæ Hungariæ.* Rectiùs ponetur ſanguine junctus, tùm quia inter liberos S. Leopoldi, nulla reperitur nupta, filia Sophia. Tum quia ex filiabus S. Leopoldi nulla fuit Regina Hungariæ. Porrò ad hunc Catalogum Sanctorum & Sanctarum longè plures addi poſſent quorum Catalogus brevi prodibit in lucem per Eruditiſſimum quendam Chronologum ſub Titulo *Cœlum Hungarico-Pannonicum*, cujus ſpecimen ordine alphabetico hîc ſubjungimus.

S. Acutio M. 2. Januar.
S. Acutus M. 2. Januar.
S. Adalbertus Archi-Ep. Salisbur. 4. Apr.
S. Adalbertus Archi-Ep. Pragenſ. 24. Apr.
S. Adiodemus M. 29. Januar.
S. Adrianus Epiſc. 4. Mart.
S. Adrianus M. 8. Septembr.
B. Ægidius Ord. S. Franc. 12. Mart.
S. Agapitus M. 20. Sept.
S. Agnes V. 6. Mart.
B. Agnes Ord. S. Benedict. 14. Mart.
S Agricola 3. Decemb.
S. Albanus Mart. 1. Decemb.
S. Alexander M. 18. Febr.
S. Alexander 16. Mart,
S. Alexius 17. Julij.
B. Alphonſus Borgia Ord. S. Aug. 18. Januar.
S. Amabilia Ord. S. Benedict. 1. Febr.
S. Anaſtaſius M. 6. Januar.
S. Anaſtaſius M. 8. Januar.
S. Andreas Apoſtolus 30. Nov.
S. Andreas Erem. 17. Jul.
B. Andronicus Epiſ. M. 17. Maji.
S. Anicetus M. 8. Julij.
S. Anna 23. Jun.
S. Antonius de Saxonia M. 20. Febr.
S Antonius Ord. S. Franc. 13. Maj.
S. Apollinaris M. 23. Jul.
B. Arno Archi-Ep. 25. Jun.
S. Artaxus M. 2. Januar.
S. Aſtricus Archi-Ep. 12. Nov.
S. Auguſtinus Gazotus Epiſcop. 3. Aug.
S. Barbara V. M. 4. Decemb.
S. Baſilla 29. Aug.
S. Banthris Præsb. M. 29. Jul.
B. Beatrix Regina 23. Jul.
S. Benedictus 29. Mart.
B. Bertholdus Ord. S. Franc. 13. Dec.
S. Bezberdus. Ep. M. 25. Sept.
S. Bonifacius M. 5. Januar.
S. Borivorius 13. Apr.
S. Buldus Epiſ. M. 24. Sept.
S. Cajus. Pont. M. 22. Apr.
S. Carolus Magnus Imp. 28. Jan.
B. Carolus Cſaki, Ord. S. Dom. 17. Januar.

S. Caſi-

S. Casimirus 4. Mart.
S. Christina V. M. 19. Jun.
S. Christinus. 12. Nov.
S Claudius M. 18. Feb.
S. Colomannus M. 19. Oct.
B. Colomanus Ord. S. Paul. 28. Jun.
S. Concessus M. 9. Apr.
S. Conradus Episc. Card. 30. Sept.
S. Cordula V. M. 22. Oct.
S. Cunegundis V. Imp. 3. Mart.
S. Cunegundis V. Regina 24. Jul.
B. Cunegundis 13. Feb.
S. Cutia M. 18. Feb.
S. Cyrillus 9. Mart.
S. Danax M. 16. Januar.
S. Daverca 19. Maji.
S. David Rex Scot. 14. Maji.
S. Demetrius Diac 20. Mart.
S. Demetrius Diac. M. 9. Apr.
S. Demetrius M. 25. Oct.
S. Designatus Episc. 15. Jun.
S. Domnio Episc. M. 11. Apr.
S Elisabeth Regina. 4. Jul.
S. Elisabeth Ord. S. Dom. 6. Maji.
S. Elisabeth Hassia 19. Nov.
B. Elisabeth Ord. S. Dom. 31. Mar.
B. Elisabeth Ord. Præm. 6. Maj.
S. Emericus 5. Nov.
B. Emericus Ord. S. Dom. 27. Jun.
S. Entramus M. 22. Sept.
Emanuel Niger Soc. J. 9. Jun.
S. Eugenda 2. Jan.
S. Evilasius M. 26. Sept.
S. Euphrasia V. M. 11. Jul.
S. Eusebius M. 28. Apr.
B. Eusebius Ord. S. Paul. 20 Jan.
S. Eustachius M. 20. Sept.
S. Eutropia 11. Nov.
S. Fausta M. 17. Jul.
S. Florentius Ord. S. Ben. 7. Jul.
S. Florianus M. 8. Jan.
S. Franciscus Borgia Soc. Jes. 10. Oct.
S. Franciscus Zakoly Episc. Ord. S. Paul. 3. Febr.
S. Gabinus M. 19. Febr.
S. Gabriel M. 23. Jan.
S. Gajanus Diac. 10. Apr.
B. Gallus Ord. S. Franc. 18. Oct.
S. Gaudentius Episc. 12. Jan.
S. Geminianus M. 6. Febr.
S. Georgius M. 23. Apr.
S. Georgius Episc. M. 24. Jan.
S. Gerardus 1. Dec
B. Gerardus Ord. S. Dom. 11. Jan.
S. Gerardus Ep. M. 24 Sept.
S. Gertrudis V. 17. Mart.
S. Gertrudis Ord. Præm. 3. Jan.
S. Gizela Regina 7. Maji.
S. Gilbertus 26. Jun.
S. Grilbertus 3. Sept.
S. Gualtherus Erem. 9. Oct.
S. Hedvigis Ord. Præm. 7. Jun.
S. Helena V. 9. Nov.
S. Henricus Imp. 14. Jul.
B. Henricus Abbas 11. Febr.
B. Henricus Zdik Ep. 25. Jun.
S. Herissus M. 2. Jan.
S. Herma Ep. M. 8. Apr.
S. Hermylas Diac. M. 13. Jan.
S. Hieronymus Eccl. D. 30. Sept.
S. Hyacinthus Ord. S. Dom. 10. Maji.

S. Hilarius M. 9. Apr.
B. Jacobus Diaconus Ord. S. Fran.
S. Ignatius Lojola Soc. J. 31. Jul.
S. Innocentius M. 4. Jul.
S. Joannes 12. Nov.
S. Joannes Ord. S. Dom. 18. Dec.
B. Joannes Ord. S. Dom. 7. Dec.
B. Joannes Ord. S. Franc. 9. Jun.
B. Joannes Ord. S. Fran. 19. Jun.
S. Joannes Trib. M. 30. Jan.
S. Joannes Rex Scyth. M. 29. Maj.
S. Joannes Capistranus Ord. S. Fran. 23. Oct.
S. Joannes Chrysostomus Episc. 27. Jan.
S. Joannes Eleemosynarius Ep. 22. Jan.
B. Joannes Teuton: Ord. S. Dom. 4. Nov.
P. Joannes Leleszi S. J. 26. Feb.
P. Joannes Simonides S. J. 31. Oct.
S. Irenæus Episc. M. 20. Mart.
S. Isacus M. 2. Jul.
S. Joannes Erem. 24. Nov.
S. Jucundus M. 8. Januar.
S. Julianus M. 1. Maj.
S. Ladislaus Rex 27. Jun.
B. Ladislaus Bathor. 7. Feb.
S. Lanceslaus Ord. S. Fran. 22. Sept.
S. Laurinus Archiep. 4. Jul.
S. Leo Episcopus M. 25. Jan.
S. Leo Papa 11. Apr.
S. Leo Tribu: M. 30. Januar.
S. Leopoldus 15. Nov.
B. Lucas Ord. S. Franc. 5. Dec.
S. Ludovicus Ep. Ord. S. Fran. 19. Aug.
B. Ludovicus Hassus 21. Dec
S. Lumanus Episc. 17. Febr.
S. Lupitha V. 27. Sept.
S. Manuel Episc. M. 23. Januar.
B. Marcus Ord. S. Fran. 2. Maj.
Marcus Chrysinus 7. Sept.
S. Margarita Regina 10. Jud.
S. Margarita Ord. Præm. 23. Jul.
B. Margarita V. 28. Jan.
B. Martinus Archiep. 30. Mart.
S. Martinus Episc. 11. Nov.
S. Matthæus Monach 12. Nov.
B. Matthæus Escandali M. 30. Oct.
B. Mauritius Csaki 20. Mart.
S. Maurus Ord. S. Ben. 4. Dec.
B. Maurus Ord. S. Ben. 30. Apr.
S. Maximilianus M. 2. Januar.
S. Maximus M. 18. Febr.
SS. 377. MM. 30. Januar.
SS. 72. MM. 24. Februar.
SS. 90. Mart. 10. Febr.
SS. 5. MM. VV. 9. Apr.
SS. 7. MM. VV. 15. Maj.
SS. 2. MM. 4. Jun.
SS. 30. MM. 4. Jul.
S. Melis Episc. 6. Febr.
Melchior Grodecius Ep. 7. Sept.
S. Melchus *vel* Melatius Ep. 6. Febr.
S. Memorius M. 7. Sept.
S. Methodius 11. Martij.
S. Metrophanes Ep. 6. Jun.
S. Moderata M. 6. Feb.
S. Monanus Archidiac. 1. Nov.
S. Montanus Præsb. 26. Mart.
S. Montinianus M. 11. Maj.
S. Natalia M. 20. Jul.

S. Ni-

S. Nicaſius Ep. M. 22. Maj.
S. Nicaſius M. 11. Nov.
S. Nicetas Epiſ. 7. Januar.
S. Nicetas M. 10. Sept.
S. Nicolaus Epiſ. M. 7. Jul.
B. Nicolaus M. Ord. S. Fran. 12. Sept.
S. Nicon 1. Oct.
B. Otto Friſing. Epiſ. 7. Sept.
S. Parodus Præsb. M. 25. Jan.
S. Patrius M. 8. Januar.
S. Patritius Epiſ. 17. Mart.
S. Paulus Erem. 15. Jan.
S. Paulus Ord. S. Dom. 10. Febr.
B. Pelbartus 27. Maj.
S. Petea 2. Apr.
S. Petrus M. 8. Jan.
S. Petrus Ep. M. 24. Jan.
B. Petrus Ord. S. Fran. 16. Nov.
S. Petrus Thomaſius Epiſc. 29. Jan.
S. Philippus Apoſt. 1. Maj.
S. Piligrinus Ep. 30. Maj.
S Pollio M. 28 Apr.
S. Prepedigna M. 18. Feb.
S. Priſcilla V. M. 23. Oct.
S. Proculus Epiſ. 10. Jan.
S. Quindeus M. 9. Maj.
S. Quirillus M. 9. Maj.
S. Quiritus Ep M. 4. Jun.
S. Rembertus 4. Feb.
S. Romana M. 6. Apr.
S. Romualdus Abb. 7. Feb.
S. Rupertus 27. Mart.
S. Ruſtica M. 6. Apr.
S. Rutillus M. 4. Jun.
S. Rutilus M. 23. Feb.
S. Sabatia M. 4. Jul.
S. Sadochus Ord. S. Dom. 2. Jun.
S. Salomea 24. Jul.
S. Salomon Rex Ung. 28. Sept.
S. Saturus M. 6. Apr.
S Sebaldus Ord. S. Aug. 18. Aug.
S. Sebaſtianus Archiep. 30. Dec.
S. Secundus M 6. Apr.
S. Semidia V. M. 12. Oct.
S Septinius Diac. M. 18. Apr.
S. Serotina V. M. 19. Januar.
S Severinus Abb. 8. Jan.
S. Sineſia V. M. 18. Sept.
S. Sionius M. 25. Jan.
S. Sirenus M. 23. Feb.
S. Stephanus Rex 20. Aug.
S Stephanus 26. Dec.
S Stephanus Ord. S. Fran. 5. Apr.
Stephanus Pongraz M. S. J. 7. Sept.
S. Stratonicus M. 13. Jan.
S. Suſanna V. M. 11. Aug.
S. Tatia M. 8. Jan.
S Theopiſta M. 20. Sept.
S Theotinus Epiſ. 20 Apr.
S. Thomas Ord. S. Paul. 7. Mart.
S. Tiburtius M. 28. Apr.
S. Tilis M. 8. Jan.
S. Timotheus M. 2. Jan.
S. Timotheus M. 15. Maj.
S. Tobia M. 2. Jan.
S. Trigida 17. Mart.
S. Titus 4. Jan.
B. Vacius Erem. 11. Jan.
S. Venantius M. 1. Apr.
S. Victorinus M. 18. Apr.
S Virgilius Epiſ. 27. Nov.
S. Vitus M. 2. Jan.

S. Vitus Ord. S. Aug. 3. Maj.
S. Urolphus Archiep 14. Oct.
S. Ursula Vir. M. 21. Oct.
S. Wiberarda 16. Dec.
S. Wimo M. 21. Oct.
S. Wolphus Epis. 14. Jan.
S. Wolphgangus Epis. 31. Oct.
S. Zenon M. 9. Maj.

In Catalogo 76. fol. 167. Fit *Fratricellorum & Patrinorum mentio.*

Item fol. 168 *Hussitarum & Nicolaitarum*, pro hujus rei majori intelligentia sciendum est. Fratricellorum Hæresim ortam fuisse anno Christi 1278. Authore Hermanno Italo, cujus cadaver postmodùm exhumatum, & exustum est, jussu Bonifacij Papæ anno 1297. Docebant hi inter alios errores: Uxorum communionem. Patrinorum autem Secta ex Marsilij Paduani, & Arnoldi Hæresibus coaluerat 1179. & maximè Sanctorum Invocationi infesta fuit. Hussitarum verò Secta orta est, à Joanne Huss Bohemo 1407. Nicolaitarum adhuc anno Christi 70. originem suam sumpsit, à Nicolao uno ex septem Diaconis, qui beatitudinem omnem ponebant, in comessationibus, omnique luxuriæ genere. Quando igitur in præsenti Catalogo 76. dicitur Fratricellorum & Nicolaitarum Hæreses ne latiùs per Hungariam serperent esse repressas, id intelligendum est, non quasi tunc ortæ fuissent, sed quod repullulare iterum tunc cœpissent. Similiter intelligendum est, & de Hussitis 1534. à Matthia Corvino Rege punitis, contra quas jam prius decretum ediderat, & eos sub nota infidelitatis è Regno proscripserat.

Ibidem Num. 35. *notatur conniventiâ & indulgentiâ Petri Perenyi Palatini in Hungariam Hæreses irrepsisse*, omittenda est vox *Palatini*. Petrus siquidem Perenyi nunquam fuit Palatinus, sed Emericus Perenyi, qui adhuc antè exortum Lutheranismum & Calvinismum obijt. Hic igitur Petrus Perenyi esto Palatinus Regni non fuerit, fuit tamen magnæ Authoritatis in Hungaria, utpote Custos Sacræ Coronæ, ac dein, etiam Cancellarius, Regni, sed demum jussu Ferdinandi Imperatoris comprehensus, & in Custodia, Neostadiensi extinctus est, 1545.

Ibidem Num. 44. addendum est nomen Cardinalis, videlicèt LEOPOLDI à KOLLONICH.

In Catalogo 78. Num. 5. fol. 177. *habetur in eundem finem remissus*

sus est in Sixto Pontifice, S. Maximilianus in Pannonias rectiùs ponetur loco remissus simpliciter *missus*, neque enim ab eodem Pontifice, bis mitti potuit, eodem anno, siquidem Sixtus nec integro anno, Ecclesiæ præfuit.

Ibidem Num. 13. fol. 178. *Voichius vel rectiùs Wichonigus à Joanne VII. Nitriensis Episcopus constitutus esse dicitur.* Qua de ré vide Annotationem ad Catalogum 11. Constat, siquidem ex Annalibus Ecclesiasticis, olim etiam ante fundationes Episcopatuum à S. Stephano factas, fuisse per Pannoniam Episcopos aliquos, inter quos fuit, primis adhuc sæculis etiam Nitriensis.

Ibidem Num. 14. nominatur *S. Pelegricus*, legendum *Pelegrinus*, vel ut alij scribunt Philigrinus.

Ibidem Num. 24. narratur de Andrea I. Rege, *quod is redintegraverit Ordinem Crucigerorum Equitum in Hungaria.* Per quem Ordinem Equestrem, non est intelligendus Ordo Equestris Teutonicorum, qui se Crucigeros nuncupant, hic enim tardiùs longè institutus est, nempe anno 1184. neque Equitum Jerosolymitanorum seu Melitensium, qui institutus anno 1099. neque Templariorum, qui 1118. erectus. Sed is erat peculiaris Ordo Equestris, ad quem non nisi Magnates & præcipui Nobiles Hungari admittebantur.

Ibidem Nu. 39. *narratur Mahometem anno 1653. intendisse Belgradum expugnare.* Addendum: quod etiam postmodùm obsedit, sed primò anno 1456.

In Catalogo 79. fol. 3. *PP. Franciscanos*, legendum PP. Dominicanos, quorum promulgator erat Tetzelius.

Ibidem fol. 190. ad finem Num. 20. addendum; licèt *Rex Sueciæ postmodùm tardiùs in campum prodierit.*

In Catalogo 80. Num. 4. fol. 196. ad finem numeri 4. addendum: ex documentis tamen authenticis Sacri Ordinis Carmelitarum habetur RR. Patres Carmelitas Calceatos, sive Fratres Beatissimæ DEI Genitricis venisse in Hungariam anno 1372. & accepisse Fundationem Conventûs Budensis eodem anno 1372. deindè Conventûs Gribelzensis 1426. post Conventûs Eperjesiensis 1431. Demùm Conventûs Quinque-Ecclesiensis 1436. Atquè hi ipsi RR. PP. post recuperationem Hungariæ à LEOPOLDO I. Cæsare reducti sunt postliminiò Budam, per Georgium Szechényi Archiepiscopum Strigoniensem, ubi etiam defacto resident.

§. IX.

Annotationes in Catalogos ab 81. *uſque ad Centeſimum incluſivè.*

IN Catalogo 81. fol. 197. ponitur annus 900, quo numero non ponitur annus determinatus, ſed Sæculum nonum, quod etiam pro toto hoc Catalogo notandum eſt, qui ferè totus confectus eſt, per ſæcula, & dimidia ſæculorum.

Ibidem nominatur *Rado* Palatinus & *Atho*, & alibi *Rada*, Athya, legendum ubiquè Rado & Atha.

Ibidem fol. 199. ponitur S. Eliſabetha fundâſſe Marpurgi celebre Xenodochium 1200. ponendus annus 1220. circiter, obijt ſiquidem 1231.

Ibidem narratur *Rex Ludovicus I. Cellis Marianis Baſilicam poſuiſſe* 1364. ob Victoriam de Turcis relatam, rectiùs ponetur, ob Victoriam de Hoſtibus relatam, nempè Cumanis vel Tartaris.

Ibidem Matthias I. Rex refertur Budæ Collegium Sacerdotum fundâſſe 1450. Hoc rurſus intelligendum eſt, non determinato anno, ſed decimi quarti ſæculi primo dimidio. Præterea & illud hic notandum, quod cum Reges vel Palatini, vel Bani dicantur in hoc Catalogo fundâſſe aliquod Beneficium, non ſemper accipiendum ſit, quaſi tempore ſui Regiminis, vel officij Palatinalis, aut Banalis, has fundationes feciſſent, ſed ipſi quidem, ſed aliqua, ante adeptas dignitates.

Ibidem fol. 201. inter alia Collegia fundata, à Georgio Szechényi apponendum eſt etiam Collegium Jaurinenſe.

In Catalogo 85. nominatur filius Attilæ Andericus, rectiùs ponetur Aladaricus, vel ut alij ſcribunt Aladarius.

Ibidem *ponitur Hunnos ſub Ducibus fuiſſe, uſque ad tempora S. Stephani Primi Regis Hungariæ*, nempè Regis Chriſtiani & Coronati, nam licèt Geyſa imò antè hunc etiam Toxus, & Thudinus, & Chaba Reges Hungariæ ſe vocaverint, hunc tamen Titulum arbitrariè tantùm aſſumebant, & ſæpiùs Titulo nomine Ducum utebantur.

In Catalogo 94. ponitur Nicolaus Vilaki donatus à Matthia Rege Corvino Titulo Regis Bosniæ 144. legendum 1559.

In Ca-

In Catalogo 95. Aba Palatinus ſcribitur vixiſſe in officio Palatinatûs 1047. legendum 1034.

Ibidem ad Num. 42. fol. 213. loco numeri 124. ponendus numerus 1284.

Ibidem Num. 46. Ormodæus legendum Omodæus.

Ibidem Num. 58. loco anni 1381. legendum 1387.

Ibidem Num. 63. loco anni 1497. legendum 1407.

Ibidem Num. 68. fol. 114. ponitur Michaël Orſzág Palatinus floruit 1458. *Addendum* primo adhuc anno 1464. vixiſſe eum obſervat Iagelius.

Ibidem in fine fol. 214. *ponitur Emericus Vilaki Epiſcopus Jaurienſis Locumtenens Regius ad Annum* 1553. legendum 1550. & ad annum 1553. Franciſcus Vilaki pariter locumtenens Regius.

In Catalogo 96. *ponitur Joannes de Zapollya fuiſſe Judex Curiæ* 1393. *& Joannes filius Domini de Paſzto* 1396. ſub ijsdem Regibus nempè Sigiſmundo, & Maria, meliùs ponetur ſub eodem Rege Sigismundo, ſiquidem Maria obierat jam anno 1392.

In Catalogo 97. ubi habetur: cœpit autem IV. regnare 1235. rectiùs ponetur, 1236. quo ſcilicèt anno coronatus eſt.

Ibidem fol. 222. *vetuſtibus*, legendum *vetuſtioribus*.

Ibidem ſub Matthia Corvino legitur conſtitutus Banus *Emericus Zapollya* 1449. legendum 1459. & numero 33. loco 1412. legendum 1512.

Ibidem fol 224. Petrus Keglevich, & Thomas Nadasdius, ſcribuntur inſtituti Banni anno 1558. legendum 1538.

NB. In Thuroczij Chronica Hungariæ ad annum 1415. memorantur tres Bani, Joannes de Gara, Joannes de Maroth, Paulus Cſupor de Monoſtor, haud dubie hi ſinguli, ſingulorum Regnorum fuerunt Bani. Item ad annum 1458. Paulus de Lindua & item Nicolaus de Vilak, & Ladislaus de Gara.

In Catalogo 98. mutanda eſt non nihil ſeries, & Ordo Vaivodarum hoc modo.

Ladislaus Nicolaus Filius Laurentij, Thomas, Andreas Laczk, Stephanus Laczk, Nicolaus Konth, Dionyſius, Stephanus Konth. Ladislaus Comes de Czolnok, Nicolaus, Joannes, & Jacobus, Stephanus Leleszi. Comes Ladislaus de Czak, Stiborius; Joannes Matthi-

sius, Joannes Hunyadi, Nicolaus de Vilak, & Joannes Pongracz de Dengelech, Nicolaus Bathori, Joannes Bathori. Antonius Sarmasegi. Stephanus Bathori. Reliquorum verò series manet. Ad nomen tamen Bartholomæi addendum est cognomen Drakffi de Belthôk. Et ad nomen Belusiensis, aliàs de *Pelszöcz*. Hoc verò iteratò hic inculcandum, pro hoc, & sequentibus; ac præcedentibus quoquè Catalogis, quòd defectu plurium authenticorum documentorum, eos, ità exactos, uti desiderabamus dare non potuerimus.

In Catalogo 99. inter Banos Machorienses ante Dominicum ponendus est, Rolandus & post illum Nicolaus de Gara. Item Ladislaus de Gara. Et inter Banos Severienses interponendus etiam Stephanus de Losoncz. Item Paulus Limsi, Josa de Som, & Andreas Bathori.

In Catalogo 100. Præponendus est Desiderio *Gileti*, qui fuit Aulæ Cancellarius 1096. sub S. Ladislao Rege, & post Cletum ponendus *Magister Stephanus Dominici Papæ Subdiaconus Zagrabiensis, qui fuit Aulæ Cancellarius* 1225. *sub Andrea II. Rege.*

Manente Hugolino suo loco
Post Magistrum Stephanum Dominici ponendus erit
Mesko (non Matko) Episcopus Nitriensis.
Dein Nicolaus Episcopus Zagrabiensis.
Demetrius Archi-Episcopus Strigoniensis.
Eberhardus Episcopus Zagrabiensis.
Matthias de Gatholcz Præpositus Quinque-Ecclesiensis.

Reliquorum series manet, sed ad nomen Georgij Szakmar, apponendum erit *Episcopus Quinque-Ecclesiensis*. Et ad nomen Francisci Leonardi Szegedi *Episcopus Vacziensis*, nequè mirum alicui videri debet. *Demetrium & Nicolaum Archi-Episcopos Strigonienses*, qui aliundè ex ipso officio, & Titulo hujus Archi-Episcopatûs sunt Summi & Secretarij Cancellarij Regij, positos esse in Catalogo Cancellariorum, Aulæ Diplomata siquidem sub *Maria*, & *Ludovico* emanata sunt, per manus eorundem expedita, quæ aliàs expediri solent, per Cancellarios

Aulæ

Aulæ. Undè verisimile est, eos munus Ordinarij Cancellarij simul sibi retinuisse.

§. X.

Annotationes in Catalogos à Centesimo usque ad ultimum Articulum.

IN Catalogo 101. ponitur Stephanus Radeczius Episcopus Vacziensis, ponatur Episcopus Varadiensis, posteà Agriensis.

Ibidem ponitur Stephanus Memminger Præses Cameræ Budensis, Anno 1531. Cum tamen Camera Budensis scribitur translata Posonium, jam fuit illius Præfectus.

In Catalogo 105. inter Magistros Tavernicorum antè Rolandum ponatur Dionysius qui hoc officio functus est anno 1225.

Item interponatur *Dominicus* Porch, qui hoc Officium gessit anno Christi 1300.

In Catalogo 107. interponatur Magistris Janitorum Regalium Michaël Orssak de Guth, & Paulus, filius Bani de Lindua.

In Catalogo 109. antè Dionysium ponatur Michaël M. Agazonum Regalium, & antè hunc adhuc Ludovicus Esterházi.

In Catalogo 110. ante Lewkeus ponatur Demetrius.

In Gatalogo 112. inter Comites Posonienses ponatur Demetrius 1225.

In Catalogo 117. Beatus Joannes Domini, ordine temporis præponendus est, Juliano Cardinali, & addendus Ægidius Cardinalis, ab Innocentio VI. ad Ludovicum Regem missus.

In Catalogo 118. fol. 233. in fine dicitur *Lodovicus I. proscripsisse Judæos è Regno*, addendum, qui tamen iterum his temporibus irrepserunt nonnullorum Magnatum conniventiâ in Regnum.

Ibidem fol. 234. dicitur Schismaticorum magnam partem esse, jam unitam Ecclesiæ Romanæ. Addendum sub Augustissimo Rege LEOPOLDO I.

Ibidem fol. 236. notatur à Lodovico Nicopolim captam esse, circà annum 1393, legendum circà annum 1363.

Ibidem in fine notatur annus 1468. legendum 1435.

Ibidem fol. 237. ſignatur Machometum obſediſſe Belgradum anno 1465. legendum 1494.

Ibidem ponitur Hatvaninum à noſtris eſſe receptum 1594.& Jaurinum 1492. primò loco legendum 1596. ſecundò verò 1598.

In Catalogo 121. fol. 242. lineâ duodecimâ ſignatur Albertus I. Ottocari filius, legendum Rudolphi I. filius.

Ibidem fol. 243. linea 6. *ponitur idem vigeſies Turcam in campo cædit.* Intelligendum eſt, id de toto ſui Regiminis tempore, quod fuit annorum 50.

Ibidem fol. 243. lin. 17. loco anni 1594. legendus eſt an. 1449.

Ibidem fol. 244. lineâ 5. pro anno 1553. legendum 1547.

Ibidem lineâ 24. anno 1605. die 6. Martij Bochkai pacem inijt cum Cæſare, addi poterit, quæ tamen primò anno ſequenti plenè coaluit.

In Catalogo 123. inter alios Prothonotarios Regni interponendus eſt Perilluſtris ac Generoſus Dominus Gabriel Tolvai; & addendum: Succeſsêre interim defunctis: Magnificus Dominus Franciſcus Klobuchichki, Præſentiæ Regiæ in Judicijs Locumtenens. Magnificus Dominus Joannes Pinyei, Vice-Palatinus. Perilluſtris ac Generoſus Dominus Franciſcus Heveneſy, Regni Prothonotarius.

In Catalogo 124. legitur Stephanus Epiſcopus à Bela IV. ad Cœleſtium II. legendum: ad Cœleſtinum IV. Pontificem.

Ibidem Joannes Viteſius Epiſcopus Varadienſis ad Ferdinandum Cæſarem, legendum ad Fridericum Cæſarem. Licèt verò in Catalogo Epiſcoporum Varadienſium non ſit illius cognomen expreſſum, eſt tamen ille ipſe, qui ibidem ponitur Joannes VII.

Ibidem ponitur Andreas Duitius, Epiſcopus Quinque-Eccleſienſis, & in Catalogo Tininienſium Epiſcoporum vocatur Andreas Budetius, legendum ubiquè meliùs Duditius.

Ibidem Pazmannus fuiſſe Legatus ad Urbanum VII. legendum ad Urbanum VIII.

FINIS.

Sunt præterea nonnulli Errores Typographici, præsertim in Numeris, in prima Dissertatione Paralipomenonica, qui sic erunt corrigendi:

Pagina.	*Linea.*	*Errata.*	*Correcta.*
2.	29.	2200.	1200.
3.	19.	1453.	1458.
Ibidem	28.	1427.	1527.
4.	8.	1188.	1138.
12.	9.	1549.	1594.
Ibidem	penulti.	1422.	1472.
20.	20.	1663.	1664.
51.	29.	1471.	1550.
66.	28.	1685.	1675.
73.	30.	1414.	1514.
75.	2.	Petrus II.	Petrus I.
76.	35.	1388.	1588.
Ibidem	22.	1356.	1368.
Ibidem	17.	1356.	1456.
77.	22.	1102.	1240.
Ibidem	23.	1222.	1242.
Ibidem	30.	ad Clementem IIII.	VII.

Pagina.	*Linea.*	*Errata.*	*Correcta.*
78.	5.	1687.	1587.
79.	28.	Franciſcus II.	Franciſcus.
83.	10.	1171.	1271.
Ibidem	14.	1201.	1291.
87	15.	Caſſanenſis.	Caſſinenſis.
91.	5.	patet	paret
93.	33.	1482.	1422.
94.	26.	1315.	1495.
95.	ultima.	238.	1350.
107.	8.	2170.	1170.
138.	5.	11319.	1319.
140.	27.	1564.	1563.
ibidem	ſequenti	1580.	1572.
143.	penult.	Simedia.	Semidia.
145.	2.	Annatarum	Annatarùm.
146.	8.	§ 8.	§ 9.
168.	antepen.	Presbyter	Præsbyter.
151.	17.	Galbum	Gabinum.

Item

Pagina.	*Linea.*	*Errata.*	*Correcta.*
169.	2.	1440.	1450.
Ibidem	19.	1472.	1570.
189.	13.	2560.	1558.
Ibidem	17.	1671.	1571.
196	10.	1240.	1204.
198.	36.	1224.	1239.

Pagina.	*Linea.*	*Errata.*	*Correcta.*
215.	5.	Locũtenentis	Locumtentes
217.	10.	Curæ Rege	Curiæ Regiæ
222.	23.	1448.	1444.
Ibidem	25.	1449.	1459.
223.	33.	1412.	1512.
240.	21.	11030.	1130.

Item in Catalogo XVI. hujus Continuationis *pag.* 34. *lineâ* 21. *loco* Georgius *lege* Franciſcus

Et in annotationibus ad Catalogum 79. ubi eſt PP. Franciſcanos *lege* PP. Dominicanos, quarum promulgator erat Tetzelius.



Anno

NB. Primò. Paginâ 168. primæ Dissertationis Paralipomenonicæ Rerum memorabilium in Hungaria, posueram Sacrum Ordinem SS. Trinitatis de Redemptione Captivorum institutum fuisse Anno Christi 1195. & confirmatum ab Innocentio III. Anno 1208. & rursus Anno 1240. secutus hoc in puncto, alios Chronologos. Nunc autem edoceor, ex ipsis Bullis Pontificijs Sacrum hunc Ordinem jam Anno 1185. non tantùm institutum fuisse, sed & confirmatum sub propria Regula & Generali, ut patet ex Bulla ejusdem Innocentij III. quæ incipit *operante Divinæ dispositionis clementiâ.* Et quia constat ex alia Bulla ejusdem Innocentij III. S. Joannem de Mattha fuisse Legatum Pontificium, ad *Vulcanum* Regem Dalmatiæ & Diocleæ, atque Concilio Provinciali eorundem Regnorum, Anno 1199. in causa reformandæ Ecclesiasticæ disciplinæ celebrato, præsedisse, in eóque eximiam suam operam præstitisse, adeò ut meruerit dici Apostolus Dalmatiæ & Diocleæ, ideò jure optimo Catalogo Sanctorum Coronæ Hungaricæ adnumerandus est. Quod censendum est, etiam de S. Felice Valesio, altero Confundatore. Tum quia etiam is complures suos Socios in Dalmatiam expedivit, uti S. Joannes de Mattha in Hungariam, ad promovendam Fidem Catholicam. Tum quia is per lineam Maternam, Regio Hungariæ sanguini junctus fuit, uti luculentissimè demonstrat R. P. Didacus à JESU Chronista Generalis ejusdem Sacri Ordinis.

NB. Secundò. Eâdem paginâ solùm generatim dixeram. RR. PP. Carmelitas Calceatos seu Elianos, olim etiam in Hungaria habitâsse, ut colligit Cardinalis Pazmannus ex Bulla quadam Papali, Anno 1434. scripta, & in Capitulo Strigoniensi asservata. Nunc specifico etiam Conventus, quos hic Sacer Ordo habuit in Hungaria, qui fuêre: Conventus Budæ Anno 1377. In Civitate Priebidiensi 1426. In Eperiesiensi 1431. Quinque Ecclesijs 1430. & desacto Anno 1688. accepit novam Residentiam in Civitate Alba-Regalensi.

DISSERTATIO III.

VIRIDARIUM PHILOSOPHICUM.

SEU

DISSERTATIO

PHYSICA CURIOSA.

DE PLANTIS.



Uantam ſenſibus adferat oblectationem, ac voluptatem, amœnitas hortorum, viror pratorum, fructuum ſvavitas, florum fragrantiſſimi odoris, ac exquiſitiſſimi coloris tanta diverſitas, ſylvarum opacitas, arborum tam eximia proceritas, átque innumerabilium plantarum, tam admirabilis virtutis, naturæ, & efficaciæ varietas, nemo eſt, qui ignoret. Verùm longè major eſt ea, quam ex his capit, rectâ Philoſophiâ imbutus animus, ac intellectus; ſingulorum ex ſupradictis, naturam & proprietates rimando, omnium effectuum, quos in ijſdem cernimus, cauſas inveſtigando, aſſignando, & ad certa principia cunctas quæſtiones, quæ in hac materia moveri poſſent, reducendo. Quod ut aſſequamur ſit.

§ I.

Quædam hunc in finem præmittuntur.

PRæmitto 1. *Herbas omnes, arbores, ac univerſas plantas eſſe animatas, animâ vegetativâ.* Habent ſiquidem potentias, & operationes animæ vegetativæ. Nam potentiæ animæ vegetativæ, præcipuæ ſunt duæ: nutritiva ſcilicet, & generativa: illa eſt, quâ vivens convertit ali-

 mentum

mentum in suam substantiam, sicque seipsam intrinsecè auget. Hæc verò est, quâ vivens superfluas alimenti partes secernit in semen, ut ex eo sibi similem generet. Rursùs nutritiva quadrifariam dividitur; alia enim est attractiva, per quam alimentum in varias corporis partes attrahitur; alia retentiva, per quam alimentum attractum in vivente retinetur; alia expulsiva, per quam excrementa, & ea, quæ superflua sunt, & incommoda viventi adferre possunt, foras pelluntur: alia digestiva, seu conversiva, per quam alimenta alterantur, & ad recipiendam formam proximè disponuntur. Operationes verò animæ vegetativæ sunt: nutriri, crescere per intro susceptionem, adolescere, aliæque his similes. Hæc autem omnia conveniunt omnibus herbis, arboribus, ac universis plantis. Habent siquidem virtutem, quâ succus alimentitius sugitur, seu attrahitur, percollatur, excoquitur, átque per diversas partes corporis, distribuitur, ac concrescit: habent quóque virtutem generativam, seu propagativam, per plantationes, sationes, insitiones, germinationes, sed nec deest ijsdem corporis organizatio, ad hanc enim pertinet talis fibrarum plexus, ductus, laxitas, pressio, nodus, & id genus alia: actu quóque nutriuntur, crescunt per intro susceptionem succi, & adolescunt. Igitur animâ vegetativâ sunt animatæ.

Præmitto 2. *Quòd omnis planta constet Materiâ, & Formâ.* In omni siquidem planta dantur generationes, & corruptiones, adeóque & transmutationes ex uno sensibili, ad aliud verum sensibile. Ergo datur in plantis commune subjectum, hujus generationis, corruptionis, & transmutationis. Hoc autem est Materia: id verò quod generatur, & corrumpitur, seu transit de non esse, ad esse per generationem, & de esse ad non esse per corruptionem, in eodem subjecto, est Forma, quæ dat rei esse. Igitur omnis planta constat Materiâ, & Formâ.

Præmitto 3. *Hanc Formam Plantarum, esse ipsam animam vegetativam, seu potentiam, & principium nutritionis, & generationis, aliarúmque operationum ad nutritionem, & generationem earum pertinentium.* Planta enim est corpus vegetans. Igitur Forma illius alia non est, quàm ipsa anima vegetans.

Præmitto 4. Unicam duntaxat Formam esse in Plantis, (substantialem intellige) hæc enim sola sufficit ad omnes plantæ vegetativas operationes, etiam diversissimas, ut sunt in ramis, folijs, floribus, fructibus, ac reliquis ejusdem partibus, nec ullæ aliæ partiales formæ substantiales, ad id requiruntur.

Præmitto 5. *Materiam, seu subjectum Formarum omnis plantæ, esse*
corpus

corpus organicum. Nam cùm Forma plantæ, sit ipsa anima vegetans, & hæc, cum sola prima materia suas operationes exercere non possit, necessariò requirit, ut sit organizata, hoc est: talibus organis constans, per quæ ipsa alimentitium succum sugat, vel trahat, distribuat, excoquat, alteret, átque in suam substantiam convertat, reliquásque operationes vegetativas exerceat.

Præmitto 6. *Præcipuum alimentum, seu nutrimentum Plantarum esse succum, eúmque variô modô alteratum juxta varietatem miscibilium, sed præsertim dispositionis terræ, ex qua is sugitur.*

Præmitto 7. *Formas Plantarum esse singulas, in singulis plantis, singulæ námque plantæ, faciunt diversa composita substantialia.*

Præmitto 8. *Aliquas Formas Plantarum, specie esse inter se diversas.* Quis enim negabit, magis differre cerasum, vel prunum, à pyro, quàm unam pyrum ab altera pyro? sed hæ differunt numero tantùm. Ergò priores differunt specie.

Præmitto 9. *Diversas species Formarum in plantis, diversas specie exigentias naturales habere.* Res per se patet. Hæ enim exigentiæ diversæ, sunt ipsæ specificæ differentiæ Formarum: Porrò hæ exigentiæ sunt simul ad tales specie organizationes, ad tales fibrarum plexus, nodos, ac naturæ suæ convenientes proprietates.

Præmitto 10. Unamquamvis plantam, sive in radice, sive in semine, sive in surculo, sive in bulbo, aut nucleo, intendere à natura generationem, & propagationem sui generis, & speciei plantæ.

Præmitto 11. *Omnes plantas præter Materiam, & Formam, insuper ex miscibilibus constare.* Patet id ex plantarum resolutione, quæ fit per expressionem, distillationem, calcinationem, aliósque his similes modos. Porrò hæc Miscibilia, alia sunt proxima, alia remota. Proxima sunt: Sal, Mercurius, & Sulphur, nota Chymicis nomina. Remota verò Elementa, quæ omnibus mixtis, adeóque & plantis insunt, non quidem formaliter sive actu, sed virtute & potentiâ. Et quidem proxima miscibilia diversa sunt in diversis plantis, cùm diversi sint partium plexus, hinc diversi succi, diversi quóque cineres, ac sales, iique diversarum virtutum, ac proprietatum, ex ijs exprimuntur. Sed & in remotis miscibilibus reperitur hæc diversitas. Nam aliquæ plantæ magìs, vel minùs igneæ, vel aëreæ, vel aqueæ sunt. Hinc etiam tanta diversitas in primis qualitatibus, calore scilicet, frigore, humiditate, & siccitate: sicuti & in qualitatibus secundis, odore nempe, colore, & sapore, aliísque effectibus primarum qualitatum. Calor enim rarefacit, frigus condensat, humor laxat, & subigit, siccum indurat.

Præmitto 12. *Diversas esse partes in planta.* Nempe aliæ sunt componentes, ut truncus, & radix; aliæ perficientes, ac integrantes ut rami, aliæ speciem servantes, ut fructus cum semine, aliæ denique defendentes, ut Cortex, spinæ, putamen. De singulis agemus ordine sequenti.

§ II.

Explicantur, quæ ad radicem pertinent.

1. Nulla *est planta, quæ radicem non habeat.* Quia cum sit corpus vegetans, vegetari utique debet, hæc autem vegetatio in plantis aliter fieri non potest, quàm per alimentitij succi è terra attractionem, quæ mediante radice fit. 2. *Radix plantarum porosa est.* Ut scilicet ijs poris succus alimentitius sugatur, vel traducatur in plantam. 3. *Radix plantarum mollior est.* Tum quia humore terræ dividitur, tum quia spongiosæ est substantiæ, & laxiores poros habet, qui humorem facilè recipiunt, humoris autem attactus mollitiem inducit. 4. *Verùm pars extrema radicis adhuc teuuior, & mollior est, reliquo corpore radicis.* Quia ex recenti succo, quasi coagulatur, & concrescit. 5. *Non tantùm ab extrema parte radicis, sed à toto radicis segmento, alimentum plantarum sugitur.* Alioquin enim radix in longum non cresceret. 6. *Radix, ut plurimùm in mucronem, seu cornu abit.* Quia superior pars diutiùs nutritur, ideóque plùs alimenti participat; & consequenter in majorem molem excrescit. 7. *Aliquæ radices longiores sunt.* Quia fibris rectis constant, quæ in longum duntaxat producuntur. 8. *Ipsæ quóque radices suos ramúsculos (qui radicis capillitium nuncupantur) habent.* Imò his, quasi venis alimentum sugunt, quod dein in reliqua parte radicis præparant. 9 *Radix spongiosa, major esse solet, quàm siccior, & durior.* Cum plùs succi alimentitii, per laxiores poros trahat. 10. *Radix innumeris fibris constat.* Quæ deinde in caudicis & trunci fibras ducuntur, imò & multiplicantur, & hæ deinde in ramos, & folia. 11. *Aliquæ radices plantarum, multis quasi tuberibus distinctæ sunt.* Sunt enim hæc veluti totidem receptacula, asservando alimento destinata. 12. *Si radicem terra non tegat, arbor ægrotat.* Quia constituta radix sic, induratur, & arescit, consequenter ad sugendum succum, quo arbor nutritur, redditur inepta.

§ III.

§ III.

Explicantur quæ ad Bulbos, Caudicem, & Caulem Plantarum pertinent.

1. *Bulbus est quasi integra planta.* Ex qua deinde Caulis assurgit, cum flore & germine. 2. *Bulbus flores ut plurimùm germinat.* Nam cæteræ plantæ, ex nucleis, seminibus, surculis, & radicibus prodeunt. 3. *Bulbus magnam vim succi alimentitij inter membranas servat.* Qui deinde à caule sugitur. 4. *Hinc Bulbus postquàm germinavit, minuitur.* Quia succus, quo priùs turgebat, in caulem abit, & semen. 5. *Caudex antequàm lignescat, herbescente quâdam portione constat.* Molliore scilicet, & recenter coagulari succi plenâ. 6. *Hic verò est coloris viridis.* Quia color à copia humoris procedit, unde lætiora gramina, quæ plùs humoris habent, magìs virescunt. 7. *Quidam Caudices cavi sunt, ut in tritico, & arundine, ac cæpis videre est.* Cùm in his non ex medio nodo, sed ex ejusdem nodi lateribus, ducantur sursum fibræ, unde necessariò cavitas illa sequitur. 8. *In Caule, qui in Bulbo procedit, non sunt nodi, cùm tamen sint in calamo, qui ex radice procedit.* Quia nodus resultat ex materia congesta, & duriore, vel pressiore fibrarum plexu, seu decussatione. Atqui in Bulbo materia succi defœcatur, succus verò qui per radicem attrahitur ex terra, multùm cruditatis habet. Igitur hic aptam pro nodo materiam præstat, non item ille. 9. *Si vertex Caudicis decidatur, crassior truncus fit.* Quia materia pro continuatione Caudicis destinata, alijs partibus cædit. 10. *Trunci figura saltem ut plurimùm est cylindrica.* Quia ut plurimùm, ex primo umbilico, vel nodo radicis, fibræ sursum rectà ducuntur, unde figura quasi cylindrica resultat. 11. *Arborum grandium, sæpè inanis, seu cavus est truncus.* Quia per medullam arbor crassiores humores, & halitus attrahit, ac subinde inter hos nimis crudos, & infectos, qui medullam, utpotè teneriorem, exedunt. 12. *Aliquæ arbores in altum crescunt, & vix in latum.* Quia calidiores sunt, & sic nutrimentum magìs alterant, ac protrudùnt, & poros habent sursum directos. 13. *Aliæ e contra in latum magìs crescunt, quàm in altum.* Quia calorem habent paucum, nutrimentum grave, & poros aliquos. Hinc mediô modò quæ se habent, crescunt in altum, & latum, debita cum proportione. 14. *Non tamen crescunt in immensum, esto eis alimentum non deficiat.* Quia ut alia viventia, sic & arbores suos terminos magnitudinis,

ac vitæ habent. 15. *Truncus ipse arboris varios intra se circulos habet.* Quia arbor singulis accessionibus copiosioribus incrementa sumit, atque sic pars alimenti una in lignum concrescit, sed dum desinit affluere novus humor, pars exterior à sole, vento, calore magìs induratur, & fit circulus, cùm autem novus humor iterùm accedit, eum circumfundit, & hic similiter in lignum concrescit, cúmque denuò desinit affluere, durescit ut priùs, & novus fit circulus, atque sic tertius quóque fit, ac reliqui. 16. *Unde aliqui conjiciunt ex circulis ætatem arboris.* Unicuiq; scilicet circulo, unum annum assignando. 17. *Quò autem sunt majores circuli in arbore præcisa, eò ferè sunt tenuiores in circumferentia.* Quia tantundem alimenti concrescit in circulum majorem, quantum in minorem: igitur, si est major circulus, peripheria seu circumferentia illius, debet esse tenuior, seu angustior. 19. *In quibusdam arboribus circuli trunculorum sunt confusi.* Quia substantia talium arborum, est nimis densa, unde circuli in ea vix discerni, ob densitatem possunt, à reliquo corpore trunci.

§ IV.

Explicantur, quæ ad Cortices, Medullam, & Ramos Plantarum, sed præsertim Arborum pertinent.

1. FInis *Corticis in Plantis est multiplex.* Duo tamen præcipui. Primus est, ut plantam vestiat, & ab exteriore aëris inclementia defendat: alter verò ut sit quasi solum, & fundamentum, in quo folia nascantur. 2. *Usus Corticis diversarum plantarum diversus est.* Ratione diversitatis Virtutis medicæ, colorum, saporum, ut patet in re Medica, Coriaria, Sutoria, Coquinaria, &c. 3. *Multi sunt in eadem planta cortices.* Nempe exterior ad instar cuticulæ, medius crassior ad instar corij, & intimus ad instar membranæ alicujus subtilioris, seu pelliculæ. 4. *Item, idem cortex in quibusdam plantis, in diversas quasi bracteolas scinditur.* Ut videre est, in arboribus humore subtiliore abundantibus. 5. *Cortex in quibusdam plantis, fibris rectis procedit.* Procedit hic ab annulo umbilicari per rectas fibras, sive in longum, humores per radicem attractos, naturâ protrudente. 6. *In alijs verò procedit fibris transversis.* Quia hic procedit solùm à principali fibra sursum ducta, sicque quasi in sutura minores illæ transversæ fibræ coëunt. 7. *Verno tempore, plantæ, suo cortice facilè spoliantur.* Propter uberem humorum affluxum,

qui

qui gluten illud diluit, & subigit, quò cortex ligno agglutinatur. 8. *Aliquarum arborum cortex spontè finditur.* Quia est durus, ut diduci non possit, itàque arbor dum crescit in crassitie illum rumpit, ut ipsa dilatetur. 9. *In alijs verò non rumpitur, sed manet continuus.* Quia est mollior, & sic dum arbor crescit in crassitie, solùm dilatatur. 10. *In arboribus cortex semel avulsus, non ampliùs recrescit.* Quia cortex nascitur, ex valde terreo humore, qui humor dilabitur, nisi ab alio exteriore cortice retineatur, cui deinde agglutinatur. 11. *Subinde supremo cortici scabies quædam adnascitur.* Procedit hæc à materia cruda, & indigesta, quæ cum percollari non possit, in tumorem abit. 12. *Annosus cortex, rugas agit.* Scilicet propter nimiam tensionem. 13. *Cortex plantarum virescit initio.* Propter uberem humorem. 14. *Vel nigrescit, vel albescit.* Nigrescit propter strias, albescit propter siccitatem, sicca siquidem albescere solent. 15. *Detracto cortice, arbor exarescit.* Quia extimo solis ardori, & ventis exposita arescunt, pars verò una alias inficit, & sic tota arbor exarescit. 16. *Arboris cortex, crassior est propè terram, quàm suprà.* Tùm, quia vetustior est propè terram, tum quia plùs materiæ participat pars illa, quæ prope terram est, quàm quæ superiùs est. 17. *Arboris cortex subindè ab olitoribus, per longum ultroneè finditur.* Nempe, ut sic arboris lignum magis dilatetur, & cum proportione, in altitudinem quóque meliùs crescat. 18. *Plantis inest sua medulla.* Quia hæc est veluti matrix reliquarum partium earundem. 19. *Huic verò maximè vis seminalis inest.* Ex ipsa siquidem non modò rami omnes, verùm etiam ipse fructus, & semina procedunt. 20. *In quibusdam est mollior cæteris partibus trunci.* Quia mollior, seu humidior pars materiæ, pro ea secernitur, duriore materiæ parte, in reliquum truncum abeunte. 21. *In alijs verò est durior medulla, reliquâ portione trunci.* Propter oppositam rationem. 22. *Hoc autem discrimen, à prima organizatione procedit.* Nam si circa nodi umbilicaris margines, fibrarum plexus laxior est, quàm circa meditullium, portio interior trunci rarior est, & mollior; exterior verò durior, quia plùs materiæ, & succi exteriori cedit, igitur pressior & durior evadit; secùs verò, si circa margines umbilici, plexus fibrarum pressior est. 23. *Plantæ, quæ magnam habent medullam, carent resinâ.* Quia ejusmodi plantæ, succum non probè percoquunt, utpotè, qui per spatiosam medullam percurrit, priusquam excoquatur; at verò resina multâ paratur coctione. 22. *Quædam arbores multorum sunt ramorum.* Quia multos poros in transversum habent, ut à medulla, quasi à centro, per radios in latera, nutrimentum spargatur. 22. *Quædam verò sunt paucorum*

rum ramorum. Harum enim pori, in longum procedunt, adeóque magis in altum tolluntur, sed minùs in latum per ramos extenduntur. 26. *Propè verticem arborum, rami sunt minores.* Quia minùs alimenti ad verticem pertingit. 27. *Sunt insuper & tenuiores.* Quia inferior antiquior est, igitur siccior & durior. 28. *Decussis ramis per putationem, arbores melius, in altum crescunt.* Quia sic partem illam alimenti, quam in ramos aliàs derivarent, sursum provehunt. 29. *Ramus aridus vicinos ramos etiam arefacit.* Quia in arente ramo humorum temperies viciata, alios etiam ramos, veluti quâdam contagione inficit, & sic arefacit. 30. *Omnis ferè ramus bifurcus est, seu bifidus.* Quia fibræ, per quas humor in ramos derivatur, propter congestam materiam, in nodum incurrunt, atque divaricantur. 31. *Ex principali trunco, hinc inde multi surculi erumpunt.* Turgescit enim coërcita materia in trunco, in gemmam, & hæc in surculum, & hic in ramum. 32. *Præter ramos alij surculi, qui & stolones dicuntur, tam ex ipso arboris trunco, quàm ex ramis prodeunt.* Qui itaque amputandi frequenter sunt. Nam & succum debitum ramis, ad se attrahunt, & arborem deformant, utpote cujus tota configuratio, ex divisione ramorum procedit. 33. *Aliquæ arbores statim initio magis sunt ramosæ, quàm aliæ.* Quia ex semine fæcundiore proveniunt, quò enim semen est fæcundius, eò plura initia ramorum habet, quæ processu temporis bene disposita, ducuntur in fibras, & hæ in ramos.

§ V.

Explicantur cuncta, quæ ad folia spectant.

1. F*olium est quasi nova planta, alteri adnascens.* Adhærent enim cortici, principalem fibram locò trunci habenti, alias verò laterales quasi totidem ramos. 2. *Hinc folium sponte etiam cadit.* Ubi scilicet fibra illa, quâ cortici jungitur, exsiccatur. 3. *Nascitur ut plurimùm ex cortice.* Tenuiori videlicet, atque viridi. 4. *Folium multo humore constat, eóque paulò negligentiùs præparato.* Hinc ex folijs succus facili pressione exprimitur. 5. *Hinc etiam est viride.* Viridis siquidem color, ex tali fundamento, nempe ex humore negligentiùs præparato, ac parùm à terreo segregato, procedit. 6. *Hinc quoque viride folium vix flammam concipit.* Ob copiam nempe humoris. 7. *Quædam arbores multò sunt foliô, paucô fructu.* Nam folia de crassiore, fructus de tenuiore humore procedunt. Quando igitur vel tantum est humidi, ut arbor digerere non possit, vel sol non accedit, qui humidum illud attenuet, folia

sola

ſola prodeunt. 8. *Folia naſcuntur propè fructus arborum.* Quia cum folia fiant ex humido crudo, admixtâ terreitate, & fructus ex ſicciori, ac puriore parte hujus materiæ, quæ humida ſunt, ſimul intra arboris truncum ſunt, & primò in exitu à ſe invicem ſeparantur, ideò non procul à ſe diſtant. 9. *Quomodo decidunt folia ex arboribus.* Deficiente ſcilicet ſucco in ipſo nodo. 10. *Sunt tamen aliqua, quæ nunquam decidunt, ut in Lauro, Buxo, Taxo.* Quia ſolidiore ac tenuiore ſubſtantiâ conſtant; hinc meliùs adhærent. 11. *Folia aliqua oblonga ſunt, ut in junco, arundine, tritico, &c.* Quia tunc fibræ in longum tantummodò porriguntur. 12. *Aliqua folia ſunt Ellypticæ formæ, ut in roſa.* Cùm nempe à principe fibra aliæ minores in tranſverſum replicantur. 13. *Sunt etiam folia, quorum extremus limbus denticulatus eſt.* Propter ſimilem fibrarum extenſionem, quod fit, quando per principalem fibram multùm humoris attrahitur, ut totus ille in longum extrudi non poſſit, tunc enim effundit ſe in latera, & fit folium multimembre. 14. *Aliquando autem folia, in mucronem deſinunt, è latiore baſi.* Senſim enim extenuantur fibræ. 15. *Quarundam arborum, ut ficuum, folia ſunt aſpera.* Quia earum humor eſt viſcoſior, & plùs de terreſtri admiſcet. 16. *Aliquarum arborum folia ſunt ſtricta, qualia ſunt in pinu.* Quia multa ijs ineſt viſcoſitas, & ſiccitas, atque ob hanc acuuntur. 17. *Aliquarum verò ſunt lata.* Utpote quibus multùm humidi, parùm viſcoſitatatis adeſt. Talia enim ſe facilè dilatant. 18. *Folia herbarum, plerúmque ſunt oblonga.* Quia ſunt vicina trunco, ex quo copioſum humorem hauriunt, cum calore, qui illa producit in longum. 19. *Folium in nonnullis plantis coſtam craſſiorem habet.* Quia multas, eáſque laxiores fibras habent, quas multus humor, quaſi coagulatus occupat. 20. *Aliquando folia ſtricta ſunt, ut in alno.* Quia ſunt nimiùm ſicca, unde facilè manu fricantur, vel teruntur. 21. *Aliquando verò ſunt criſpata, ut in lactucis, & braſſica.* Quia tranſverſæ fibræ minùs explicantur, hinc extremitates earum ferè ſtatim coëunt. 22 *Quædam plantæ ſimul fructus, ac folia producunt.* Quia tales plantæ, habent ſibi fortiter commixtas materias foliorum, & fructuum, ut à ſe non poſſint dividi, quin ſimul erumpant, & ſic in exitu primò ſeparantur. 23. *Non omnis arbor hyeme amittit folia.* Quia hujuſmodi arbores conſtant ſucco fortiore, & calidiore, qui frigori prævalet, & ab eo non adſtringitur, qui ſuccus ad folia quóque pervadit, eáque cortici per principalem fibram, firmiter adhæreſcere facit. 24. *Quædam plantæ pauca habent folia, & fructus.* Tales ſunt, quæ naturâ ſuâ ſunt frigidæ, exiguus proinde illarum calor, non eſt ſufficiens, ut ſuccum foliorum & fructuum, à ſucco arborum ſeparare

valeat, aut totum in folia, & fructus efformare. 25. *Quædam verò nec folia, nec fructus habent.* Hæ adhuc frigidiores sunt, & humiditatis crassissimæ, unde modicissimus earum calor, minùs adhuc valet separare materiam fructûs, ac foliorum à materia plantæ, sed omnia simul protrudit in stipitem. 26. *Quædam plantæ, citò folia proferunt.* Hæ scilicet, quæ humidum aqueum habent subtile. 27. *Hinc primo vere, statim folia producunt.* Quia subtilis ille humor, à modico calore elevatur. 28. *Aliqua autem, tardè producunt sua folia.* Ob contrariam rationem: quia crasso humore constant. 29. *Arborum folia, primùm in aquis natant, posteà merguntur.* Natant, quia diù illis inest aër, illorum humido aqueô, & terrestri fæculento illigatus, qui ubi evanescit, etiam ipsa merguntur, tunc enim residua terrestris materiæ pars prægravat. 30. *Unde autem est, tanta foliorum diversitas in plantis?* Provenit hæc tota, ex fibrarum plexu. 31. *Sed unde hic ipse diversus fibrarum plexus?* Ex diversa earundem fibrarum divisione, distractione, deductione, commissura, unione, ac nodorum efformatione. 32. *Verùm, hæc ipsa talis diversitas unde?* Tota hæc provenit, ex primo rudimento organizationis, quæ est in ipso umbilicari nodo, qui primò juxta naturam, & exigentiam seminis formatur in culmo; ex hujus enim dispositione, hoc, vel illô modô succus plantæ sugitur, præparatur, percolitur, deducitur, dividitur, &c. 33. *In quibusdam folijs, alia folia nascuntur, imò & flores.* Non enim omnia plantarum folia, præsertim herbarum, ex solo cortice procedunt, sed ex medulla, in tenuiore substantia. 34. *In arundine autem, ex singulis ferè nodis, nova folia nascuntur.* Quia in nodis illius, ita fibræ conveniunt, ac coëunt, ut quasi in alterum umbilicarem desinant annulum, ex quo, & cortex, & folia nova nascuntur. 35. *Folia plantarum, initiô viridia sunt.* Propter uberem humorem, & succum non bene percolatum. 36. *Posteà verò flavescunt, rubescunt, albescunt.* Quia humor ille, per decursum temporis avolat, & succus ille crudior subigitur, & maturescit. Quæ autem maturescunt, ea consequenter flavescunt, rubescunt, albescunt, ut videre est in pomis, cerasis, tritico, &c. 37. *Aliquando arborum folia, etiam ante maturitatem flavescunt.* Quia defecit alimentum, quod illa reddit viridia, siccitas autem albedinem inducit. Hinc in tilijs, flavescunt folia aliquorum ramorum, quoties siccitas productior est, & rursùs, ubi pluviæ, & irrigationes accesserunt, virorem accipiunt.

§ VI.

§ VI.

Explicantur, quæ ad flores pertinent.

1. FLores *constant ex multo humore.* Multus etenim humor, educitur ex floribus, tam per expressionem, quàm per distillationem. 2. *Hic porrò humor, est subtilior succus attractus, per radicem ex humo.* Ut constat ex accuratoriore percollatione. 3. *Hinc ipse humor, seu succus, habet aliquid de sicco, & calido.* Colligitur id ex odore, qui in calido, & sicco consistit. 4. *Unde verò halitus odoratus floribus?* Ascendit hic, ex succo tenui, probè percolato, & subacto. 5. *Hinc flores immaturi, gratum odorem nondum exhalant.* Quia in ijs, succus, nondum est satis extenuatus, & subactus, nec probè percolatus. 6. *Hinc flores, ordinariè non sunt virides.* Quia viror procedit ex crasso, ac putri aqueo humore, at verò in florem cadit pars subtilissima. 7. *Cur maximè prata tunc olent, cùm florent?* Quia tunc aperiuntur noduli florum, qui pleni sunt odoratâ exhalatione. 8. *Flores contusi, odorem mutant.* Quia tùm non solùm per poros, ut antè, sed etiam per vulnera exhalant, quod antè non fiebat, per vulnera autem, diversus odor effluit. 9. *Cur flores aperiuntur?* Quia & turgens germen illos discerpit, & inclusi halitus inflant. 10. *Hinc, necdum satis aperti, etiam flatu oris diducuntur.* Verùm hæc diductio, illis est violenta. 11. *Aliqui flores verò, ut rosa, & alij, noctu magis aperiuntur.* Quia tales flores, lunari humore, magìs noctu turgent, quos de die sol siccat, ac maturat. 12. *Quidam flores, non nisi in calidis regionibus, vel calido tempore olent.* Quia succum habent crassiorem, seu minùs tenuem, qui proindè parvo calore, digeri non potest. 13. *In quibusdam partibus, sæpiùs florent plantæ.* Hoc ideò evenit, quòd in illis partibus, magnæ pluviæ, sed per intervalla magna decidunt, ideò priorem humorem digerunt plantæ in flores, & cùm eum digesserint, advenit secundus, & hunc etiam digerunt. 14. *Cur ficus, nullos flores producat.* Quia caret materiâ subtili, est siquidem ejus humor viscosus valdè, ita, ut non sinat se resolvi, & subtiliores partes succi, à crassioribus separari. 15. *Nonnulli flores, semen non edunt, ut in salice.* Quia seminalis ejus portio, tali substantiæ admixta est, unde salix, non ex sola radice crescit, sed ex quovis surculo, terræ bene dispositæ imposito. 16. *Imò flores duplicati, carent ut plurimùm semine.* Quia portio materiæ semini destinatæ, abit in florum multiplicationem, & abundantiam. 17. *Hinc flores simplices, fœcundiores.* Ob contrariam rationem, potiore parte ma-

teriæ, vergente in semen. 18. *Unde fit tam varia conformatio florum?* Non aliunde, quàm ex vario fibrarum minutissimarum plexu, ac ductu, quarum aliæ in longum exporriguntur, aliæ in hemisphærium feruntur, aliæ in denticulos acuuntur, aliæ in capillitium, seu stamina producuntur, seu in floccos disperguntur. 19. *Porrò quadruplex est florum portio, seu substantia.* Nempe unguis, folia, stamina, flocci. 20. *Singulæ hæ partes florum, à diversis plantæ partibus procedunt.* Unguis quidem, ex cortice caulis; folia, ex ipsa fructûs substantia, vel caudicis; stamina, ex ipsa theca; vel membranula, quæ semen tegit. Flocci verò, ex ipso semine, vel interiore caulis medullâ procedunt. 21. *Folium floris, plùs habet succi in infima sui parte, minùs verò in suprema.* Quia in superiore sui parte, succum habet præparatiorem, & magìs percolatum, adeóque tenuiorem, & consequenter non tam copiosum. 22. *Hinc color florum in summitatibus, pulchrior, ac elegantior.* Ut videre est in rosis, & cariophylis. 23. *In aliquibus tamen floribus, stamina, cum floccis; in alijs, unguis, cum folio confunditur.* Prioris exemplum est in rosis, alterius in lilijs. 24. *In nonnullis sunt stamina, non flocci, ut in cariophylis; in alijs flocci non stamina, ut in rosis; in alijs stamina, & flocci, ut in lilijs; in alijs denique utrumque deest.* Provenit id ex majori succi copia, aptiori pro parte floris una, quàm altera. 25. *In aliquibus floribus, foliorum inflexio est aversa, in aliquibus autem adversa.* Provenit hæc incurvatio foliorum floris, à siccitate, vel rarefactione principalis fibræ: Nam si exterior costa fibræ intumescat, interior verò sit plana, vel aliquantùm striata, haud dubiè foliolum introrsùm incurvabitur; secùs verò, si costa fibræ interior, sit turgida, & plena. 26. *Cur è floribus mel colligitur?* Quia cùm floris materia, sit subtile humidum, terrestri mixtum; ex eo effluit quoddam subtile aqueum, bene decoctum, quod apes colligunt, & alvearibus important, sicque mel conficiunt. 27. *Cur primò post florem, fructus sequantur?* Quia, cùm materia floris sit subtilior, quàm fructuum, ideò ea faciliùs (calore solis etiam adjuvante) attrahitur, hanc deinde sequitur materia fructuum, quæ est ex humido crasso, quod tardiùs elevatur, & tandem calore solis digeritur. 28. *Prodeuntibus fructibus, flores ex arboribus decidunt.* Quia invalescente calore, humido terrestre magìs admiscetur, quod est materia fructuum, & sic alimentum florum deficit, ac subtrahitur, ideóque decidunt. 29. *Cur nulli flores sunt virides.* Quia flos, ex subtili succo oritur, viridis verò in plantis, provenit ex crasso aqueo indigesto, quod terrestri fœculento supernatat. 30. *Cur verò nulli flores sunt nigri?* Quia nigredo ex crasso terrestri combusto oritur, quod non est materia

teria florum. 31. *Cur autem ut plurimùm sunt albi: aliqui cærulei, alij flavi, alij rubri? Albi* sunt, quibus non plùs terrei inest, quàm sufficit ad terminandum humidum, quod in ijs inest perspicuum. *Cærulei* fiunt, in quibus lucidô humidô terminato, supernatat terrestris succus. *Flavi*, in quibus est pars lucida aquea subtilis, & terra terminans aqueum, & alia terrea adusta, prædictis supernatans. *Rubri*, in quibus aqueo, & terreo, supernatat terreum incensum. Verùm plura de florum coloribus, alibi dedimus, uti & de inductione variorum colorum exoticorum in flores per artem.

§ VII.

Explicantur ea, quæ pertinent ad fructus Plantarum.

1. F*Ructus, quatenus terram complectitur, est ultimum plantæ opus.* Hic enim est ejusdem ultimus finis, uti habetur Genes. 1. v. 11. & 12. *Germinabit terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum, juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram.* 2. *Variæ sunt partes fructûs, ex quibus is integratur.* Habet enim corticem, carnem, seu pulpam, succum, membranas, nucleum, putamen, & communem peciolum, ac semen. 3. *Singulæ ferè hæ partes, habent singulares origines.* Cortex siquidem fructûs, ex cortice ligni, seu plantæ derivatur; caro, ex ipso ligni, seu plantæ trunco; semen, ex medulla. 4. *Cortex fructuum, varij est coloris.* Pro diverso nempe maturitatis gradu. 5. *Hinc fructus sunt virides, antequam maturescant.* Quia fructus immaturi, multô aqueô, & crudô adhuc abundant. 6. *Hinc poma, matura rubent, & flavent.* Nam in ijs humidum aqueum, mixtum terrestri indigesto, inflammatur, & ad exteriores partes propellitur, & sic rubescunt: Flavus autem color fit, cùm terrestre subtile decoctum, natare in humido, instar bilis, & respergere humidum incipit. 7. *Hinc fructus immaturi, pleni sunt succo.* Utpote crassiore, & necdum bene excocto. 8. *Hinc fructus maturi tenuiores.* Quia calor, qui maturat, successu temporis, humorem attenuat. 9. *Hinc fructus immaturi, sunt duriores.* Ob crassitiem scilicet humoris, quô abundant, quem calor necdum extenuavit. 10. *Hinc fructus maturi molliores.* Quia succus eorum probè excoctus est, & bene subactus, ac percolatus. 11. *Aliqui fructus, ubi ad maturitatem pervenerint, albescunt.* In quibus succus ille percolatus, quasi in spumam coagulatur. 12. *In nonnullis fructibus, caro, seu pulpa durior est. ut in piris, & prunis.* Quia succus eorum, strictissimis continetur fibris.

bris. 13. *In alijs verò, ut in uva, cerasis, ficu, aureo malo, mollior.* Ob contrariam nempe rationem, quia succus illorum, laxissimis continetur fibris. 14. *Quibusdam pyris, duræ quædam insunt particulæ.* Pyrum enim, halitus amat siccos, adeoque etiam saxosos non respuit, qui intra fructus durescunt. 15. *Hinc qui ab hac duritie, fructus volunt esse liberos, circa radicem arboris, terram crebrò ab omni lapillo resolvunt.* Succus nâmque, qui ab arboribus attrahitur, accommodat se terræ, ex qua exsugitur. 16. *E quibusdam arboribus, decidunt immaturi fructus.* Quæ nimirùm, nimiùm calent. Calor enim pedem fructûs exsiccat, & nimis citò maturat. Vel verò ita parùm alimenti habent, ut fructus fame langueat, ac tandem moriatur. 17. *Juniores arbores, sæpiùs quàm antiquæ, proferunt fructus vermiculosos.* Quia sunt magis porosæ, & teneræ; sícque attrahunt plùs alimenti, quàm possint digerere, sícque humor ille superfluus putrescit, & in vermes convertitur. 18. *Cur verò maturi fructus, ex arboribus decidant?* Quia sensim arbor, minùs attrahit de humore, cùm tamen interim calor augeatur, sícque inducitur siccitas, & petiolum fructûs arefacit, qui arefactus rumpitur, & ab arbore avellitur fructus, ac decidit, 19. *Cur salix, non habet fructus, sicut neque populus?* Quia non habent pinguem humorem, nec subtilem, ideò folia habent sine flore, & fructibus. 20. *Fructus plantarum, ut plurimùm ad rotunditatem accedunt.* Quia ex centro alimentum fructûs adductum, ex planta æquè sol diffundit, 21. *Quô tamen non obstante, in tritico, siligine, &c. in longum protenditur.* A sole enim, cui magis patent, extenditur, & protrahitur. 22. *Aliquæ plantæ, & arbores, non omni anno fructificant.* Quia non singulis annis, possunt attrahere tantùm succi, quod sufficiat sibi, & fructui, estò pro floribus attraxerint subtiliorem succum. 23. *Aliqui fructus in conoidem abeunt, hoc est magis se in longum diffundunt, quàm in latum, ut palma, & oliva.* Propter semen, & nucleum òblongum, quibus se quòad pulpam conformant. 24. *Aliqui abeunt in conum, quamvis imperfectum, ut pyra.* Quia fibræ, versùs pedunculum, utpote sicciores, non adeò laxantur, nec laxari possunt, & sic succo non turgescunt, nisi versùs oppositam partem. 25. *Quidam fructus quibusdam lineis, in exteriori superficie distincti sunt, ut pepo, cucurbita, &c.* Quia cùm fibræ illorum laterales, quæ inter sese invicem committuntur, uberem materiam suppeditent, aliquantulum intumescunt, ac sic indurescunt, unde illæ striæ.

§. VIII.

§ VIII.

Explicantur, quæ pertinent ad semina plantarum.

1. S*Emen est ultimus plantæ fœtus.* In illud siquidem ultimæ, ac intimæ plantarum fibræ desinunt, ac terminantur. 2 *Semina plantarum, ut plurimùm sunt nigra.* Quia ne vis illorum dilabatur, induuntur cortice, qui, ut solidior sit, multum habet terrei adusti; adeóque est nigrum. 3. *Aliqua tamen semina, ut in cucumeribus, cucurbitis, & peponibus communibus, sunt alba.* Quia in his calor est modicissimus, unde & semina parùm calent. 4. *Ast in melioribus, quos Græcos pepones vocant, sunt vicissim nigra, saltèm aliqua, si non omnia.* Quia hi, id quod modicum caloris habent, totum in semen derivant, unde quò ad ipsam carnem, seu pulpam, sunt frigidissimi. 5. *Semen plantarum immaturum, mollius est.* Quia plenum est succo aqueo, cujus partes necdum sunt siccitate induratæ. 6 *At verò maturum, durius est.* Quia pleniùs oleo, atque pinguedine arboris, cujus partes per maturitatem, magìs induruerunt. 7. *In arboribus tamen, nucleus est albus plerúmque.* Hic enim color, omni spermaticæ competit, hic verò ex medulla alba ortum ducit. 8. *Ex seminibus plantarum, potissimùm oleum educitur.* Abundat siquidem succo pingui, qui nucleo inest. 9. *Semina non germinant, si aquâ calidâ irrorentur.* Quia calorem, qui est in semine, calor aquæ foras evocat, & sic semen sterile manet. 10 *Cur aliqua semina, tota conduntur terris, arborum verò, solâ radice?* Duriora cortice semina, tota clauduntur terris, ad hoc siquidem ut germinent, opus est, ut durities illa solvatur, hôc autem nec arbores, nec alia fructuum genera egent. 11. *Cur quædam arbores, multô præditæ sunt semine, aliæ pauco?* Illæ etenim multô semine turgent, quæ multùm succi optimi elaborati habent, istæ verò minimùm. Fæcunditas námque optimam constitutionem sequitur, sterilitas pessimam. 12. *Cur quædam plantæ succum suum induunt cortice duro, aliæ non?* Quia medulla illarum, lapidosum fugit, aut magis crudum; harum verò minùs crudum. 13. *Quarundam plantarum partes, ut in salice, & ficubus videre est, terræ insitæ, germinant.* Quia tales plantæ, per omnes sui partes, vim seminalem habent: Ejusmodi autem sunt, quæ crudo contentæ sunt. 14. *Quædam semina, post insitionem conculcantur.* Ne si his mollior terra incumbat, vis eorum, in auras evolet; jam verò, si terra densior sit super semen, vis seminalis illorum reprimitur, ac vigoratur, ut germinet. 15. *Quædam in umbra meliùs servantur.* Talia

lia sunt naturæ frigidæ, unde à calore solis enecantur. 16. *Cur quædam plantæ proveniant ex semine, & ex surculis, & ex radice?* Quia in talibus, vis seminalis ubique dispersa est, cùm tamen in illis, quæ ex semine tantùm crescunt, vis sementiva, loco uni illigata sit. 17 *Semina plantarum maximè sunt oleosa.* Unde ex seminibus plurimùm olei exprimitur. Cur autem sint talia? Ratio est: quia semen, partibus subtilissimis terreis constat, continet etiam multum aërem, cùm sit valde spiritosum; constat enim humido, & calido; pinguedo autem fit, ex horum commixtione. Ergo. 18. *Semina tritici, & alia quædam, sunt quasi in duas partes divisa.* Quia semina ejusmodi, habent geminatam virtutem, ideò terræ insita, duplex folium emittunt. 19. *Unde in seminibus diversitas colorum?* Albus in eis est color, quæ sunt multùm aquea minúsque digesta calore: Rubeus color, fit ante nigredinem, scilicet, antequam major fiat adustio, quia jam modica esse cœpit; Niger demùm color, subsequitur magis intensam, ejusdem seminis adustionem. 20. *Plantarum semina, verè vivunt, seu animâ vegetativâ sunt animata.* Reverà enim nutriuntur, & crescunt, talémque organizationem acquirunt, ab intrinseco, seu per intro susceptionem. 21. *Quòd verum est, non solùm dum ipsi plantæ adhærent, sed etiam dum decidunt, pro aliquo tempore.* Nam rursùs, post aliquod tempus terræ mandata, augescunt, dilatantur, crescunt, & radices agunt. 22. *Hæc porro seminalis vis, non est in toto nucleo, v.g. glandis, nucis, pomorum.* Est enim sola particula illa, quæ inter ipsam glandem, aut continetur, aut corticulâ, & putamine tegitur. Hinc dum semina, terræ conduntur, putamina hæc resolvuntur, & in aërem, vel terram rejiciuntur. 23. *Hinc formicæ corculum illud tritici, rodunt.* Ne granum importatum in cumulum, germinet. 24. *Hinc modò illa portio, cui germen inest, maneat integra, licèt reliquum seminis vitiatum sit, sequitur germinatio.* 25. *Hoc igitur insensibile germen, calore solis excitatum, sursum, & deorsum germinat, & auctum alimento crescit, virésque crescendo, cum ipso alimento auget.* Mox siquidem geminatam radicem mittit, ac figit, cujus ope postea alimentum ex terra sugit. 36. *Varia est seminum figura, & fabrica.* Nàm in alijs est sphærica, seu rotunda, ut in pisis, milio, papavere; vel lenticularis, ut in lente; vel conoidica, ut in oliva, pino, vel Ellyptico-lenticularis, ut in pomo, pyro, pepone, cerasis, pruno; vel irregularis, ut in nuce juglante, armenico, faba, &c. 27. *Sed unde hæc ipsa varietas figurarum?* Earum utique ratio non aliunde petitur, quàm ab ipso fibrarum spermaticarum egressu, ductu, & plexu. 28. *Hæc ipsa varietas fibrarum operativarum, quò ad egressum ductûs, & plexûs, unde?* Ab uniuscujúsque

cujúsque plantæ, propriâ suâ specie. Semen siquidem est quasi proles plantæ illius, cujus est semen, in quam ultimæ fibræ parentis plantæ desinunt, ejusdem speciei cum parente, hoc est talis naturæ, ut in plantam omnino similem excrescat.

§ IX.

Modus, quô plantæ generantur, & propagantur, pullulant, crescunt, & adolescunt.

1. PLantas nutriri certum est. In hunc finem siquidem succum è terra sugunt, per modum alimenti, eúmque in substantiam sui convertunt. 2. *Hinc clarum est, omnibus plantis potentiam nutritivam inesse.* Ab actu siquidem ad potentiam valet illatio. 3. *Hæc ipsa potentia nutritiva in plantis, plures in se virtualiter potentias continet.* Quibus scilicet succus sugitur, excoquitur, percollatur, distribuitur, condensatur, & concrescit, superfluum verò expellitur, & extruditur. 4. *Hoc porrò principium, tam diversarum operationum, est ipsa forma plantæ.* Nam & in alijs compositis physicis, operationes, quæ in ijs reperiuntur, formis adscribuntur, átque proprietates omnes earum exigentiæ. 5. *Insunt præterea cuíque plantæ, primæ qualitates.* Calor videlicet, humor, frigus, & siccitas, juxta uniuscujúsque plantæ naturam, ac exigentiam. 6. *Ex his autem primis qualitatibus, prædominantur humor, & calor.* His enim mediantibus perficitur tota ferè germinatio foliorum, florum, fructuum, & plantarum. 7. *Præter internum calorem, exterior quóque calor, non parùm confert ad plantarum nutritionem, & reliquas earum operationes.* Hic enim & poros laxat, & succum, qui plantis inest, rarefacit, digerit, variéque alterat. 8. *Hinc si plantæ nimio frigore indurentur, nec folia, nec gemmas, nec flores, ac consequenter néque fructus germinant.* 9. *Hinc succi illius, qui est plantarum alimentum, percollatio, excoctio, digestio, præparatio, defæcatio, maturatio, variáque alteratio.* Ad has enim tam varias operationes, calor internus plantarum, non est sufficiens. 10. *Hinc vere, & æstate plantæ germinant, flores aperiuntur, fructus maturantur, semina crescunt,* 11. *Hinc multi fructus in regionibus Borealibus, ad maturitatem non perveniunt.* Defectu nimirùm exterioris caloris. 12. *Hinc succus alimentitius, qui per radicem ex terra exsugitur, per totam plantam discurrit, & deducitur.* Per mille scilicet meatus, interioréśque ductus, concurrente ad id utróque ca-

lore, hoc est: tam interno, quàm externo. 13. *Humor verò, quô nutritur planta, non est purus.* Nam cum is in substantiam plantæ converti debeat, debet proinde indurari, & concrescere, quod humori puro non potest convenire. 14. *Habet itáque hic humor, sive succus, multas heterogeneorum miscibilium partes.* Hoc enim ad omnem concretionem requiritur. 15. *Hic igitur succus, pingui halitu, & simul terreo præditus est.* Purus enim humor, ad generationem plantarum, earúmque germinationem, aut nutritionem prorsus ineptus est. 16. *Hinc terra pro plantis fimatur, aut cinere conspergitur.* Ut scilicet pinguiorem, ac magis terreum succum attrahant. 17. *Hinc etiam aquâ pluviali, aut stagnante feliciùs, quàm fontanâ irrigatur.* 18. *Debet tamen hic succus non esse nimius, sed tamen sufficiens.* Nam nimius non bene digeritur, exiguus autem ad tot partes plantæ, derivari sufficienter non potest. 19. *Postquam hic succus, per radicum fibras ex terra attrahitur, variè percollatur.* Per tot insensibiles meatus, & fibrarum variarum plexus transeundo. 20. *Hic idem succus dein excoquitur.* Hoc est, cùm priùs crudus satis esset, subigitur, maceratur, & resolvitur. 21. *Postmodùm autem sic excoctus, per totam plantam distribuitur.* Ubi enim rarescit, per varios illos meatus, & canaliculos, ad id ab ipsa natura institutos, se se ad omnes partes extendit. 22. *Sic verò distributus posteà concrescit.* Ad quam concrectionem, juvat tùm calor, tùm frigus; calor quidem, quatenus humorem superfluum exprimit; frigus verò, præsertim nocturnum, quatenus materiam, vi caloris diurni rarefactam, condensat. 23. *Porrò diversimodè, in diversis plantæ partibus, concrescit alimentitius hic succus.* Diversimodè siquidem percollatur, ac præparatur. 24. *Sed unde hæc ipsa diversitas, excoctionis, præparationis, & percollationis, ejusdem succi alimentitij? Resp.* Hanc totam diversitatem, à tali ratione, & dissipatione colli, hoc est: organi, sive primi fibrarum plexûs, petendam esse. 25. *Ast unde hæc ipsa diversitas primi fibrarum plexûs, seu organi? Resp.* Ab uniuscujúsque plantæ, seu seminis specie, & exigentiâ, ratione cujus intendit ejusmodi speciei plantam generare, cujusmodi fuerat, ex qua provenit. 26. *Hinc in quibusdam plexus ille laxior est, in alijs pressior.* 27. *Hinc herbarum caudices exorti, tenuiores sunt.* Quia initiô, inter fibras laxiores, multus humor congregatus, & quasi coagulatus continetur. 28. *Deinde autem indurescunt, obrigescúntque.* Quia copia illa humoris, sensim avolat, & diminuitur, evadit proinde postmodùm durior. 29. *Hinc supremi, & recentes arborum surculi, tenuiores sunt.* Ob multum scilicet humorem, qui illis inest, humor siquidem mollitiem conciliat. 30. *Hinc patet, quomodo*

plantæ

plantæ crescant. Quia prior succus concrescit, cum tamen novus semper succedat. 31. *Hoc autem incrementum, in singulis partibus plantæ fit.* Scilicet: in radice, trunco, ramis, cortice, folijs, floribus, fructibus, semine, cum debita uniuscujúsque proportione, juxta quam ille succus alimentitius distribuitur, átque per varias fibras, & meatus, in singulas partes plántæ deducitur.

§ X.

Prædicta magìs in particulari enucleantùr.

1. Q*Uomodo fructus maturescant? Resp.* Fructus maturus est, postquam illius succus ita subcoctus est, & defœcatus, ut ad perfectissimum statum, quem species plantæ uniuscujúsque exigit, pervenerit. 2. *Hinc patet, quis censendus sit fructus immaturus?* Nempe, qui adhuc succô crudô, & agresti constat. 3. *Porrò succus ille, qui fructui inest, varijs circulationibus peragitur.* Nam interiores fibræ in sese invicem identidem recurrunt. 4. *Fructus immaturi, pleni sunt succo.* Crasso nimirùm, nec diu à calore bene excocto. 5. *Maturi verò tenuiores, & minùs succi habentes.* Calor siquidem, qui maturat, humorem attenuat. 6. *Hinc fructus sylvestres, si in fœno jacent, emollescunt.* Quia calor fœni, crudos illos succos digerit, & extenuat. 7. *Hinc priùs in arbore fructus crudi, quàm maturi.* Natura enim ab imperfectioribus, tendit ad perfecta: Maturitas autem fructuum, est quædam perfectio, cruditas verò imperfectio, priùs itáque planta, succum attrahit crudum, quem deinde calore lenit. 8. *Hinc fructus maturi, saporem mutant.* Quia aspera illa corpuscula, quæ immaturo fructui insunt, ac crudi illi succi, qui gustum malè afficiunt, & ingratum præferunt saporem, per calorem, quà internum, quà externum, subiguntur, attenuantur ità, ut postmodùm gratam organo gustûs affectionem imprimant. 9. *Aliquando verò idem fructus, ex. gr. pomum, diverso tempore mutat saporem.* Tota hæc diversitas saporum provenit, partim à frigore; partim à calore, nam frigus immoderatum, si agat in crassissima, facit insipida, si agat in crassa, inducit saporem adstringentem, si in mediocria acerbum, si in tenuia, acidum. Calor etiam immoderatus, in tenui, sicca, & humida substantia, acredinem concitat, in sicca, amaritudinem, in humida, pinguem saporem, in mediocri, salsedinem. Calor demùm moderatus in substantia mediocri, & tenui, dulcorem. 10. *Hinc vermiculosi fructus, dulciores, quàm alij ejusdem arboris,* Quia putredo non fit, nisi ubi calor, & ubi calor justè

 subigit

ſubigit humorem, ibi dulcedo. 11. *Hinc fructus, & vinum maturum, calidius immaturo.* Maturitatem enim inducit calor, qui partes frigidiores, & crudiores conſumit, & illis conſumptis, ſolus manet. 12. *Hinc fructus maturi molliores.* Quia in ijs humor craſſus ſolis, & caloris coctione attenuatur. 13. *Hinc fructus coctus, adhuc mollior, quàm crudus.* Quia ſuccus ille craſſus externi caloris vi, magìs adhuc ſolvitur. 14 *Quin aliqui fructus, per ſe amari, ſi elixentur, fiunt dulces.* Quia ubi ad ignem elixantur, calor fructûs perficitur, qui humidum extenuat, & miſcet cum terreſtri, quæ mixtura eſt materia dulcedinis; ſicut cauſa amaroris, eſt frigiditas, & ſiccitas terreſtris, quæ prohibet, ne partes terreſtres humidis commiſceantur. 15. *Sed quæres, cur ſemina matura fructuum, ſint duriora, quàm immatura? ſiquidem fructus maturi ſunt molliores, quàm immaturi? Reſp.* Quia in fructu, fibræ continuè laxantur, dum ille intumeſcit, & ſic faciliùs humor plexum illarum permeat; laxitas enim fibrarum, mollitiem conciliat, at verò ſemen continuò fibras multiplicat, eáſque magìs, ac magìs coarctat, & ſic preſſiùs condit, & conſequenter ab humore permeari minùs poteſt: præterquàm quòd ſemen, ſolidiore conſtat ſubſtantiâ, nempe, multùm oleacea, repoſita ſcilicet in annonam novæ plantæ deſtinatam, cùm fructus ſubſtantia magìs ſit aquoſa. 16. *Fructus dum matureſcunt, odorem mutant.* Odor enim diffunditur ex halitu, & hic ex ſucco, qui fructui ineſt aſcendit. Quo igitur ſuccus ille, per maturitatem magìs præparatur, & excoquitur, eò particulæ illæ, ſeu filamina, ex quibus halitus conſtat, fiunt delicatiora, & conſequenter organum olfactûs, ſubtiliùs, leniùs, & jucundiùs afficiunt. 17. *Hinc fructus immaturi, vel nullum exhalant odorem.* Quia necdum probè ſubactam materiam habent, ut halitum emittant. 18. *Vel parùm gratum proferunt.* Quia partes ſtriatæ, & crudæ, cum halitu aſcendunt, quæ duriùs partes organi guſtûs afficiunt. 19. *Hinc flores, majorem adhuc quàm fructus, odorem ſpirant.* Quia laxiores poros habent, per quos halitus illi odoriferi, faciliùs evolant. 20. *Semen verò ipſum nullum odorem afflat.* Quia plexu preſſiore, & uliginosâ ſubſtantiâ conſtat, quæ halitûs profluvium vetat.

§ XI.

Modus, quô folia, ſurculi, flores, fructus, & ſemina plantarum germinant.

1. NUtritionem plantæ, ſequitur germinatio. Poſtquam enim ſuccus alimentitius, rectè percollatus, ac præparatus, foras erumpit, & prioribus fibris radici adhærens, plexus ſuos hinc inde

promo-

promovet, atque producit, planta germinare dicitur. 2. *Primò igitur, radix, infixis fibris terræ, culmum, & surculum producit, & fit nova planta.* Hæc dein in ramos, & corticem, semen alimentitium, ex terra attractum, diffundit, ac promovet: demùm cortex folia, rami verò gemmas, pòst flores, ac demùm fructus, ac posteà rursùs nova semina, felici fibrarum propagatione germinat. 3. *Folia itáque, ex cortice erumpunt.* Ejus siquidem nodo umbilicari adnascuntur, & quasi adglutinantur. 4. *Hinc patet clarè, quomodo folia ex arbore decidant.* Deficiente nempe uliginoso succo, qui perinde quasi parieti cortici jungebatur. 5. *Hæc porrò aliquando certum, & aliquando nullum ordinem servant.* Juxta dispositionem nodi, cui fibræ folij insistunt. 6. *Hinc abies, sursùm aculeata sua folia erigit, picea verò deorsum.* Quia propter duritiem nodi hîc fibræ sistunt, & illa sursum, hæc deorsum reflectuntur. 7. *Sed numquid folium decisum, per aliquod tempus vivit?* Ita omninò, nam licèt novum alimentum non sugat, antiquum tamen adhuc subigit, ac ad ultimam maturitatem perducit. Simile quid dicendum est: & de fructibus, & à fortiori de seminibus. 8. *Genera surculorum prodeunt, ex intima trunci medulla.* Ad hanc enim pertinges, si priorem surculi ortum investiges. 9. *Hinc medulla rami, est continua cum medulla trunci.* 10. *Ex medulla autem, veluti matrice, distrahuntur fibræ per medium trunci, donec in oculum turgescant, & hic in surculum emicet.* Hic demùm adolescat in ramum, & hic cortice rami rupto, in gemmam. 11. *Hæ gemmæ postmodùm germinant in flores.* Qui ipsi varijs partibus constant, nempe folijs, calyce, ungve, capillitio, seu stamine, turriculis, apicibus, floccis, & pedunculo. 12. *Quælibet autem particula floris, suum quasi semen, & primum rudimentum habet.* Foliolum quidem, in interiori substantia fructûs: stamen seu capillitium, in ipsa theca, seu membranula, quæ semen tegit: floccus in ipso semine, unguis & calix, in ejusdem seminis cortice. 13. *Hinc igitur fit totius floris conformatio.* Nam ubi primùm flos emicat, in suo folliculo seu calyce clausus manet; deinde vero accedente calore sensim singulæ partes emergunt, foliola explicantur, tenduntut stamina, sparguntur flocci. 14. *Hinc videmus aliquando quasi derepentè integras arbores efflorescere.* Accedente calore externo, átque etiam humore. 15. *Certi flores, certum numerum foliorum habent.* Quia tot sufficiunt, & requiruntur, ad tenerum germen velandum. 16. *Folia autem florum facilè decidunt.* Quando nimirùm ad maturitatem veniunt, tunc enim uliginosa illa materia, & veluti gluten, quô ramusculi adhærebant, in fructum alicujus deficit, átq; exsiccatur. 17. *Hinc*

quò aër exterior fuerit calidior, citiùs decidunt. Quia dictum gluten, eò citiùs dissolvitur, atque siccatur. 18. *Hinc qui flores diutiùs conservare volunt, frigidissimâ aquâ eos aspergunt.* Quod maximè circa rosas faciunt. 19. *Hinc flores, majori præditi humiditate, uti sunt ex. gr. liliorum; tardiùs decidunt.* 20. *Hinc eadem lilia, striata habent folia.* Quia procedunt â principali fibra, quæ pinguior, crassior, átque humidior est. 21. *Aliqui flores citiùs, alij tardiùs emicant, seséque explicant.* Ob diversitatem nempe indolis, tam ipsius seminis, ex quo pullulant, quàm ob plantæ dispositionem, cui adnascuntur; nam in aliquibus, plexus fibrarum pressior est, in quibus proinde longior mora desideratur, ad percollationem succi; secùs verò, ubi est laxior. 22. *Floribus dein succedunt fructus.* Nam priùs in gemmam formantur, ex qua postmodùm erumpentes, adhærent velut parenti, umbilicari nodo, succúmque subministratum, per arboris, & ramorum fibras exsugunt, eô ferè modô, quô semen, ex gleba, cui commissum est. 23. *Quòd verò umbilicari illi nodo adhæreat fructus, nimis certum est.* Hinc enim fit ut maturus fructus decidat, nimirùm cùm jam ficciores fibræ ejusdem evadunt, & uliginosus succus ejusdem, quô adhærebat, & quô jungebatur extremitatibus ramusculorum, desiccatur. 24. *Porrò aliqui fructus maturi, cadunt cum suo peciolo, vel rectiùs pedunculo, ut pyra, & poma.* Quia hi, immediatè umbilicari nodo plantæ adhærent. 25. *Alij verò sine hoc, ut ferè omnes, qui nucleum, aut os nuclei habent.* Quia hi, non umbilicari suæ plantæ, sed ipsi pedunculô adhærent. 26. *Semen, multipartione gaudet.* Scilicet testâ, & nucleo, membranâ, massâ, seu carne spermaticâ, & sensibili germine. 27. *Nascuntur autem hæ, ex primo illo succi rudimento, in quod medullæ, velut matricis arboris, vel plantæ fibræ desinunt.* Hæc enim succi rudimenta, sensim posteà fibras suas agunt, tum versùs radicem, tum versùs apicem. 28. *Pendet autem semen ex planta, vel ipsi adhæret, in nodo umbiculari.* 29. *Nuclei, quibus semina arborum continentur, duriores sunt.* Quia plus terrei continent, quod vel ipsa durities, & siccitas illorum evincunt. 30. *Nuclei hi, ubi terræ committuntur, aperiuntur, hiántque.* Subactâ scilicet humore terræ illorum duritie, ídque ut novo fœtui, exitus præbeatur. 31. *Novum germen seminis, sive nuclei, membranâ, ad instar secundæ involvitur.* Atque hæc ex sicca, sed magìs ductili parte medullæ, ortum suum ducit. 32. *Hujus membranæ, varia figura est.* Sequitur siquidem nuclei interioris superficiem. 33. *Porrò interior hic nucleus, qui vulgò semen dicitur, ortum ducit, ex insensibili seminis germine, in quod fibræ medullæ, sed delicatiores desinunt.* Hinc succo pretioso vivit, & con-

& constat. 34. *Hinc patet, quomodo succus alimentitius, in plantis distribuatur.* Nam quod minùs purum est, & crassum, hoc testæ; quod nimis exsuccum, membranæ; quòd minùs humidum, & tenue, hoc flori; quod verò pingue, defœcatum, succosum, perfectum, interiori nucleo cedit. 35. *Aliquando intra eandem testam, gemini nuclei reperiuntur.* Præcesserunt siquidem duo prima rudimenta, seu germina, non secùs, ac duo gemelli in uno utero continentur. 36. *Est autem nucleus interior, bifidus.* Ut saltèm altero deficiente, alter intactus maneat. 37. *Aliqua grana, testâ carent.* Non tamen paulò crassiore cortice, ut videre est in seminibus pyri, pomi, cucurbitæ, &c. 38. *Idem fructus, plura grana hujusmodi continet.* Quæ scilicet ex primis rudimentis procedunt. 39. *Præterea nucleo, germen interiùs adhæret.* In quibusdam insensibile, in alijs verò, ut in pisis, & fabis sensibile, átque hoc germen est, quod solò mandatum, in novam plantam prodit. 40. *Quædam semina molliri debent, átque humore subigi, antequam terræ mandentur.* Quia scilicet duriora sunt, nec sufficeret ipsius glebæ tepor, ad prædictum effectum. 41. *Alia verò exsiccari ultra, postulant.* Quæ scilicet naturâ suâ, justò sunt humidiora. 42. *Hinc antiqua, diù servari debent.* Ut scilicet ad debitam maturitatem perveniant, priusquàm serantur. 43. *Alia verò diù servata, non germinant.* Quia vi caloris, sive interioris, sive exterioris, seminis interior fibrarum plexus mutatur, vel ipsum germen rarioris texturæ, prorsùs evanescit.

§ XII.

De ijs, quæ ad locum, & tempus plantarum pertinent.

1. *In ipso satu plantarum, diversi lunæ aspectûs, ratio habenda est.* Plantarum enim incrementum, non à sola terra, sed à cœlestibus influxibus, & maximè lunæ pendet. 2. *Hinc quædam semina, in plenilunio, terræ commendanda.* Ea scilicet, quæ cùm duriora sint, plus humoris postulant, ad hoc, ut subigantur: plenilunium autem, plùs humoris affundit. 3. *Aliqua verò, in novilunio.* Nempe: quæ ex se meliora, & tenuiora sunt, & nimium humorem timent. In novilunio siquidem, minus humorum luna affundit. 4. *Hinc etiam in cædendis arboribus, lunæ ratio habenda est, ne scilicet ligna, cariem patiantur.* 5. *Hinc cæsa in plenilunio, faciliùs cariem acquirunt.* Quia tunc sunt plena succo, qui facilè corrumpitur, & putredinem concipit. 6. *Unde in novilunio, meliùs cæ-*

duntur.

duntur. Tunc enim minùs ſucci habent, & conſequenter faciliùs exſiccantur, & putredini, ſeu cariei, ſunt minùs obnoxia. 7. *Hinc ſemina, quorum radices deorſum creſcunt, inſeminanda ſunt lunâ decreſcente; & quæ ſurſum, lunâ creſcente, &c.* 8. *Sed nec ſolùm lunæ, verùm & ſolis, ac temporis ſtatûs, ratio habenda eſt.* Nam quædam ſemina, in autumno ſeruntur, ut per hyemem altiores, ac firmiores agant radices. 9. *Alia verò in vere.* Nempe, quæ multo humore conſtant, nec in humore, tam pinguem ſubſtantiam habent. 10. *Alia ſicco cælo ſunt ſerenda.* Ne nimiô humore, aucto ſcilicet interiore, & à ſuperno exteriore ſuperveniente, corrumpantur. 11. *Alia verò cælo humidiore.* Ne nimiâ ſiccitate, areſcant, propter duriorem, & denſiorem materiam. 12. *Pro diverſis plantis, terra diverſimodè præparatur.* Nam: aratro proſcinditur, ligonibus perfoditur, ſulcatur, teritur, comminuitur. Quod ex triplici fit cauſa: primò ut ſic maligni halitus avolent, qui alioquin plurimùm plantis nocent: Altera eſt, ut affuſo ſucco, ſemen meliùs diluatur, ſubigatur, imbuatur, & ſic faciliùs corpuſcula illa alimentitia, quæ humoris vehiculo indigent, ab ipſa gleba educantur, & in plantæ poros, per radices, ſubire valeant. 13. *Hinc aliquando, glebæ terræ contunduntur, & ubi terra trita eſt, cribratur.* Propter prædictas jam rationes, & inſuper, ut ſemina meliùs excipiant, & hæc germina faciliùs emittant, & quoquo verſùm, ſuas radices agant. 14. *Hinc, jam fracta gleba, occatur.* Ut ſic adhuc magìs comminuatur, & jacta jam priùs ſemina, leniter obruantur. 15. *Aliquando terra ſalubriter profundiùs foditur.* Ut ſcilicet, in virgine gleba ſemina ſerantur, puro, & pinguiore prædita ſucco. 16. *Si pinguius eſt ſolum decuſſatis foſſis, aqua colligitur.* Ut ſic, immodica ſegetum luxuries, caſtigetur. 17. *Aliquando etiam cinis, valdè pingui terræ aſpergitur.* Ex eadem ratione. 18. *In nonnullis partibus liratim agrum digerunt, átque in portas diſtinguunt.* Haud incommodè, nam ſic ſemen uberiorem fundit frugem, quàm in plano. Tum quia, noxijs aquis, faciliùs prohibetur, tum quia, magìs directum cæli, ſolíſque aſpectum habet, imò & agri ſuperficiem, non nihil auget. 19. *Riganda ſubinde eſt terra, ut plantæ fructus ſuos edant.* Humor námque vehiculum eſt alimenti, quô nutriuntur plantæ, igitur ſi hic deſit, nec cælum pluat, rigatione ſupplendum eſt. 20. *Si tepidâ, aut calidâ aquâ, plantæ rigentur, citiùs eæ creſcunt, & proceros fructus ferunt.* Nam aqua calida poros laxans, faciliùs ſubit & ipſam terram, & plantarum fibras, átque ſimul calorem intrinſecum earum juvat. 21. *Accidit tamen, ut affuſa valdè calida aqua plantis noceat.* Nam fibræ earum immodico, & inſo-

lit

lito calore, plùs æquô laxantur, unde vel nimiam vim succi admittunt, vel crassiora corpuscula cum succo attrahunt, quæ propter molem reliquas strias, poros, & meatus obstruunt. 22.*Unde aqua pluviatilis optima est, ad prædictum effectum.* Tum quia, minùs de cruditate habet; tum quia, plùs caloris, quàm putealis, vel fluvialis; néque tamen excessivi est caloris. 23. *Hinc fontana, & putealis, minùs ad id idonea.* Quia paulò frigidior est; ac proinde, poros plantæ constringit, ac obstruit. 24. *Hinc putealis, aliquantulùm quiescere debet, postquam hausta fuit, antequàm apta sit ad hunc usum.* Scilicet, ut cruda illa, & frigidiuscula corpora, quibus abundat, avolent. 25. *Cæterùm aquæ bituminosæ, gypsatæ, stygiæ, & fortè nitrosæ etiam ad hunc usum, non sunt idoneæ.* Quia plantis suà acrimonià, & vi constrictiva, plurimùm nocent. 26. *Hinc, etiam aqua salsa, rigationi adhiberi non debet.* Quia plantam suâ mordacitate interimit. 27. *Ad plantarum tamen, quæ à natura sua sunt valdè duræ, etiam aqua salsa, pro irrigatione adhiberi posset.* Hæ enim suis aculeis, ad aperiendos poros, pro commodiore succi attractione, indigent. 28. *Unde irrigationis hæc etiam utilitas est, ut radicem plantæ emolliat.* Ut scilicet, sic meliùs succum sugat, hæc enim, hoc munere fungi non potest, ob nimias pororum angustias; nam corpus spongiosum, & fungosum, dum desiccatur, sese contrahit. 29. *Aqua, quæ aliquid pinguioris succi habet, irrorationi opportuna est.* Quia uliginosa aliquantulùm est, modica autem uligo plantis multùm prodest. 30. *Hinc aqua pura, & cruda, pro irroratione adhiberi non debet.* Quia nihil de uligine, & plurimùm de cruditate habet. 31. *Sed & palustris, & diù stagnans, ad hunc finem inepta est.* Quia tetro halitu plurimùm officit, qui etiam plantis nocet. 32. *Hinc currens potiùs aqua, quamdiu stagnans, pro irrigatione est adhibenda.* Quia continuus ejusdem fluxus, facit eandem incorruptam. 33. *Nocturna pluvia, segetibus salubrior est, quàm diurna.* Quia hæc statim ob solis æstum exhalatur, & secum illum humorem, qui priùs inerat, plantæ defert, unde planta uritur, illa verò & terram; & radices plantæ, meliùs penetrat, ac fortiùs ab ijs imbibitur. 34. *Hinc nebula per æstum, segetibus perniciosa.* Ob dictam jam rationem. 35. *Nocturna verò, eáque minuta, optima est.* Ex priùs allata ratione. 36. *Hinc tempus meridianum, irrigationi ineptissimum est.* 37. *Matutinum verò tempus, magis irrigationi opportunum.* Ex ijsdem rationibus. 38. *Ast optimum est, vespertinum.* Quia toto noctis tempore, sensim humorem affusum haurit, eóque diluitur, ac subigitur, plantásque recreat, tepore illo nocturno, poros plantarum laxante. 39. *Fimus plantis utilis, ac necessarius est*

sæpe. Hic etenim, probè ab humore subactus, ipsíque admixtus, plantis in alimentum cedit, & cùm multa uligine, caloréque constet, in utróque plantas fovet, & adjuvat. 40. *Ad hoc tamen necessè est, ut subigatur, hoc est diluatur, ipsíque adeò glebæ permisceatur.* Quia alioquin, humoris vehiculo, ad intimos radicis poros devehi non posset. 41. *Hinc immediatè radicibus, sine mixtura terræ adhiberi non debet.* Quia aliàs, calore suo, earundem fibras exuret. 42. *Non tamen omnis generis fimus, omnibus plantis utilis est.* Nam alius excedit in calore, alius acrior est. 43. *Unde columbinus adhiberi debet. ad reficiendas terræ vires.* Nimio scilicet frigore tactas, vel cruditate debilitatas, nam cùm calidissimus sit, plantis appositus, præsertim tenuioribus easdem exureret. 44. *Pro segetibus, optimus judicatur bubulus, equinus, ac asininus.* Est enim ferè similis materiæ. 45. *Suillo cœpæ lætantur.* Cùm enim hic acrior sit, succo illo acriore vivunt. 46. *Sub autumnum, utiliùs fimantur agri.* Quia per hyemem fimus brumali humore probè subigitur. 47. *Margâ etiam firmantur agri.* Liquescit enim humore diluto, & multam pinguedinem glebis conciliat. 48. *Nimia vis fimi, segetibus nocet.* Quia nimio calore, radices earum exurit, & pinguedine suffocat. 49. *Subinde etiam cineres, plantis insperguntur.* Ut nimia luxuries earum castigetur, exsiccant siquidem cineres, superfluum earum humorem, arcent præterea cineres animalcula plantis nociva, quæ amaritudinem cineris fugiunt, imò & noxias interimunt plantas, quæ mordacitatem cinerum ferre non possunt. 50. *Uruntur etiam gleba, & stipula, ad conciliandam fœcunditatem.* Quia sic excoquitur glebarum cruditas, & excluditur noxius humor, laxantur quoque pori terræ, átque ita, & meliorem, & copiosiorem succum segetes attrahunt. 51. *Hinc in Styria, ac alijs montanis Regionibus, radices, ac trunci arborum, comburuntur, ac in cineres rediguntur.* Qui proinde in loco licèt sterili, uberes tamen segetes habent. 52. *Terræ quóque qualitas, pro plantis considerand a est.* Nam alia est pinguis, alia macra, alia has inter, medium statum obtinet. Item, alia est rara, alia densa, & spissa, alia medij, inter has duas, statûs. 53. *Diversis terris, diversæ delectantur plantæ.* Sic, pingui terrâ gaudet triticum; hordeum, & avena, macrâ, & sterili. 54. *Terram macram, & sterilem demonstrant, atræ, degeneréſque herbæ.* Sicut enim arbor mala malos fructus profert, sic & terra. 55. *Nec verò omnes terræ, ferre omnes plantas possunt.* Sic populi & salices fluminibus gaudent; craſſis paludibus almi; montibus abietes, larices, &c. vites collibus, &c. 56. *Terra cretosa, pessima est.* Quia creta, totum bibit humorem, nec inde mollescit, sed potiùs indurescit,

rescit. 57. *Limosa quóque, non laudatur.* Propter similem ferè rationem. 58. *Situs quóque loci, magnum commodum adfert.* Tum propter cœli, sy-derúmque amicabiliores aspectus, tum ob. qualitatem soli, seu terræ. 59. *Hinc plantæ calidæ, ut piper, crocus, in frigidis regionibus, non na-scuntur.* Quia hujusmodi, succo vivunt calido, plurimo sole excocto, qualis in frigidis regionibus non reperitur. 61. *Cur montium vertices, plerúmque herbidi, non autem latera?* Quia ex pluvia, decidentia in juga montium alimentitia corpuscula, subsistunt, quæ ex lateribus defluunt, & de terra plùs habent, quæ ex lateribus successivè, per imbres, & plu-vias devolvuntur. 62. *Cur valles montium sunt fæcundæ.* Quia ex mon-tibus, in valles subtile terreum defluit, & calor inter montes reverbera-tus augetur. 63. *Latera montium, sunt vitifera, melioráque vina pro-ducunt.* Quia humor superfluus defluit, & necessariùs, meliùs à sole ex-coquitur, qui diutius, latus montis, sibi oppositum, illuminat, & refle-ctendo calorem intendit. 64. *Cur loca arenis mixta, sint sterilia.* Quia in talibus dominatur salsedo, & siccitas, quæ etiam partes terræ separat, & per rimas vapor ille, qui daturus erat materiam, & alimentum plan-tæ, expirat. 65. *Cur in terra salsa, plantæ non nascantur?* Quia calor salis, exsiccat humidum radicale plantarum: Calor enim salis, est adurens, utpotè qui ex adusto terreo generatur. 66. *Cur non omnis tellus fert omnem plantam?* Quia variæ terræ, variam habent temperiem, ac con-sequenter & vim seminalem diversam continent. 67. *Cur locis aridis plantæ amaræ, & salsæ generantur?* Quia salsedo, & amaror, ex siccitate oritur. 68. *Cur aliquæ herbæ in terra, aliæ in aqua nascantur?* Quia a-liquarum vim seminalem continet aqua, aliarum terra.

§ XIII.

Plantarum propagatio.

1. *QUædam plantæ, satione duntaxat propagantur.* Tales plantæ sunt triticum, papaver, & omne genus frumenti. Ratio est: quia nec surculos germinant, nec in bulbo sobolescunt, at ubi semel ma-turuerint in fructum, in caudice arescunt. 2. *Aliquarum plantarum rami decisi, & terræ insiti, ad instar pali, in novas plantas abeunt. Ut videre est in salice, populo, olea, vite, ficu.* Quia substantiâ porosâ ejusmodi plantæ constant, igitur poris facilè alimentum sugunt, & radices agunt. Vel meliùs: Quia vim seminalem, non in sola radice, sed per totum cor-pus diffusam habent. 3. *Aliquando etiam ramus decisus, non rectus terræ*

inſigitur, ſed ſupinus in foſſa ſepelitur. Sic enim ſepultus, radices in multis locis agit, & ſurculos germinat. Et ſic propagantur vites, populea, arundo. 4. *Palmes non deciſus, ex parte terrâ obrutus, novas radices agit, átque in novam plantam abit.* Hic propagationis modus, vitibus ſat familiaris eſt. Nam & à parente plantà humorem ſugunt' & ex terra; cujus tepore eorum pori laxantur. 5. *Hinc, ut citiùs plantæ novellæ adoleſcant, præſertim in malis aureis, & citreis, trajiciatur ſurculus antiquæ plantæ, minimè deciſus, per foramen vaſis, tum vas ipſum terrâ impleatur.* 6 *Aliæ plantæ, propagantur per radices.* Radix ſiquidem multâ ſpermaticâ ſubſtantiâ conſtat. 7. *Imò aliquæ herbarum, quot annis novos ſurculos germinant.* Ob abundantiam ſeminalis virtutis. 8. *Hinc quædam plantæ, circa radicem, plurimos ſtolones edunt.* Ob eandem rationem. 9. *Aliæ item, per bulbos propagantur.* Plantatus enim bulbus, novum fœtum continet, non ſecùs, ac in alijs plantis radix. 10. *Imò idem bulbus, aliquando alios plures continet, ut videre eſt, in capite allij.* Qui nimirùm ex multis gemmis, ſeu nucleis conſtat, quorum ſingulæ, ſingulas plantas germinare queunt. 11. *Lachryma quóque, & gummi plantæ, novam plantam generant.* Quia his quóque, ſeminalis vis ineſt. 12. *Imò quædam propagantur, per ſolum contactum terræ extremitate rami.* Sic quædam arbor Indica, talis eſt indolis, ut extremi illius rami, ubi terram attingunt, radices agant. 13. *Imò ficus indica propagatur, per ſola etiam folia, terræ infixa.* Quia hæc, folia ramorum locò habet, néque folia hujus plantæ, ex mero cortice procedunt, ſed ex intima quóque plantæ ſubſtantia, unde cùm hæc planta, alios ramos non habeat, præter folia, illis ſeminalem vim ineſſe neceſſe eſt. 14. *Arborum propagatio præcipua eſt, per inſitionem, inoculationem, & infiſtulationem.* Aſſumitur enim ſurculus, vel gemma, vel germen, ex nova planta recentiore, & in aliam transfertur aptè, ac ſenſim fibræ inſitæ, cum fibris adoptandis, felici commiſſurâ uniuntur, ac ab harum trunco, alimento accepto nutriuntur, & adoleſcunt. 15. *Ipſa verò inſitio, variè fit. Aliquando enim ſurculus, inter lignum & corticem inſeritur, ſtringitúrque funiculo.* Eſt ſiquidem intra corticem, & lignum quædam uligo, quâ fibræ ſurculi, fibræ ſtipitis facilè adglutinantur. 16. *Aliquando verò ſtipes, per medium finditur, & præparatus fiſſuræ committitur, tum lutô, plaga illa oblinitur, ac lutamentum, maſsâ, & cortice obligatur.* Ad avertendas ſcilicet cœli injurias, ne per illas fiſſuras viſcoſitas, & coadunatio ſurculi, conſequenter cum medulla trunci, impediatur. 17. *Aliquando autem id fit, per inoculationem.* Cùm ſcilicet inoculati ramuſculi cortex, ita alteri applicatur, detracto pari cortice, ut oculi & gemmæ

unius,

unius, oculis & gemmis alterius, omninò correspondeant. Sic enim fibræ, fibris adglutinantur, & committuntur. 18. *Sunt alij quóque modi, iíque varij, insitionum.* Verùm hi omnes, ad prædictos tres revocantur. Nam vel surculus ligno inseritur, vel cortici, vel oculus oculo affigitur. 19. *Non solùm autem fibræ surculi, cum fibris stipitis conjunguntur, sed etiam surculus suas radices agit, intra illud vitale solum.* Nam alioquin nulla esset ratio illius colli, seu nodi, qui in prædicta illa sutura, seu commissura obducitur, & obdurescit. 20. *Hinc molliores surculi, inepti sunt ad perficiendas insitiones.* Propter delicatiorem fibrarum plexum, quæ proinde solidioribus trunci fibris, implicari non possunt. 21. *Hinc nec exsuccus, & aridus surculus valet pro insitione.* Quia defectu virium, & humoris, non valet radices agere in truncum, cui est insitus. 22. *Sed nec omnino lactescens surculus insitus esse debet.* Quia hic minimè agglutinatur ob debilitatem, & teneritudinem fibrarum, fibris durioris, & magìs densi stipitis. 23. *Necessè est igitur, ut quendam medium statum teneat.* Ita ut sat succi, & sat virium habeat, in firmanda radice, in ipso vivo solo, hoc est: trunco, cui inseritur. 24. *Hinc non debet esse multorum annorum ramusculus, sed nec adeò recenter natus.* Anniculum itáque saltem esse oportet, cùm hic & vires sufficientes habeat, pro radice figenda, & succum proportionalem, ad id requisitum. 25. *Hinc etiam stipites sicciores inepti sunt, pro insitionibus recipiendis.* Quia cùm duriorem plexum habeant (sicca enim indurantur) & humore careant, fibræ surculi insiti, ejusdem fibras pervadere nequeunt: fibræ enim surculi, & stipitum, non nisi humoris coagulatione se jungunt. 26. *Hinc succosi, & uliginosi trunci, ad hunc finem aptissimi.* Propter contrariam rationem, nam pingui succo, corpora facilè coagulantur. 37. *Hinc etiam ad meliorem insitionis successum, cortex utriusque, hoc est: tam surculi, quàm trunci, nitidus esse debet, non rugis, & scabie asperatus.* Hoc enim prædicta coagmentatio desiderat, sic enim sicut lignum ligno, sic cortex cortici, nativâ illâ ferruminatione, meliùs adglutinatur. 28. *Semen insiti fructûs, in sylvestrem arborem ut plurimùm degenerat.* Quia cùm semen, à matrice, & medulla procedat, & hæc in præsenti casu, à sylvestri trunco producitur, quid mirum, si semen fructûs insiti, sit idem, cum semine arboris agrestis. 29. *Hinc parùm utile est, inserere illas, quarum fructus, nucleo tantùm continentur, quales sunt nuces, avellanæ, amygdalæ, &c.* Hæc enim ex nucleo, terræ imposito, felicius prodeunt. 30. *Hinc omnes ferè arbores, quæ ex semine oriuntur, sylvestres sunt.* Secus tamen illæ, quæ ex ramis terræ insitis, ortum ducunt. 31. *Plantæ per insitionem mansuescunt.*

scunt. Quia sylvestris indoles, provenit ex succo malè cocto, & præparato, quò illa nutritur, & vivit, cui malo, prr insitionem occurritur. Etenim, sic melior concoctio succi fit, & quasi duplicata: Nam prima concoctio, fit in ipso trunco, cui surculus, seu calamus insitus est, secunda verò, in ipso insito surculo, & cùm in utroque diversus sit plexus, diversa quoque fit succi attracti percollatio, átque ita succus alimentitius, qui post primam concoctionem, crudus adhuc remanet, per secundum perficitur, ac probè defœcatur. 32. *Hinc fructus ex insitione, meliores generantur.* Quia bonitas fructûs, ex succo bene concreto, átque præparato procedit. Per insitionem autem, succus meliùs præparatur, ac percollatur. Ergo. 33. *Hinc etiam fructus, ex insitione, majores prodeunt.* Nam moles fructus, procedit ex majore copia succi alimentitij meliùs præparati; ex insitione verò, succus fit præparatior. Ergo. 34. *Hinc ramus decisus, si plantetur in terra, pejores, & minores fructus producit, quàm ipsum incisum, ex quo decisus est.* Quia ubi ramus ille, radices egit, ex ipsa duntaxat terra, alimentum sugit, quod certè unica percollatione præparatur: At verò insitione, succus in plexum insiti cadit, jam præparatus per primam percollationem, in trunco. Ex magis autem præparato succo, meliores fructus, ac majores producuntur. Ergo. 35. *Vertex surculi, seu calami, in insitionibus, amputatur.* Tum ut crassior evadat, tùm ut repercussa materia, in gemmas pullulet, átque germinet. Nam cùm fibræ in longum duci non possint, cùm eadem vis succi accedat, secundùm crassitudinem explicatur, & dilatatur. 36. *Nodus in quo insitio fit, inceratur.* Quia alioquin, cùm tenerior sit fibrarum plexus, facilè eum humor, tùm ab imbre, tùm à rore subiret, gluténque illius humoris, dissolveret. 37. *Surculi extremitas, quæ fissuræ trunci inseritur, cultello prius leviter radenda est.* Quia alioquin fibræ, per corticem agendæ essent, quod fieri nequit, igitur ut fibræ surculi, cum fibris truuci meliùs uniantur, cortex detrahendus est. 38. *Imò & ipsum lignum surculi, leniter radendum.* Quia sic, ex surculo, pinguior succus, vel humor erumpit, qui ad coagmentationem plurimùm facit. 39. *Glubejus truncus, insitionis capacior est.* Glubere autem arbores dicuntur, ab cortice veris humore, vel ubere succo, & salivâ, ut vocant. Quia vernus ille humor, seu succus, quasi ad instar glutinis est, quò fibræ, fibris adglutinantur. 49. *Ut autem insitio rectè procedat, truncus sylvestris primò rectè findendus est.* Quia si fissura profundior sit, coalescere partes denuò non possent. 41. *Idem truncus, multis mensibus debet esse prius plantatus.* Alioquin, si radices nondum bene firmavit, parùm succi adducit,

ducit, & insito subministrat, unde hic arescit. 42. *Tertiò, ita calamus inseratur, ut cortex unius, cortici alterius respondeat.* Nam nisi sibi ad invicem correspondeant, unus alteri adglutinari non potest. 43. *Si surculi & calami paulò sicciores sint, humore priùs macerandi, antequam sylvestri trunco inserantur.* Ut sic defectus interioris succi, per exteriorem suppleatur. 44. *Ubi calamus in fissuram rectè insertus est, debet adhiberi cera, gummi, vel lutum, cum musco.* Ita, ut nullo humori extrinsecùs affuso, rima pateat. 45. *Habenda quóque est ratio lunæ.* Nam ut ad sationem luna, ita ad insitionem non parùm confert. 46. *Quantum fieri potest, surculus, & truncus, ejusdem generis esse debent.* Hoc est pomus pomô, pyrus pyrô inserenda. Quia si diversi generis sit, & fructus inde, maximè vitiatur. 47. *Surculus ejusdem speciei trunco insitus, fructus meliores, & majores nutrit.* Est enim tunc percollatio succi perfectior, quia multiplex. 48. *Hinc quidam stipites, & truncis, incapaces sunt insitionis, v.g. ut quercus.* Quia duriores, & striatas partes habent, quæ coagmentationem non patiuntur. 49. *Sed & stipites resiniferi, sunt ad id inepti.* Quia arbores resiniferæ, ita obstruunt poros, ut succum in surculum stipiti adglutinatum traducere non possint.

§ XIV.

Explicatur plantarum ortus, quæ spontè, nullóque priùs jacto semine nascuntur.

1. S*Ubinde aliquæ plantæ, spontè, nullóque jactô semine, prodire videntur.* Hæ licèt ex nullo semine nasci videantur, re ipsâ tamen, ex semine prodeunt, quod ibi, vel casu aliquo decidit, vel latuit, inter elementorum particulas, vel ab initio, terræ inditum est. Hanc enim virtutem seminalem plantarum, terræ innatam esse, luculentè, ipsa scriptura testatur. Gen. 1. *Germinet terra herbam virentem.* Hinc 2. *Terra usta, vel calcinata, ut vocant; si copiosô imbre irrigetur, illicò mille plantas germinat.* Nam caloris vi, illa semina, terræ ab initio mundi indita, ex suis illis carceribus, laxatis poris, educuntur. Quæ affuso insuper humore revirescunt, mox fibras agunt, seséque extendunt, ac tandem in novam plantam abeunt. 3. *Post insolitas fluminum inundationes, novæ plantæ ut plurimùm nascuntur.* Nempe multum limum probè subactum, in agris relinquunt, cui primæva illa, plantarum semina insunt, quæ dein, solis calore multùm adjuvante, novas plantas germinant.

4. *Sunt*

4. *Sunt verò novæ, ac peregrinæ, sæpe hæ plantæ.* Quia & semina illa, quæ ab aquis perfluentibus, in limo, & terra apparent, & aliò transportantur, sunt peregrina. 5. *In rupibus, tectis, & muris, nascuntur aliquando plantæ.* Quia ubi largus imber descendit, multùm limi, tum rupibus, tum tectis aspergit, qui præfata semina infert, quæ postmodùm in plantas abeunt. 6. *Hinc non omnes plantas, fert omnis tellus.* Quia non in omni parte terræ, sunt eadem primigenia seminum, sed diversa, diversis partibus admixta. 7. *Ex sato cinere tritici, non semel triticum pullulavit.* Quia non obstante ustione, prima illius rudimenta, in granulis cineris inclusa, humore, ac tepore subacta, deinde germinant. 8. *Hinc ex ligno putrido, vel radice putrida, etiam novæ plantæ nascuntur.* Quia prædicta rudimenta, seu semina, quibusdam lignis ita insunt, ut quamvis hæc corrumpantur, adhuc illa remaneant, quod maximè intellige de lignis, quibus per totum corpus, seminalis vis inest; ut sunt: salix, olea, populus, ornus. 9. *Hinc ex fimo plantæ, nascuntur eædem plantæ, quæ in fimo etiam putruerant.* Quia semina illa, seu rudimenta germinum, adhuc in ijs manent. 10. *Nonnullæ plantæ quandóque, in aliquibus partibus terræ degenerant. v.g. triticum in siliginem, hordeum, in avenam; frumentum in zizaniam.* Ob dispositionem scilicet terræ; nam quævis planta intendit producere sibi similem speciem, adeóque certam organizationem, quæ in sibi congruo plexu fibrarum consistit, quam cùm ob defectum succi, vel ob indispositionem terræ, consequi non potest, prout seminis indoles postulabat, producit dissimilem in multùm tamen similem, & propiùs accedentem. 11. *E contra, alibi planta aliqua, proficit in meliorem plantam, & fructum.* Ob bonitatem scilicet succi, & majorem dispositionem, igitur plùs proficit, quàm in terra congrua, suæ nativæ exigentiæ. 12. *Radix verò, non sic degenerat.* Quia habet jam priùs perfectam organizationem, ergò & talem fibrarum plexum, è contra autem semen, habet solùm inchoatam organizationem, quæ igitur mutari potest, ob terræ meliorem vel deteriorem dispositionem. 13. *Possunt tamen & fructus, & flores mutari, tam quò ad qualitatem, quàm quò ad quantitatem.* Quia hæc qualitas, & quantitas dependet, tam à qualitate soli, quàm cœli, igitur his mutatis, & qualitas, & quantitas florum, ac fructuum, potest mutari. 14. *Diversæ plantæ, diversas dispositiones terræ, & cœli requirunt.* Juxta ingenitas sibi naturas. 15. *Hinc aliæ, summo tantùm æstu delectantur.* Nempe illæ, quæ vel generosum succum ferunt, ut vites; vel exquisiti saporis fructus, ut pepones, ficus; vel materiam multo igne conflantem, ut piper, cinamomum, &c. 16. *Aliæ, multò frigore*

frigore gaudent, ut Abies, Fagus. Quia vel laxiore substantiâ constant, quæ nimirùm, vim æstûs non sustinet; vel ab ambiente aëre constringi volunt, ne succus alimentitius exhalet. 17. *Aliæ medijs aquis nascuntur.* Nempe quæ alioquin citò arescunt, nisi continuo humore perfundantur. 18. *Aliæ verò in solo arido optimè habent.* Nempè quæ illo fibrarum plexu pollent, qui statim ab humore dissolvitur. 19. *Cur plantæ muris antiquis innascantur?* Qùia seminalis vis, aut cùm ventis, aut ab avibûs, eo fuit deportata, vel certè, cùm omnis terra, vim seminalem habeat plantarum, dum in lateribus igne fuit mortificata, incipit tandem cum tempore coalescere. 20. *Quomodo super ipsas aquas stagnantes, aliquando crescant plantæ?* Fiunt tamen hæ plantæ, imperfectæ, sine stipite, & radice, sic autem generantur: cùm talis aqua, sit stagnans, & immota, radij solis penetrantes ejus fundum, humidum, & subtile ex terra attrahunt sursum, ad superficiem aquæ, quod posteà putrefactum, est quoddam plantarum semen. 21. *Super aliquas verò aquas stagnantes, non crescunt plantæ, sed quædam viriditas.* Quia subtile illud humidum, extractum à solis radijs, ad superficiem aquæ, est ita tenue, ut coagulari in illam non possit, sed solùm in quandam viriditatem.

§ XV.
Cultura plantarum.

1. *Quædam plantæ, transferuntur in alium locum, ut fiant meliores.* Qùia planta, mutando locum, mutat & alimentum commune, & cui jam asveverat, consequenter in quod minùs agebat, in novum, & inasvetum, in quod fortiùs agit, quod proinde meliùs ac studiosiùs elaborat. 2. *Non omnis tamen planta, locò se mutari sinit.* Sunt enim quædam adeò debiles, ut asveverint uni alimento, & ad aliud digerendum vires ejus non sufficiant. 3. *Plantæ utiliter circumfodiuntur.* Quia non solâ aquâ nutriuntur plantæ, nisi quædam viliores, sed vapore, & succo crassiori, cum terreo mixto, quem fortiùs attrahunt, commotâ, & inversâ, circa radicem terrâ. 4. *Putatio quóque, in plantarum cultura, habet locum, in vite præsertim, & arboribus.* Ut id, quod per inutiles ramos diffunditur, in arbore maneat, eíque vires, ac fœcunditatem addat. 5. *Putatio etiam facit, ut truncus crescat.* Quia id, quod in longum abire nequit, in crassitudinem plantæ, abire necesse est. 6. *Hæc autem putatio, obliquâ sectione fieri debet.* Ne humores noceant, qui inver-

so, & declivi plano, inhærere non potest. 7. *Aliqui in putatione vitis, aspe-ctus lunæ observant, faciúntque id, senescente lunâ.* Ne scilicet nimio humore, qui statim adducitur, quasi suffocetur. 8. *Putationi additur defrondatio, & in vitibus pampinatio.* Horum enim detractione, principales rami, meliùs maturescunt. 9. *Ablaqueantur quandóque plantæ, hoc est: supremæ radicis caput aperitur, ac refoditur.* Ne scilicet durior illa, summæ radicis portio, humore nimio computrescat, & ut vitium radicis infimæ, si quod est, juvetur. 10. *Porro hæc ablaqueatio, utilior fit ineunte Novembri, & sub finem hyemis, nova terra radicibus ingeritur.* Sic enim radix repurgata, novas vires acquirit, & velut renovatur. 11. *Non raró etiam insitæ plantæ, seu insitiones, rursùs transplantantur.* Vel ut de meliori solo, eisdem provideatur, vel, ut magìs ordinatè disponantur. 12. *In hoc autem casu, sic effodiendæ sunt plantæ insitæ, seu insitiones, ut aliqua portio glebæ, prioris terræ ijsdem adhæreat.* Sic enim novö solô, meliùs asvescunt. 13. *Nova verò fossa, cui transferenda planta, imponenda est, humore perfundi non debet.* Alioquin enim, terra inde callum obducit, & minùs docilis est, ut plantæ radices in eam agant. 14. *Observandum & illud, ut insitio translata, easdem cœli partes aspiciat, ad quas priùs situata fuerat.* Nam pars ea, quæ meridiem spectat, excoctior est; crudior verò illa, quæ septemtrionem. 15. *Priusquàm autem planta, denuò plantetur, putanda est, & rami omnes, aut potiores resecandi.* Quia sic radici, majores adduntur vires.

§ XVI.

De primis qualitatibus plantarum.

1. *Calor aliquis omnibus plantis inest.* Quia sine illius opera, nec succus exugi, nec percolari, nec præparari, nec demùm concoqui posset. 2. *Hic tamen calor, in aliquibus plantis, atque earum succis, virtualiter major est.* Hoc est, quò ad effectum, nempè: si sumatur in cibum, vel potionem, corpus vehementiùs calefaciunt, & quasi inflammant. 3. *Horum verò, rursùs diversæ sunt classes, & gradus.* Nonnullæ enim majorem, aliæ minorem, aliæ mediocrem calorem conciliant. 4. *Primi gradûs sunt, quæ modicum conciliant calorem.* Hujusmodi sunt: horrago, buglosum, bœta, flores betonicæ, &c. 5. *Secundi gradûs sunt, quæ mediocrem conciliant calorem.* Uti sunt: absinthium, anetum viride, apium, betonica, rosmarinus, melissa, crocus, capparis, radix pimpinellæ, salvia, pi-

stacia,

stacia, cinamomum. 6. *Tertij gradûs sunt, quæ majorem, & satis vehementem effectuant calorem.* Ut chariophyla, chelidonium, hysopus, serpyllum, origanum, raphanus, menta. 7. *Quarti gradûs sunt, quæ adhuc majorem, & vehementiorem, inducunt calorem.* Ut nasturcium, porum capitatum, piper, sinapi, allium, cæpa, euphorbium, pyrethrum. 8. *In quibusdam autem plantis, frigus virtuale, prædominatur.* Quæ scilicet sumptæ in potionem, vel cibum, corpus infrigidant. 9. *Et hæ quóque similiter, uti calidæ, in quadruplici sunt gradu.* Juxta quadruplicem frigoris efficaciam. 10. *Aliæ itaque sunt in primo gradu frigido, quæ modicè corpus infrigidant.* Tales sunt: oxylapathum, malva, parietaria, flores rosarum, flores violarum, caro citri, cydonia mala, pyra, pruna, hordeum. 11. *Aliæ secundum gradum obtinent, quæ magìs corpus refrigerant.* Tales sunt: lactucæ, acetosa, plantago, cucurbita, cucumis, mala aurea, poma punica. 12. *Aliæ sunt in tertio gradu, quæ infrigidant vehementiùs.* Tales sunt: semper vivum, papaver, opium. 13. *Aliæ demum sunt frigidæ, in summo gradu virtualiter, quæ vehementissimè infrigidant.* Uti sunt: cicuta, aconica, &c. 14. *Humiditas etiam, omnibus plantis inest, in aliquibus tamen prædominatur.* Quibus scilicet, non modò multus humor inest, sed quæ si sumantur, in potionem, vel cibum, multum in partibus corporis humorem relinquunt. 15. *Hic verò humor, ab ijs in corporibus relictus, in pituitam abit.* Hinc humida pituitosa dicuntur, incultam siquidem distillationibus, & fluxionibus materiam præbent. 16. *Atquè hæ in duplici ponuntur gradu.* Juxta majorem, & minorem, quam in corpus inducunt, humiditatem. 17. *In primo sunt, quæ mediocrem inducunt humiditatem.* Uti sunt: mala, parietaria, amygdalæ dulces, rapa. 18. *In secundo, quæ magnam.* Uti sunt: lactuca, nymphæa, portulaca, cucurbitæ, pepo. 19. *In aliquibus plantis, siccitas virtualis prædominatur.* Nempè: quæ corpus exsiccant, sumptæ in potionem, vel cibum. 20. *Ex his autem sunt aliquæ, in primo gradu.* Tales sunt: beta, fænicula, crocus, rosæ, baccæ, juniperi, hordeum, orgomia, tamariscus. 21. *Aliæ sunt in secundo gradu.* Tales sunt, artemisia, betonica, anethum viride, plantago, rosmarinus, spica nardi, pimpinella, acetosa, pœonia, cydonia mala, nux moscatha, semina fœniculi, papaveris, &c. 22. *Aliæ in tertio gradu.* Ut silix, absinthium, apium, calamintha, hyssopus, juniperus, origanum, petrosolinum, rutta, serpyllum, piper. 23. *Aliæ demùm sunt, in quarto gradu.* Tales sunt: nasturcium, allium, sinapi. 24. *Hinc videre est, plerásque plantas, quæ frigidæ sunt, in primo, & secundo gradu, esse humidas; & eas, quæ calidæ, esse & siccas.* Hæ enim qualitates magìs inter se symbolizant.

§ XVII.

De secundis qualitatibus plantarum.

1. SApor in plantis, præsertim fructibus, & nucleis inest. Quia nimirùm, pars illa succi, ex qua concrescunt, est in reliquis partibus ejusdem præstantissima, & maximè substantialis. 2. *Qualibet autem species fructûs, singularem saporem habet.* Quia in singulis, ob singulares plexus, succus ille, singulari modo præparatur, & percolatur. 3. *Hinc sylvestribus, & crudis, ac immaturis fructibus, sapor acerbus inest.* Quia non est ille succus alimentitius, bene percolatus, atque excoctus. 4. *Semina acrium plantarum, acriora sunt, quàm radices, vel folia.* Quia, dum in planta percolatur acrior ille succus, crassiores illius partes, quæ sunt minùs acres, manent in radice, & folijs; subtiliores verò, ad semen deducuntur. 5. *In quibusdam terris, ejusdem etiam speciei fructus, dulciores nascuntur.* Provenit id, à dispositione terræ, quæ est modicè sicca, in hac siquidem, nec humor obtundit dulcorem, uti in palustri, nec nimia siccitas, acrimoniam accendit; quamvis id etiam refundi possit, in benignitatem cœli, aut calidius clima. 6. *Planta in loco, quo est ab animali præmorsa, amarescit.* Quia ad locum illum, veluti ad vulnus, mali humores confluunt. 7. *Folia arborum, non sunt dulcia, etsi fructus sint dulces.* Nam folia, de crassiori, & crudo humore nascuntur, crudus verò humor, si eum calor non decoxerit, dulcis esse nequit. 8. *Odor quoque plantis inest, vel maximè.* Hic autem nihil aliud est, quàm halitus plantarum, in tenuissima filamenta diffusus, qui fibras olfactûs afficit. 9. *Hinc fructus maturi odoratiores.* Quia succus optimè subactus, perfectâ scilicet concretione, & percolatione, facilè exhalatur. 10. *Hinc fragrantissimi odoris flores, citò marcescunt.* Quia perennem odorem exhalant. 11. *Porrò magna varietas est, in odore florum, herbarum, & fructuum.* Quia materia illa, quæ in odoratum halitum abit, varia est, ac diversa, pro diversa præparatione; & hæc diversa, pro diversa percolatione; hæc verò diversa, pro diverso fibrarum plexu; & hic, pro diversa organizatione colli, uniuscujúsque plantæ, secundùm speciei suæ exigentiam. 12. *Color, quàm mirificus sit in floribus, fructibus, arboribus & cunctis herbis, vel ipsis oculis percipitur.* Qui utique, ex varia commixtione primarum qualitatum, uti in alijs corporibus, resultat. 13. *Hinc matura spica flavescit.* Quia cùm humiditatem sol arefacit, nec tamen totam exurit, ea flavum reportat colorem. Talis est in matura spica. Ergo. 14. *Hinc, in facie superiore florum, vivaciores colores sunt, quàm in infe-*

inferiore. Quia superior magis solem respicit, & ab illo meliùs decoquitur. 15. *Hinc arborum folia, in Autumno, ex viridibus fiunt rubra.* Ex ardore solis, quô sunt adusta. Nam omne adustum rubescit. 16. *Deinde verò, eadem folia, dum siccantur, albescunt.* Nam flavus color accedit ad album, ideò cùm perfectè arescunt, fiunt alba. 17. *Cur flores, maximè coloris sint varij?* Quia materia illorum, est subtilissima, quæ partim à diversitate percolationis, tam variè; partim à sole, variè potest attemperari. 18. *Cur sæpè margines florum, habeant alium colorem?* Quia ad margines decoctus succus, non habet quo procedat ultrà, itaque ibi est auctior. 19. *Sed cur maculæ subindè reperiuntur, in medio florum, seu foliorum?* Quia, quando fibra aliqua læditur, succus ampliùs digeri, aut progredi non potest, sed ubi stitit, ibi variationem inducit. 20. *Cur in lilio, circa grana, color est croceus.* Ille fit, ex halitu modicè perusto. 21. *Cur verò subindè, aliquæ illius partes, nigræ.* Hæ fiunt ex halitu eodem, sed nimiùm exusto. Verùm de coloribus florum, vide plura Dissertatione optica, Physico-Mathematica.

§ XVIII.

De temperamento plantarum.

1. *DIversa diversarum plantarum, sunt temperamenta.* Juxta diversitatem commixtionis, primarum qualitatum in ijsdem. 2. *Imò aliquando, etiam eadem planta, juxta diversas partes, diversa temperamenta.* Sic ex. gr. nucleus nucis, est calidus; gulioca, seu exterior cortex ejusdem, frigidus. 3. *Hinc tam varij effectus, & operationes plantarum, in morbis curandis.* Ut harum vires, ac virtutes, nôsse sat esset; ad sanitatem corporis humani, & eam curandam, ac conservandam sine tot mixtis, ac compositis, sumptuosísque medicamentis. 4. *Hinc: nonnullæ plantæ, vi purgativâ pollent.* Hæ verò, tam copiosæ sunt, ut sine longo censu, recenseri non possent. 5. *Ex his verò, quædam sunt lenientes, quæ tantùm alvum purgant.* Nempè humectando fœces, eásque subigendo, & molliendo. Et hujusmodi sunt: malva, mercurialis, cassia, pruna dulcia, &c. 6. *Aliæ sunt verè, & propriè purgantes, quæ scilicet: aliquem humorem, è corpore proliciunt.* Dum scilicet: in ventriculo solvuntur, atque carnis pars subtilior, sanguini admiscetur, ac toto corpore, per circulationem sanguinis spargitur, hæ enim peccantem humorem, ita dissolvunt, ac ita meatus laxant; ut prædictus humor, facilè trajiciatur. 7. *Aliæ autem sunt, quæ alium humorem, sic attrahunt.* Nempè:

quæ tali partium plexu constant, quali educendus peccans humor. 8. *Hinc quædam, bilem purgant.* Ut cassia, rhebarbarum, aloë, psyllium; scamonicum. 9. *Quædam pituitam.* Ut agaricus. 10. *Quædam atram bilem.* Ut polypodium, sena, epithymium, &c. 11. *Quædam serum.* Ut esula, &c. 12. *Quædam, ad vomitum provocant.* Ut asarum, cortex medianus juglandis, nux vomica, lolium, &c. 13. *Quædam vi dieretica pollent.* Ut absinthium, urtica, bacca juniperi, amygdala amara, &c. 14. *Quædam, sudorem provocant.* Ut cardus benedictus, pimpinella, angelica, &c. 15. *Quædam diversis corporis partibus, malè affectis, utiles sunt.* Nempè: prout singulæ partes, singularum fibrarum plexum habent, proportionatum plexui partium, & fibrarum ipsarum plantarum. 16. *Aliquæ sanguinem sistunt.* Ut papaver, portulaca, succus granatorum, cydonia; vel quia ipsum sanguinem incrassant, & quasi ex parte coagulant; vel, quia extrema venularum, arteriarúmque orificia obstruunt, ut: semper vivum, lens palustris, plantago, absinthium. 17. *Aliquæ sanguinem temperant.* Ut cichorium sylvestre. Quatenus scilicet vitiosam, reliquorum humorum, in sanguine, permixtionem impediunt. 18. *Quædam somnum conciliant.* Ut lactuca, papaver, opium, nymphæa, solanum: quia organa interioris cerebri, obstruunt. 19. *Aliæ verò è contra, somnum fugant.* Quia vaporem illum, qui somnum conciliaret, discutiunt. 20. *Quædam ori, vel naribus admotæ, cerebrum purgant.* Ut betonica, salvia, origanum, tabacum, majoranum, sinapi, zinziber, pirethrum, rutta, &c. Quia sensim meatus laxando, excrementa pituitosa, ex cerebro, in palatum, & nares projiciunt. 21. *Quædam, pectus purgant, reficiunt, & confortant.* Ut: helenium, hysopus, tussiligo scabiosa, amygdalæ dulces, uvæ passæ, ficus, &c. Nam humores, pulmonibus contactos, leniunt, attenuant, maturant, subigunt, tenacitatem diluunt; quó fit, ut facilè excreari possint. 22. *Quædam multam bilem generant.* Ut caules, porri: *quædam pituitam augent.* Ut portulaca, lactuca. *Quædam verò, abeunt in melancholiam.* Quia nimirùm, talem materiam subministrant, quæ facilè in prædictos humores convertatur. 23. *Quædam plantæ, veneficæ sunt.* Quia sanguinem, nativo suo frigore, figunt, & nativum calorem extinguunt, vel quia, principalis alicujus partis, v.gr. cordis fibras, vi suâ dissolvunt. Sed de his plura Medici, præsertim Pontancici.

§ XIX.

§ XIX.

De ijs, quæ plantis adnascuntur.

1. *ALiquibus arboribus, ut Quercui, pyro malo, &c. viscus adnascitur.* Hic autem nihil aliud est, quàm nova, atquè excrementitia planta, ex vitiato humore arboris excrescens. 2. *Hinc arbori, cui innascitur, nocet.* Quia simul, cum vitiato humore, annonæ, sive succi alimentitij partem, arbori detrahit. 3. *Visci substantia, viscosa, & tenax est.* Nam ex humore uliginoso, & crasso provenit. 4. *Hinc folia ejus, paulò longiora.* Quia molli, & ductili materiâ constant, quæ in longum facilè ducitur. 5. *Hinc semper viret.* Quia humore abundat, qui propter uliginem, avolare non potest. 6. *Muscus quóque, frequenter cortici arborum adnascitur.* Simili modò, uti viscus, ex humoribus vitiatis, ipsius arboris. 7. *Hinc & cautibus illis, ex quibus perennes aquæ manant, ut plurimùm adhæret.* 8. *Nocet similiter arboribus.* Utpotè, quibus ariditatem conciliat. 8. *Gallæ quóque, quibusdam arboribus adnascuntur.* Hæ autem etiam sunt, veræ plantæ, habent siquidem suam organizationem, & crescunt, per introsumptionem. 9. *In his, verò, generatur quoddam muscæ genus, aut vermis, aut araneæ.* Nascuntur hæc, ex putri earundem Gallarum. 10. *Atquè hæ, porosâ materiâ constant.* Hinc ita leves sunt. 11. *Constant etiam partibus striatis.* Unde nigredinem, atramento conciliant, & intus nigræ sunt. 12. *Adhærent quóque arboribus, fungi, aut certè propè arbores excrescunt.* Hæc quóque, planta excrementitia est, quæ vel ex ligno, aut planta putri nascitur, vel ex aliqua illius parte, malè affecta. 13. *Porrò ex his, alij ipsis arboribus adhærescunt, alij sub arboribus, alij ex ipsa terra.* Quibus tamen omnibus, vel lignum corruptum, vel aliquid lignei succi, materiam suppeditat. 14. *Nullus autem fungus, radices habet.* Verùm radicis locò, tuberculum habet, valdè porosum, per cujus poros laxiores, succos abducit. 15. *Nullum etiam semen habet.* Quia sunt plantarum imperfectissimi, sicut etiam animalia, quæ sunt imperfectissima, carent semine. 16. *Substantiâ constant, valdè spongiosâ.* Hinc facilè fissiles sunt. 17. *Unde citò crescunt, affuso præsertim humore, ac imbre.* Quia cùm valdè laxos habeant poros, multam vim succi abducunt. 18. *Aliqui eorum venenati sunt.* Quia avidè attrahendo succus, hos inter, etiam venenatos attrahunt, hauriunt enim quidquid affunditur. 19. *Gravem odorem emittunt, dum sunt crudi.* Ob crudum, & incoctum humorem. 20. *Callosâ quâdam pelle teguntur.* Hæc verò externo frigore concrescit, ac post-

postmodùm exſiccatur. 21. *Hinc communiter, ab interiori parte ſtriatas fibras ducunt.* Quia his quoquoversùm repercutiuntur, atque ſic in criſpum eunt. 22. *Præcedente tonitru plurimi excreſcunt fungi.* Quia cum tonitru, imber ut plurimùm pinguior eſt, quô fungifera terra multùm gaudet. 23. *Fungi citò corrumpuntur.* Quia humidum eorum, eſt valdè vaporoſum, ideóque citò avolat, tùm reliquum diffluit in pulverem nigrum, quod erat terreum. 24. *Igniarij quóque fungi adnaſcuntur arbori, præſertim quercui, & junco.* Horum enim ſubſtantia, cùm ſit valdè poroſa, & fungoſa, ubi exſiccatur, ſelecta ignis eſca eſt. 25. *Agaricum quibuſdam arboribus adnaſcitur.* Hinc fungoſa eſt ejuſdem ſubſtantia, ut cæterorum fungorum. 26. *Hoc verò eſt candidum.* Quia multâ ſpumâ conſtat. 27. *Vi purgante pollet.* Ob nimiam acredinem, hinc ſapore amaro eſt. 28. *Valdè leve eſt.* Quia valdè poroſum. 29. *Ad vomitum quóque provocat.* Quia cùm pro levitate ſua, innatat ventriculo, ſuis particulis ventriculum vellicat, & ad vomitum promovet. 30. *Pituitam etiam purgat.* Iiſdem enim particulis, tenacitatem materiæ diſſolvit.

§ XX.
De ſuccis plantarum.

1. *INter ſuccos plantarum, ponimus etiam vinum.* Utpotè quod eſt ſuccùs, ex uvis expreſſus. 2. *Huic autem varius color convenit.* Ex varia qualitatum permixtione, ac earundem diverſa percolatione. 3. *Vinum initio turbidum eſt.* Quia fæx nécdum in fundum deſcendit, & corpuſcula, quibus conſtat, necdùm ſunt bene ſubacta. 4. *Muſtum, in quibuſdam Regionibus coquitur.* Nempè per concoctionem, ſuccus magis crudus evolat, & magìs extenuatur. 5. *In quibuſdam Regionibus, vinum vetus generoſius, in alijs verò evanidum.* Quia in illis, initiò multas crudas partes continet. quæ ſucceſſu temporis matureſcunt; in his ſtatim initio maturas, quæ dein, per nimiam excoctionem nimiùm extenuantur, & nimiâ vetuſtate aceſcunt, & ſpiritus generoſiores evaporant, & enervantur. 6. *Tempore, quô vites florent, vinum plurimùm fervet.* Quia in vino etiam, aliquid virtutis ſeminalis ineſt. 7. *Vinum quandóque in vappam vertitur.* Dum ſcilicet, fæcis particulæ rarefactæ, ſursùm aſcendunt, vel alia ejus corpuſcula admixta, ſolvuntur, atquè putreſcunt. 8. *Hinc plurimùm, per æſtivos calores, vinum vapidum fit.* Idquè præſertim in cellis vinarijs, quæ vina æſtus ſentiunt. 9. *Hinc vinum generoſum, huic corruptio-*

ruptioni, magis resistit, quàm tenue, & lymphatum. Quia fortiùs, partes fæcis retrudit, & pauciores particulas, putredini obnoxias continet. 10. *Hinc aliquando, ipso tremulo motu, vinum vapidum redditur.* Quia per talem motum accidit, ut leviores partes fæcis, statim assurgant. 11. *Vinum, quod ex uva putrida expressum est, turbidum colorem præfert, & facilè corrumpitur.* Quia vitiato succo constat. 12. *Vinum acerbum, rarò fit vapidum.* Quia succo crudo constat, qui magis resistit. 13. *Acetum etiam, ex vino fit.* Nempè per divisionem particularum succi, quæ saporem vino addebant, aut earundem corruptionem. 14. *Hinc ut acetum fiat, vinum, vel calori solis exponitur, vel calido observatur loco.* Per calorem enim, faciliùs corruptio, & divisio dictarum particularum, inducitur. 15. *Hinc in omni aceto, innumera multitudo vermiculorum reperitur.* Quia utique, ex computrefactione earundem particularum nascuntur. 16. *Alter succus plantarum, est oleum.* Quidquid autem, ex semine plantarum, exprimitur, dicitur oleum, sed præcipuum est illud, quod ex olea. 17. *Hoc verò, multô igne constat.* Cùm & flammam nutriat, & facilè inflammetur. 18. *Adhæret facilè corporibus.* Multis enim constat filaminibus, quibus corporibus implicatur. 19. *Hinc filatim, non guttatim fluit.* Quia partes, inter se implicatæ, prædicto filaminum plexu, sibi invicem adhærent. 20. *Est autem levius aquâ.* Cui proinde supernatat. 21. *Oleum soli expositum, albescit.* Quia caloris vi, humor, qui cuncta denigrat, ex eodem extrahitur. 22. *Cum aqua, difficilè miscetur.* Ob fibrarum intricatum plexum, qui difficulter dividitur. 23. *Oleum, pannis tenaciùs adhæret.* Quia, cùm & pannus, ex filaminum plexu contextus sit, filamenta olei, filamentis panni implicantur. 24. *Mel quoque, ad succum plantarum, meritò refertur.* Mel etenim, ab apibus non fit, sed ex floribus plantarum colligitur. 25. *Cera etiam non fit, sed colligitur, ab apibus.* Sed præsertim, ex floribus albæ spinæ, quorum odor, non solùm similis, odori cæræ, sed idem prorsus, cum illo est. 26. *Sola igitur cellarum, mirifica illa fabrica, singulare apum opus est.* Quas illæ, tam mirabili artificio construunt, aptatis, & compositis intra se partibus humore dilutis, & subactis. 27. *Hæ porrò cellulæ, hexagonæ figuræ sunt.* Ad hunc enim finem, sex pedunculos, natura, apibus tribuit, quibus cum æquali nisu, & æquali explicatione, materiam distrahunt. hoc est: versùs circumferentiam promovent, unde figuram hexagonam, sequi necesse est. 28. *Quæres, cur illa cera, quæ virgo vocatur, candida sit?* Nempè nativo calore probè exsiccatur. 29. *Cur verò flava odorem suum, meliùs contineat, quàm alba?* Quia flavæ, plùs humoris inest, adeòque plùs etiam halitûs, ab ea avolat; in halitu autem est odor, igitur plùs odoris

continet. 30. *Saccarum similiter, est succus plantæ.* Ex quodam videlicet, cannarum genere expressus. 31. *Porrò hic succus, non est præcisè, à Cælestibus influxibus.* Sed est, succus terrestris nativus, plantæ vi, per radices adductus, præparatus, percolatus, & percoctus, ac in interiorem demùm medullam traductus. 32. *Gummi pariter, plantarum succus est.* Adnascitur autem cerasis; amygdalis, prunis, persicis, aliisque hujusmodi arboribus. 33. *Concrescit hoc, in cortice arborum.* Nam cùm sit pinguis, ac tenax succus, ita, ut propter suam tenacitatem, percolari non possit, sensim effluit, quà patet exitus, atque sic concrescit. 34. *Pix eodem modo, est succus plantarum.* Nempè qui ex teda, vel spontè, vel ignis caloris vi profluit. 35. *Gummi tamen arborum; non ardet, uti resina.* Quia gummi, est succus, ex humido concretus, resina verò est, quædam pinguedo oleosa, adeóque incendio apta. 37. *Styrax etiam quoddam resinæ, vel lachrymæ, est genus.* Verùm magìs ad ariditatem, & siccitatem accedens. 38. *De myrrha, idem dicendum est, licèt sit, nobilioris temperamenti.* Ejus enim singularis effectus est, integra corpora servare, quæ illâ condiuntur, à corruptione. 39. *Thus etiam, est gummi, & lachrymæ genus.* Ex singulari tamen planta fluens. 40. *His adnumerari debet Opobalsamum.* Hoc autem, est succus quidam, ex Balsamo fluens, raræ virtutis, & odoris rari.

§ XXI.

Admiranda plantarum.

Præcipua duntaxat plantarũ, hîc enumero, ordine, quô menti, ac calamo occurrunt.

1. *IN Japonia, reperitur arbor, amica ferri, nam si ramus illius, vel decisus, vel avulsus sit, ut denuò aglutinetur, clavo ferreo affigendus est; & si arbor ipsa, aliquando arescere videatur, scops ferri, ejus radici admovenda est, ut pristino vigori, & statui restituatur.* Cujus admirabilis effectus, alteri tribui non potest, nisi corpusculis ferri, prædictæ plantæ amicis, hoc est ita compositis, ut horum plexus, plexui plantæ, rectè conveniant, atque sic, ejusdem obstructiones tollant, fibrásque purgent, ut trames rectè procedere queat. 2. *In Insula Zellan, arborem esse ajunt mediocrem, sed crassam, exiguorum, & crassorum foliorum, quæ noctu corruscat, & tenebras fugat, ideò arboris illustris nomen, à scriptoribus sortita est.* 3. *In India est planta, incolis satis nota, quam Lusitani, arborem sentientem, alij arborem vivam appellant, ea de causa, quòd ad accessum hominis, vel animalis flavescat, seseque contrahat, ac claudat, nec se pandat, priusquàm inde recessum fuerit. Eadem ex ratione, incolæ illam, arborem pudi-*

cam nominant. Hic tamen effectus, nulli sensui tribuendus est, ut aliqui perperam putant (hôc siquidem plantæ carent) sed halitus animalium, cujus afflatu nervi delicatissimi plantæ, quasi solvuntur, nec eriguntur iterum, donec exteriùs, difflante vento, & intus, vi nativâ reluctante, longiùs abigantur. 4. *In Hispaniola, arborem quandam, auri venas habere scribunt, rerum Indicarum scriptores.* Quod quidem minùs mirum, cùm in Hungaria, non rarò reperiantur vites, quæ granula sparsa, per majora grana botri; aut etiam tenues laminulas, producant. Causa autem hujus rei, putatur esse, venæ auri, à quibus, cum alimentitio succo, aurum simul attrahunt. 5. *Mimosia herba, singulis noctibus, sole occidente senescit, & quodam modo, siccatur, & contabescit, oriente verò sole, vigorem denuò recipit, quantóque sol magìs fervet, eò magìs viret, totóque die, ad solem folia convertit.* Plures similes plantas solisequas, esse constat, quarum ratio difficilior quidem est, adducemus nihilominùs aliorum, hac de re, opiniones paulò infrà. 6. *Sic inter cæteras plantas, Acatiæ folia, ita solem amant ut simul, ac is ortus fuerit, se se aperiant; sole verò occidente, ita se contrahunt, ut non folia, sed juniperi spinas diceres.* 7. *Imò sunt nonnullæ plantæ, quæ non diurnum tantùm, sed & annuum solis, æmulentur motum.* Causam hujus conversionis plantarum, ad solem, petit P. Honoratus Fabri, ab uliginosi halitûs profluvio, cujus infinita ferè filamenta; quæ à radijs solis rarescunt, florem, versùs solis aspectum vertant. Alij id referunt, ad specialem sympathiam, radiorum solis, cum hujusmodi plantis, ac floribus. 8. *Eadem prædicta planta mimosia, manui admota, marcescit; remota, pristinum vigorem recipit.* Ob inimicos scilicet, & sibi nocivos spiritus, ac exspirationes, è manibus profluentes. 9. *In nonnullis Indiæ locis, præsertim in Malabar, frequentissima nascitur arbor, quæ nocte, pulcherrimis, svavissiméque olentibus floribus onusta, & hilaris viget, at simul atque manè, à solis radijs illustratur, non modò flores omnes, in terram abjicit, sed tota arbor cum suis folijs, quasi marcida apparet.* Fortè, quia flores, & folia arboris illius, tenuissimo glutine succi nativi, cortici ramorum adhærent, quod facilè à radijs solis solvitur, & sic flores decidunt, ac folia marcescunt. Occidente autem sole, rursùs per nocturnum frigus solidantur, & succo interno, vel simul humore externo adjuvante, restaurantur. 10. *Sed his omnibus, mirabilior est frutex Tartaricus Baranecz dictus, crescit enim agni figurâ, ad pedum ternum altitudinem: quem pedibus, ungulis, auribus, totóque capite, pro cornibus pilos gerit, cornu specie, ferunt internam illius pulpam, carnis formam, referre, & è vulnere quoque sanguinem manare.* Hinc aliqui opinantur, fruticem inter animalia, vel Zoophita (quæ mediam na-

turam, ex animali, & plantâ constantem habent) esse connumerandum, probabilius tamen est, simplicem tantùm esse plantam; nam quod in figuram animalis excrescat, & quod sanguineum, sub pelle lanigera succum, si incidatur, stillet, neminem movere debet, cùm hæc etiam in alijs reperiantur plantis. Sic aliquæ plantæ muscarum, aliquæ apum, aliquæ hominis etiam figuram referunt, Et mala punica sanguineo succo turgent, & certi generis persica poma, sub lanuginosa superficie, liquorem, sanguinis instar continent. Ita sentit Schottus par. 4. mag. natural. lib. 4. 11. *Sed illud auget admirationem, quòd hic frutex, herbis vesci videatur. Nam tamdiù vivit, quamdiù vicinis, obsidetur herbis, quasi agnus in loco pascuo; absumptis verò illis, aut aliundè subtractis, tabescit, atque interit.* Hoc ideò Kircherus accidere putat, quòd omnem circa humorem, cujus magnâ copiâ indiget, per caulem attrahat, quò dum vicinæ herbæ privantur, contabescunt, & emoriuntur, ideóque ab agno plantali, absumi videtur, deficiente verò postmodùm, pro se necessario humore, ac consumpto, & ipse frutex perit. *In Java Insula, arbor esse refertur, cujus medulla ferrea est.* Vero similius tamen esse puto, hanc medullam, speciem duntaxat ferri referre, quoad colorem, & duritiem, utpotè ex succo nimiùm terreo, concretam. 13. *In Peru reperitur herba, vel frutex potiùs, cujus ramus, in manum infirmi porrectus, si is superstes futurus sit, quamdiù illum in manu tenet, eum alacrem, & lætum facit; si moriturus, mœstum, & anxium.* Id fortè magìs ad superstitionem pertinet. Esto Nierembergius lib. 14. Hist. natural. aliam quoque herbam Teomalt dictam, esse vitæ, & mortis indicium scribat. Nam si hujus herbæ, vel fruticis, succum haustum evomat ægrotus, signum mortis est; si non evomat, vitam promittit. 14. *Ficus Indica, adeò fœcundæ naturæ est, ut subindè, ex uno ejusdem trunco, integra sylva excrescat.* Ubi enim aliquantulùm excreverit hæc arbor, ramos in omnia circum latera expandit, qui tenues quasdam fibras, & filamenta deorsùm demittunt, hæc verò ubi terram attingunt, firmantur, novámque quasi prolem germinant, & veluti in novas arborum radices transeunt: qui rursùs summâ sui parte, novos in latere ramos spargentes, novis denuò fibris, deorsùm missis, sese propagant, & sic consequenter, & alij rami, ferè in infinitum. 15. *Arbor est apud Indos magna*, teste Nierembergio lib. 15. Hist. natural. cap. 10. *cujus fructus, ubi maturuerit, rumpitur tanto sono, ac impetu, ut veluti quopiam sclopo jactatum, quàm longissimè avolet.* Accidit id fortassis, quòd nucleus interior, fructûs hujus, sit porosior, ipsa autem arbor sit nimiùm calidæ naturæ, hinc fit, ut vi caloris, quà interni, quà externi, nimiùm rarefiat, unde necesse est, cùm dilatari aliter non potest, ut exterior

cortex

cortex nuclei rumpatur, ac procul ejaculetur. Simile ferè quid accidit in castaneis, non scisso priùs cortice, in calidos cineres expositis, vel globulis vitreis, aquam inclusam continentibus, ijsdem calidis cineribus, vel prunis impositis. 16. *Non exiguæ sunt quoque admirationis, arbores Indiæ occidentalis, tantæ magnitudinis, ut ferè fidem ea excedat.* Nam ut Petrus Martyr scribit: Occidentalis Indiæ Insulæ, nutriunt, tam proceras, & vastas arbores, ut inter earum ramos, domos liceat ædificare indigenis, imò tam immensæ inveniuntur, in ijs Regionibus, arbores, ut in earum cavitatibus, domos ædificent incolæ. Scribitur quoque Mexicanus Rex, in suis viridarijs, non unam habuisse arborem, sub cujus umbra, mille homines sederunt. 17. *Olera, quæ Hispani primùm in Peruensi Regione semînârunt, adeò liberali fœcunditate creverunt, ut manu, ultima folia contingi non possent.* Tribuendum id erat bonitati terræ, & longissimæ quieti ejusdem, ab omni inseminatione, quæ in barbara illa natione, in usu non fuit. 18. *Hinc inventus est inibi aliquando raphanus, cujus umbra, quinque equos ligatos, complectebatur. Visi quoque pepones, plùs quàm centum librarum.* Ut testatur Nierembergius lib. 17. Naturalis Historiæ cap. 113. & 114. 19. *Addit idem Author in Arabia, jacto semine cucumerum. & hujuscemodi rerum, fructus eorum legi intra vigesimum diem.* Caules, betas, lactucas, boragines, & alia his similia, ad perfectam maturitatem pervenire, intra decimum diem, cucurbitas, & melones, intra vigesimum octavum diem. 20. *Verùm & plantarum resuscitatio, ex earum cineribus, per artem Chymicam, prorsùs est admirabilis.* Per hanc siquidem, plantas in cineres redactas, uti & flores, ad nativum, & pristinum statum reduci posse, plurimæ testantur historiæ, & exempla. 22. *Arti non cedit natura, in plantarum productione.* Dum scilicet, lapidibus, gemmísque variarum plantarum figuras, ita imprimit, ad vivum; ut hæ nativis cedere, non velle videantur.

§ XXII.

Plantæ fictæ, vel dubiæ existentiæ.

Alibi, de rerum falsa, vel dubia existentia, disseruimus; hîc solùm enumerabimus, eas plantas, quæ meritò ad hunc titulum, possunt revocari.

TAlis igitur Primò est. *Planta, quæ naturali virtute, dicitur fugare dæmones.* Nulla enim talis planta datur. Quia nulla vis corporea mentes illas incorporeas afficere potest. 2. *Aliquæ tamen plantæ, Energumenis salubriter admoventur.* Nam dæmon aliquando, ita humores, in eorum corporibus commovet, ut nonnisi adhibitis remedijs, in pristinum statum restitui possint.

3. Non

3. *Non minùs fabuloſa eſt planta illa , quæ ferrum ſecare, aut rumpere dicitur.* Hic etenim effectus, eſt ſupra naturales plantæ vires ; unde ſi is, ad applicationem alicujus plantæ, aliquando ſequitur, pactum explicitum,aut implicitum cum Dæmone,intervenire neceſsè eſt. 4. *Hinc non minùs fabuloſa eſt, aliqua planta, quæ naturali ſuâ virtute, fortunatum quem reddat, victorem in ludo, amabilem, gratum, &c.* Ex eodem fundamento , & à fortiori quidem. 5. *Hinc quoque, nulla planta eſt , quæ naturali ſuâ virtute , facit aliquem invulnerabilem, ſeu ut communi vocabulo utamur, congelatum.* Quando igitur aliquis, redditur invulnerabilis, per geſtationem alicujus certæ herbæ, vel ſtirpis, aut cujuſcunque plantæ, habet ſe ſolùm per modum ſigni , in ordine ad explicitum, vel implicitum pactum, cum dæmone, juxta quod dæmon, corpus geſtantis, talem plantam, tenetur tueri à vulnere, quod dæmon varijs modis poteſt efficere. v.g. ut quis invulnerabilis ſit à globo, vel ejuſdem vim, dùm volat per medium aërem, ita hebetando, ut tam debilis ſit illius ictus, ut corpus lædendum, non penetret, vel ita condenſando medium, vel interponendo aliquid, ut globus penetrare non poſſit, vel ita reſiſtendo, in corpore à glande petito, ut impetum retrudat. 6. *Eadem ratio eſt, de invulnerabilitate à gladio.* Hoc enim facit dæmon,vel infringens impulſum in gladio factum, ut corpus non penetret, vel in corpore reſiſtendo , ut penetrari non poſſit ; ſemper tamen ad ſignum impliciti vel expliciti pacti, cum eo, qui talem herbam, aut ſtirpem, aut quamcunque plantam, hunc in finem geſtat. 7. *Hinc mutatâ, vel additâ circumſtantiâ aliquâ non ordinariâ, tales quoque capiunt arma.* Reſiliente dæmone à pacto, in quo, non continebantur illæ circumſtantiæ. 8. *Unde & inſenſibilitas illa, quæ in tormentis nonnumquam obvenit Magis, nullius plantæ virtuti adſcribi poteſt.* Verùm ad illius geſtationem, tanquam ad poſitionem ſigni expliciti, vel impliciti pacti, dæmon id efficit, vel ſenſus eorundem ſopiendo, & ſtupefaciendo, vel ſoporem gravem illis immittendo. 9. *Minimè verè alicui plantæ hoc convenit , ut geſtantem inviſibilem reddat.* Sed in tali caſu, dæmon impedit, ſpecies viſibiles objecti, ne ad oculos præſentium perveniant. 10. *Quæ de herba Baaras referunt, & ſignatè, quòd accedentes, & evellere ſe cupientes, fugiat, à multis fabuloſa, vel ſuperſtitioſa eſſe putantur.* Nam imminens malum ſibi, fugere, animalium eſt actus, non plantarum. 11. *Fabulis adnumerari debet etiam id, quod ſcribit Zooraſtes; quòd ſi per multos annos ſterilis fuerit arbor aliqua, tunc ſi amicus pro ea rogaverit, & fide juſſerit, ſequenti anno fructum laturam, ac ille amici verbis perſvaſus abierit, arborem poſteà ſine mora , fructiferam exiſtere.* Nam amici preces, nullam arbori ſterili, vim generandi, ac fructus ferendi

rendi conferre possunt. Quare si effectus sequatur, dæmonis fraude sequitur. *Plantas, quæ aves producant, sive ex quarum fructibus decidentibus in aquas, aves, quas britannicas vocamus generentur, jam aliàs inter res falsæ, aut dubiæ existentiæ retulimus.* Ob rationes ibidem allatas. 13. *Huc quoque referri debet, herba illa, quam Magi Balam vocant, cujus mentionem facit Plinius lib. 25. cap. 2. Quæ catulum Draconis, ab homine, & hominem à Dracone mactatum, ad vitam dicitur revocare.* Nisi fortè sic interpretentur verba Plinij: Quòd virtute hujus herbæ, bestiæ, ac homines, è periculosis morbis, quasi à morte, ad vitam revocentur. 14. *Hujus affinis est herba, quâ picus avis infixum suis cavernis, quas in arboribus habet,* Cuneum admotâ extrahere proditur. 15. *Item herba Æthiopidis, quâ clausâ omnia aperiri, quibusdam admurmuratis cantilenis, tradunt.* 16. *Item alia, quæ ab equis calcata, continuò ferreos compedes, & soleas solvat.* 17. *Item frutex ille, de quo* Plin. lib. 12. Hist. natural. c. 6. *scribit: qui equos etiam invitos, ad se attrahat, & abducat, non tamen alia animantia.* 18. *De virgula illa divinatoria, ex corillo, auri, vel argenti venas, vel thesauros prodente quid sentiendum est, alibi diximus.* 19. *Majoris considerationis est, transplantatio morborum, in certas arbores, sive translatio infirmitatis alicujus v.g. Contractionis manuum, ex homine in plantas.* Verùm & hæc, superstitionem sapit. Priores verò effectus plantarum, nullo innituntur fundamento, imò aliqui, probatæ experientiæ contrariantur. 20. *His addi debet differentia sexuum, inter plantas.* Hæc enim in plantis, non requiritur, cùm semen cujusvis plantæ, sit sufficiens, ad generationem novæ plantæ.

§ XXIII.

Plantarum Sympathia, & Antipathia.

PLurima, Sympathiæ, & antipathiæ, inter plantas, à Botanicis, & naturæ rerum indagatoribus, recensentur exempla, ex his, ex notabilioribus referemus hìc aliqua. *Primò itaque Brassicam inter, & vitem, ingentem ajunt esse antipathiam.* Vitis enim, cùm, intortis claviculis omnia complecti soleat, solam refugit Brassicam, imò si eandem propè sentiat in adversam se retorquet partem, & si dum coquitur brassica, vinum vel modicum instilletur, illa nec probè coquitur, nec ipsius color constat, ac si in cellario brassicæ acidæ vasa, cum vasis vini serventur, vina ipsa corrumpuntur. 2. *Eadem brassica, cum cyclade, tantam dicitur habere antipathiam, ut si juxta se plantentur, arescat vel utraque, vel alterutra.* 3. *Hedera,*

dera, etsi omnibus arboribus perniciosa sit, maximè tamen adversatur viti. 4. *Arundinis, & filicis, mira est discordia, ita, ut altera alteram necet.* 5. *Hinc creditur filicis radicem contusam, arundinea spicula, corpori infixa ejicere, & si filice vomeri impositâ, aretur campus, arundinem penitùs in eo non nasci.* 6. *Cicuta, & ruta, sibi adversantur, & manuum prurigo, ac tumor à cicutæ tractatione ortus, succo rutæ persanatur, & potæ cicutæ venenum, rutâ retunditur.* 7. *Vites amant olivam; oliva myrtum ac ficum.* 8. *Rosæ allium amant, & odoratiores, propè illud sitæ evadunt.* 9. *Scilla est omnibus amica, nam quidquid eidem adplantatum fuerit, celeriùs crescit, ac germinat.* 10. *Cucumeres, sic oderunt oleam, ut in hamum sese incurvent, ne eam attingant.* 11. *Vitis, & ulmi, celebratissima sunt connubia.* 12. *Palma mascula, & fæminea, adeò se mutuò amare, & quærere dicuntur, ut cùm ramus unius, ramum alterius tetigerit, complicent se in mutuum amplexum; nec fructum ferat fæmella, sine masculo.* 13. *Amygdala arbor solitaria, minùs fæcunda est; quia sociâ caret.* 14. *Non solùm inter se plantis, sed & cum alijs rebus, ac præsertim cum animalibus, inest sympathia, & antipathia.* Sic ficus arbor taurum ferocientem, sibi alligatum, mansvefacit, & domat. 15. *Sic Aproxis herbæ radix, è longinquo ignem attrahit.* 16. *Origanum comedit testudo, quando à serpente quæritur, & confortatur per illud.* 17. *Rutam comedit mustella, contra regulum pugnatura.* 18. *Rutam, vel salviam edit bufo, quando alieno morsu, & veneno læditur, & ijs locum vulneris affricat, ac liberatur à veneni periculo.* 19. *Arundine tacta vipera. stupet.* 20. *Platani folia, abigunt vespertiliones.* 21. *Ricinus seritur in hortis, ut talpæ abigantur.* 22. *Fraxino, adeò sunt inimici serpentes, ut nec umbram illius tangant.* 23. *Olea, ficus, vitis, sunt amicæ plantæ; inimicæ olea, & quercus; laurus, & vitis, olea, & brassica; nux & quercus; amicæ item ficus, & ruta; inimicæ, ruta, & cicuta; uti superiùs jam est dictum.* 24. *Cuncta hæc Philosophi communiter referunt ad antipathiam, & sympathiam, & quandam vim occultam. Quam tamen* P. Honoratus Faber, lib. 2. de Plantis, propositione 181. *merum animi ludibrium vocat.* 25. *Plantam igitur unam*, citatus Author, *dicit esse, ex eo alteri inimicam, vel quia una, alteri alimentum subtrahit, si tamen communi succo vescantur; vel quia altera, suis effluvijs, & halitu, radicem alterius, malè afficit, aut saltem glebam vicinam, & succum, quem illa continet, inficit; unde is postmodùm alteri plantæ veneficus evadat; vel certè ijsdem effluvijs, una, alterius fibrarum plexus turbat, aut dilacerat, vel meatuum ejusdem, quibus succum attrahit, obstructiones causat.* 26. *Illas è contra amicas esse ait: quarum altera, vel succum, quô altera vivit, intactum relin-*

relinquit; vel suis corpusculis, perenni effluvio emissis, succum illum, eô modô subigit, atque præparat, quem amica planta postulat; vel ijsdem, in radicem amicæ plantæ insinuatis, obstructiones tollit, plexum purgat, meatus aperit, cruditatem subigit. 27. *Demùm & Antipathiam, & Sympathiam earundem plantarum, quam cum alijs rebus, & præsertim cum animalibus habent, ad eosdem halitus, sive effluvia, idem author revocat.* 28. *Hinc v. gr. rationem dat, cur Feles* calaminthâ *summoperè delectentur.* Nempe ob halitum hujus herbæ, cujus odor, mirificè eas afficit. 29. *Item, cur quædam plantæ, serpentes fugant?* Scilicet quia halitus illarum, serpentibus ingratus, atque noxius est. 30. *Quomodo* Dictamnum *dicta planta, ferrum ex vulnere educat?* Non alio videlicet modo, quàm effluvijs suis, vulnus laxando. Atque ex vulnere laxato, ferrum vel spontè cadit, vel facilè educitur. Ergo. Atque sic de cæteris discurrendo.

§ XXIV.

Nonnulla quæsita, quæ ad proprietates plantarum spectant, resolvuntur.

1. *CUr non omnes arbores, hyeme amittant folia?* Quia aliquarum arborum succus, est debilis, & modicè calidus, aliquarum verò fortior, & calidior, ille facilè adstringitur frigore, unde langvent primò folia, deinde cùm non affluit alimentum, decidunt: hic autem prævalet frigori, ab eo non adstringitur, sed ad folia pervadit, & tales arbores non amittunt, etiam per hyemem folia. 2. *Cur unius arboris lignum sit gravius, quàm alterius?* Quia densius unum alio, unde sub eadem quantitate, plùs habet materiæ, adeòque & gravitatis, quæ consequitur ad materiam. 3. *Cur arbores multùm fœcundæ, facilè arescant?* Quia totum nutrimentum illarum, transit in fructus. 4. *Cur ferus taurus, mansvescat, si ficui alligatur?* Quia feritas tauri, ab excitata bile procedit, hanc verò effluvia, sive halitus, qui à ficu procedunt, dissolvunt, & deprimunt. 5. *Cur caro è ficu pendula, tenerior evadat?* Id enim provenit, ex solutione plexûs fibrarum, ipsius carnis, per eadem effluvia. 6. *Hinc caro, dum in olla coquitur, tenerior evadit, si ea baccillo ficulneo, sæpiùs versetur, & agitetur.* 7. *Cur animalium, capræ ex. gr. morsus, insitionibus, & præsertim oleæ, funestus sit?* Quia ab illo morsu, fermentum quoddam in vulnere relinquitur, quod deinde totam arborem inficit. 8. *Cur cucumis, se ad aquam extendat?* Quia ab aqua illa tepescit, vicina terræ gleba, imò & aura hume-

ctatur; unde fit, ut cucumis, cujus caro valde spongiosa est, intumescat, & sic aquam accedere videatur. 9. *Cur nonnullæ herbæ, vel radices, cum carne coctæ, eam teneriorem faciant?* Quia tales plantæ acidâ vi, vel generosis spiritibus pollent. Acida autem, multam vim resolutivam habent, uti & spiritus magìs generosi; ad resolutionem autem fibrarum plexûs, consequitur teneritudo. Ergo. 10. *Cur aliquæ plantæ habeant spinas?* Quia tales plantæ, habent magnos poros, materiam verò, valde calidam, ac terrestrem, quæ citò digeritur, ac fervescit, erumpitque per poros, quæ postmodùm à sole fortissimè coagulatur, & indurescit, atque sic in spinas concrescit. 11. *Cur aliquarum arborum umbræ, certis morbis laborantibus, salubres sint?* Quia tales arbores, exhalant effluvia salutifera, quæ sol ex illis educit, ea æger attrahit, ac spiritibus suis immiscet, hæc verò sic immixta, corporis humores contemperant, atque naturalem constitutionem illius confortant. Hæc autem effluvia in umbra sunt magìs collecta, ubi nimirùm aër se, magìs constipat. 12. *Cur è contra, umbræ aliquarum arborum, capiti sint noxiæ?* Tales umbræ sunt fœtentiùm, & nimis fortem odorem spargentium, ob contrariam priori rationem. 13. *Cur aliquæ herbæ, de arbore pendulæ, aves arceant?* Quia acrem halitum emittunt, eúmque avibus ingratum, aves enim acuto prorsus pollent olfactu, odor autem diffunditur, in halitu. 14. *Cur* chamomeli *flores, olfactu dolori capitis prosunt, folia verò applicata, summè nocent?* Quia hæc planta, uti & aliæ plantæ plurimæ, in diversis partibus, diversum temperamentum habet, & quidem in parte subtili, quæ in halitum vertitur, & per odorem attrahitur, est salubris, in partibus verò crassis, vitiosa, quæ in folijs detinetur. 15. *An, & quomodo ex cornibus arietis, asparagi nascantur?* Id quidem aliqui fabulosum putant, sed si verum est, non adeò pro grandi miraculo, æstimari debet: Nam si ex ipsis animalibus, insecta quædam generantur, imò & plantæ ex putri, cur impossibile erit, ex cornibus arietis, præsertim comminutis, & in terram congestis, asparagos nasci. 16. *Cur rapæ succus, ad chalybis temperamentum, plurimùm conferat?* Quia per poros ferri candentis, ea corpuscula immittit, quæ plexum ferri, pressiorem reddant, unde chalybs durior redditur. 17. *Cur malvæ flores, oriente sole sese explicant, occidente verò, sese contrahant?* Quia quædam folia, calore explicantur. 18. *Cur plantæ quædam venenatæ, sæpiùs producuntur in montibus?* Provenit id, ex fumis mineralibus, qui dum ad superficiem terræ erumpunt, & in terram putridam incidunt, plantam venenatam producunt. 19. *Cur arbores, non amittant æstate folia, cùm sol videatur posse, arboris succum arefacere?* Quia licèt aliquid humoris, calore suo absumat, præ-

parat tamen cum fœnore, alium succum, qui intra arborem ascendat, & folia nutriat. 20. *Cur ligna arborum natarum, sub zona torrida, sint solidissima, ut constat ex Hebano, Cocco, &c.* Quia sole vehementi, humidum excoquitur, ut id, quod molle lignum redderet, exhalet. 21. *Utrùm Ocymum scorpiones generet?* Respondetur affirmativè, insunt enim Ocymo primæva semina scorpionum, cum requisitis dispositionibus. 22. *Utrùm ficus, & laurus, à fulmine tutæ?* Id quidem vulgò dicitur, sed mera est fabula, quid enim in ijs, tantam vim impetûs arceret? 23. *Cur quædam herbæ, degenerant in arbusta?* Quia tales sunt calidiores, & sicciores, proinde cùm excrescunt, acuto calore, humidum siccatur, & liquescit. 24. *Cur in calidis Regionibus, sæpiùs ligna arborum, nigra prodeunt?* Quia in illis, ob ardorem solis, humidum arborum evaporat, & terrestre aduritur. 25. *Cur arbor in longum finditur, non in latum?* Quia omnes venæ tendunt sursum, hoc est, in longum, non in latum. 26. *Cur ligna facilè cariem patiantur?* Faciliùs eam sentiunt, quæ sunt molliora, quia ex iis faciliùs humidum exhalat, quod partes ligabat, & sic siccus pulvis, instar cineris effluit. 27. *Cur aliæ plantæ, alijs diutiùs vivant?* Vel quia copiosiore resinâ, contra putredinem muniuntur, vel quia sicciores, calidioresque sunt. 28. *Cur apium, aquam salsam recipit, porrum verò recusat?* Quia apij radix, magìs spongiosa est, *porri* autem, minùs laxa. Atqui aqua salsa, crassior est, quod autem crassum est, per laxiores poros, subit, secùs per angustos. Ergo. 29. *Cur stirpium aliæ, ad semen usque vivere, tantummodò possint, ubi verò semen tulerunt, arescunt?* Quia cùm altas radices non agant, & multam vim, tum herbæ, tum seminis profundant, seu germinent, radix viribus prorsùs exhauritur, sicque arescit. 30. *Cur si cucumeres, aut cucurbitas, in terram condideris, majores evadant?* Quia substantiâ fungosâ constant; igitur succum undique, ex terra sugunt. 31. *Cur serpillum, & pulegium, pulices fugiant?* Totum hoc odorifero halitui, pulicibus ingrato, tribuendum est. 32. *Cur quidam fructus maturentur frigore?* Tales sunt, qui vel calore abundant, propter quem acerbi sunt, & hic frigore temperatur: aut certè sunt exigui caloris, uti illi, qui sunt admodùm duri: in his, cùm cutim stringit frigus, calorem intùs coërcet, qui fructum maturat. 33. *Cur si quis radicularum folia, per hyemem absciderit, terrámque circa radicem conculcaverit, majores deinde radices evadant?* Quia sic impeditur ne germen ascendat, vel adolescat, hinc tota vis, in radicem abit. 34. *Cur ruta, insita cortici ficûs, pulcherrima proveniat?* Quia pingui illo, & acri succo gaudet, jam in radice ficûs probè digesto. 35. *Hinc eadem ruta aspersa quoque cinere, gaudet.* Ex hoc siquidem acria corpuscula, ab

æstivo humore diluta exsugit. 36. *Cur arbor amygdali, in terris frigidis, non fructificat?* Quia succus ejus frigore concrescit, ideò vel perit arbor, vel est sterilis. 37. *Cur allium maturum, fortiorem habeat odorem, quàm crescens?* Quia crescens plùs habet de humore, qui odorem diluit, in maturo autem, humor ille aqueus, jam consumptus est, & sic nativam suam vim, retinet odor. 38. *Cur ficus dentibus non parùm noceant?* Quia lac ficuum, quô nutriüntur ficus, est acutissimum atque instar *aquæ fortis* adurens, ex quo aliquid in ficu manet, quod in dentes agit, & ad radices eorum, per gingivas penetrat. 39. *Cur stirpium aliquæ, inanem caulem edunt, ut cæpa:* Quia earum caulis, non immediatè ab ipsa radice, sed ab annulo umbilicari ascendit. 40. *Cur ex semine veteri raparum caules, nascantur?* Quia semen læsum vetustate, dum non potest generare quod debebat, bonum; generat quod potest, etsi leviùs. Sic etiam triticum, vitio terræ, subinde degenerat, in siliginem. 41. *Cur picea, larix, juniperus, carent flore?* Quia flos fit, ex tenuiori parte succi, liberato a crassioribus partibus, qui in dictis plantis, liberari non potest, utpotè multâ resinâ ijsdem alligatus. 42. *Cur cæpæ, inter plantas mordent oculos, & lachrymas cient?* Effectus hic, mordacibus particulis cæparum tribuendus est, quæ meatus oculorum laxant, stringúntque, ac vellicant, organa, velut lachrymarum & receptacula. 43. *Cur quædam plantæ, germinant extra terram, ut cæpæ & allia?* Quia in bulbo earum, congeritur succus, ad germinandum, à terra destinatus, igitur ubi externo tempore sollicitatur, statim germinat. 44. *Cur palea, fructus immaturos maturat, maturos, à corruptione conservat?* Quia palea, humorem externum arcet, unde timenda est corruptio, & nonnihil blandi caloris conciliat, qui maturitatem accelerat, ac promovet. 45. *Cur eædem paleæ, aquam calidam, & nivem integram servant?* Quia appulsum aëris frigidi, ac calidi prohibent. Ut autem frigidus, calidam frigefacit, ita calidus, nivem liquat. 46. *Cur urtica urit?* Quia humidô crassô, prædita est, quod in particulas, & extremitates foliorum, calorem cogit, ac stringit, unde is coactus, in aculeos quosdam erumpit, qui dum corpus animalis ingressi, adurunt, & humorem sub cute rarefaciunt, tumorem causant. 47. *Hinc in loco obscuriore, urticæ urentiores.* Quia earum calentes particulas, sol calore suo, non dissipat. 48. *Cur grana papaveris, sunt soporifera?* Quia papaver, est plenum crassis, ac gravibus vaporibus. 49. *Cur verò capita papaverum, propè summum, sunt perforata?* Quia crassi illi, ac graves vapores, dum papaver crescit, tenuantur, ac rarefiunt, neque jam eodem locô comprehendi possunt, ideò vias aperiunt, quibus exeant, ideóque dum summa petunt, sub

capite

capite papaveris, exitum faciunt. 50. *Cur trifolium ante tempestatem, inhorrescit, & folia subrigit?* Quia venulæ ipsius, laxantur humiditate, frigore verò, intenduntur. 51. *Cur* luciola *planta, & agaricum, de nocte luceant?* Quia aërem tenuatum habent. Hinc & olei gutta, intra aquas lucet. Squammæ item lucij, maximè circa commissuras. Ligna item putrida. Agaricum verò, est fungi genus, ligno putri simile. Plura his similia, resolvi possunt, ex hactenus dictis, in præsenti materia.



DISSERTATIO IV.
VENATIO PHILOSOPHICA.
SEU
DISSERTATIO PHYSICA CURIOSA
DE FERIS.



Ucupium, & piscatio, sunt quidem jucunda oblectamenta animorum, non tamen comparari possunt cum ea delectatione, & voluptate animi, quæ ex venatione Ferarum percipitur. Hinc genus hoc relaxationis, est propriè Nobilium, Magnatum, Principum, Regum, ac Monarcharum. Quidni igitur & Philosophis, jucundiorem disserendi præstabit materiam? sit igitur.

§ I.

De Cane, & illius natura, docilitate, indole, reliquisque proprietatibus.

Quia venationes potissimùm canibus instituuntur, & perficiuntur, ideò & nos, qui Philosophicam ferarum aggredimur venationem, aptè à canibus discursum ordiemur. Primò igitur in cane obser-

vanda est *admiranda fidelitas*: Unde meritò Plinius lib. 8. Natur Histor. cap. 40. ait: *Fidelissimum ante omnia animalia, est canis.* Innumerabilia sunt hujus rei tam apud veteres, quàm apud recentiores, imò quotidiana exempla, ex quibus particularia, & selectiora placuit hìc adducere. 1. *Cæclij* Senatoris canis, cùm is Placentiæ ab armatis circumdatus, & invasus fuisset, adeò strenuè dominum suum defendit, ut non priùs ille in vulnus inciderit, quàm canis in mortem. 2. Refert Majolus ex Vincentio Belluacensi lib. 19. Hist. cap. 13. Fidelitatis exemplum canis, Antiochiæ factum, qui Heri sui occisi cadaver constantissimè custodiebat: cùm autem frequens populus spectatum accederet, solus canis oblitus famis, in custodia cadaveris perseverabat, miserabili ejulatu dolorem ob Domini casum ostendens. Interim jacente in dolore ad occisi corpus molosso, contigit, ut alijs mortuum spectantibus, & ipse occisor compassionem simulans, accederet, sed canis homicidam conspiciens dissimulato tantisper dolore, intactis alijs apprehensum mordicùs, reum tenuit, nec dimisit, donec is comprehenderetur, qui crimen factum fassus fidelitatem canis comprobavit. 3. Canis viri cujusdam Colophonij nomine cùm is in Urbem *Terna* proficiscens, marsupium cum pecunia in via amisisset, deperditæ pecuniæ incubuit, contra omnem incursum eam defensurus, nec recessit, donec famulus Heri perditam rem quæsiturus, elapsis aliquot diebus ad locum redierit, fidúmque custodem marsupij incumbentem, ac præ fame vix spirantem offenderit. 4. Scribit Ælianus lib. 7. cap. 2. Cùm mulier adultera, absente marito in domum suam adulterum admisisset, & inexpectatè conjugem suum peregrè redire audijsset, Consilij inops, adulterum in latebris obserratâ januâ tantisper, ut, & crimen occultum illius maritum lateat, & eidem reduci, per adulterum vitam tollat: & sustulisset omninò, nisi vigilantia canis omnibus dormientibus, obstitisset; hic enim, jam etiam Hero sopore opresso, portam cubiculi, in quo adulter abdebatur, & latratù incessante infestare, & pedibus quatere, tamdiù non destitit, donec Herus somno excusso, è lecto surgeret, & portam effringeret, adulteróque comprehenso, se, vitámque suam libertati restitueret. 5. *Canes, non tantùm fideles, sed, & amantes sunt erga suos Heros.* Non pauciora quoque hujus rei sunt exempla: scribit Nierembergius lib. 9. Hist. Natur. cap. 40. In Belgio mortuo filio Marchionis Caronetensis, canis ejus se in sepulturam unâ immisit terrâ condendum, & violenter inde extractus, nunquam ex loco sepulchri recedere voluit. Refert etiam Lipsius Aviæ suæ catellum, toto tempore valetudinis, quæ eidem suprema fuit, à lecto non abscessisse, nec depelli potuisse: & cùm jam exhalâsset, ille ululans, & caudâ reductâ in hortum se proripit, & sub Co-

rylo arbore, pedibus scrobem leviter fodicat, in eámque se imponit, & spiritum deponit. Teste Æliano lib. 7. cap. 2. Dum Polus Tragædus animam egisset, & jam pro more suæ gentis, cremaretur, canis ejusdem quem vivens in delicijs habebat, medios in ignes insiliens, noluit à Domino etiam in rogo avelli. Causa porrò Physica, tantæ fidelitatis, & amoris, in canibus erga suos Heros, hæc est: Quia canis vehementi imaginativâ potentiâ est præditus: hinc ubi à Hero suo bona sensu perceptibilia frequenter accipit, communi phantasiæ apprehensione eidem afficitur, & quia temperamenti est calidioris, & cerebri, siccioris, hinc fit, ut profundè sibi collata beneficia imprimat, eorúmque facilè recordetur. 8. *Canes sunt vivacissimæ memoriæ.* Agnoscunt eam post multos annos domum in qua sunt versati, noscunt. & homines quibuscum aliquando convixerunt: post longiorem etiam moram, & absentiam, reduces, excipiunt suos Heros, eísque læti abblandiuntur. Relegunt longissima quoque itinera, & domum in qua degebant repetunt: allatrant eos, & fugiunt à quibus aliquando læsi sunt, post longum quoque tempus. Hinc tamen non evincitur mente eos præditos esse, mens namque seu intellectus, verum indagat, & ampl ctitur; respuit falsum, & ideò discernit, inter verum, & falsum, canis autem solis speciebus phantasticis movetur. 9. *Canes pollent ingenio, & mirùm sunt dociles*, patet id experientiâ. Nam ut refert Justus Lypsius, Bruxellis erat canis, qui Domini sui emptorem agebat: appendebatur enim collo ipsius corbis injectâ pecuniâ, & accepto signo ibat ad macellum, indéque acceptis à noto lanione carnibus, & corbi impositis fideliter referebat. Alter Lovanij, agebat tabellarium, nam epistolam colari à Domino insertam, & signo accepto, cursim Bruxellas, in certam & jam sibi notam domum deportabat, ac simili modo responsum reportabat. Tempore Vespasiani Imperatoris, canis quidam momum ad spectatorum admirationem agebat, repræsentabat enim ille varias personas in theatro, ita aptè, ut nemo histrionum aptiùs. Sed & nunc, vel maximè ad tales artes instruuntur canes, eásque tam varias, ut stupori sint spectatoribus. Quæ *similiter eorum docilitas refertur ad siccum eorundem cerebrum, vehementémque illorum vim, ac potentiam imaginativam.* 10. *Alij tamen canes præ alijs insigniores, & magis dociles sunt*, Qui meliorem habent corporis, & cerebri temperiem, meliorem autem cerebri temperiem sequitur, etiam melius ingenium, & docilitas melior. 11. *Canes sunt iracundi, & tamen adulatores*, iracundi sunt contra eos, quos sibi velle nocere vident aut timent: adulantur ijs à quibus sensu perceptibilia bona accipere solent. *Iracundia autem eorum provenit, ex nimia caloris accessione, adulatio verò ex amore, quô erga sibi benevo-*

nevolum afficiuntur. 12. *Sunt praterea invidiosi*, Quæ invidia nititur, ex eo, quòd soli complacere Heris suis cupiunt. Novi canem, qui à Hero suo magis affligi non poterat, quàm si Herus alteri æmulo caniculo blandiebatur, eúmque fovebat: tunc enim adeò tristabatur, ut ad nullum hilaritatis signum edendum provocari potuerit. 13. *Canes mutant dentes, licèt non videantur eos mutare*, Quia non abjiciunt antiquos, nisi subnati fuerint novi, & æquales, ut habet Arist. lib. 2. de Hist. animal. cap. 2. 14. *Non tamen mutant omnes omninò dentes, sed eos tantùm, qui propriè canini vocantur.* Et hinc ortæ sunt diversæ opiniones, an canes mutent dentes. 15. *Ætas canum discernitur ex dentibus.* Quia junioribus insunt, dentes albi, & acuti, senioribus nigri, & obtusiores. 16. *Canes plerumque pariunt quinque vel sex catellos, aliquando etiam duodecim, aliquando verò licèt rarò solùm unicum.* 17. *Laconica verò Canes, vulgò leporaria, parere solent octo, & cum laboribus exercentur, sunt ad generationem aptiores.* 18. *Ex canibus communiter mares vivunt diutiùs, quàm fœmina, & vitam producunt quindecim, & aliquando viginti annis.* 19. *Canes laborant tribus gravioribus morbis: anginâ, rabie, & podagrâ.* Et à rabie quidem & angina interimuntur; à podagra autem aliquando evadunt, licèt difficulter. 20. *Omnia animalia, qua mordentur à cane rabido, in rabiem aguntur*, excepto homine, *qui sæpè mortem evadit.* 21. *Canes morbô quodam correpti, vomitum sibi cient*, devoratâ certâ herbâ, quæ ipsis est ex instinctu naturæ nota. 22. *Canes cùm lubricis infestantur, tritici segetem comedunt, ut verò dejiciant ventrem, quoties nimiâ colluvie sentiunt appleta viscera, comedunt perfuso rore gramina.* Est quidem brutis inditus naturalis instinctus, quò feruntur ad sibi noxia cavenda, & ad sanitati propria exquirenda. 23. *Canes non perficiunt partum, sed generant catulos cacos*: In quibus postmodùm extra uterum, palpebræ perficiuntur, ita ut possint aperiri. 24. *Canis est multiparus.* Quia habet in utero multos sinus, in quibus semen dividitur. 23. *Canis post partum efferatur & sævit.* Quia in partu emittit, etiam alimentum utile, & amittit naturalem dispositionem. 24. Venter, *caninus est parvus, ac non multò major intestino, & intus est lævis*, ideò facilè cibum consumit, ac citò famet. 25. *Canes licèt in cruribus posterioribus habeant solùm quatuor digitos, tamen in anterioribus habent quinque digitos.* Quia crura anteriora fungi debent simul, officio manuum. 26. *Canes spirante Zephyro, seu Favonio, minùs odoratu percipiunt, vestigia fera quam sectantur.* Quia Zephyrus cùm spiret propè terram, halitus odoriferos aufert, & confundit. 27. *Canes pecuarij magnitudine, ac fortitudine, bellandi contra feras, præstant cæteris canum generibus.* Quod enim

in velocitate denegavit illis natura, id in fortitudine recompensat. 28. *Canes, qui procreantur, ex molossis, & leporatitijs canibus, magnitudine & sagacitate præstant.* Ex utroque enim genere aliquid participant. 29. *Canes subinde somniant.* Quod patet ex eo quòd dormientes latrent, imò & pedes moveant, somniantes se feras insequi. 30. *Canum senescentium vox evadit gravior.* Organis ad voces efformandas jam vigorem suum deperdentibus. 31 *Canes laborant subinde infestissimis sibi animalculis, quæ vocantur Cyaoressæ seu caninæ muscæ.* 32. Marcus Polus lib. 3. cap. 43. apud Majolum Colloquio 7. *scribit apud Tartaros Septentrionales, ubi ingentes glacies vigent, incolas uti pro vehiculo traharum, canibus.* Sunt etenim canes illi prægrandes utpotè: asini magnitudine, aliunde ad hoc obsequium rude, facilè dociles. 33. *Alibi autem edocti, sarcinulas Dominorum suorum veluti asini deferunt.* Idque muneris eos passim præstare in novi Orbis plaga testatur Petrus Hispal. 34. *Rhodienses milites, cùm hi adhuc Insulam tenerent, canes alebant excubitores, ita instructos, ut cùm noctu vagarentur, Turcas à Christianis odore agnoscerent, & illos latratu tenerent, morsibúsque proscinderent, his verò abblandirentur.* 35. Gesnerus testatur lib. I. de Quadrupedibus. *In Scotia esse genus canum, quod furem prosequitur: qui si fluvium trajecit, tranare & canem, & ubi in adversam partem appulerit, tamdiù in gyrum procurrere, donec odoratu vestigia furis deprehendat, ac dein etiam ipsum furem.* Id quod utrumque ad docilitatem canum pertinet. 36. *Canes acuto sunt aurium sensu, perspicacissimo visu, olfactu singulari.* In his enim sensibus longè superant homines ipsos, nam & feras indagant, quas non vident, & ad minimum strepitum, vel motum, attenti redduntur. Et oculis feras cernunt celeriùs, quàm nos possimus. 37. *Dantur canes bigeneres.* Et quidem qui nascitur, ex cane & lupo vocatur Lycisca: ex cane & vulpe natos appellamus canes laconicos. Qui ex cane, & tygride nascuntur, canes Indici dicuntur. 38. *In America inveniuntur canes sine collo, inveniuntur etiam gibbosi.* Neque id mirum cùm in eadem America multa etiam animalia alia sint longè à nostris diversa, utpote prorsus sub diverso, & ferè opposito climate nata. 39. *In Albania, & India, inusitatæ sunt magnitudinis: in India orientali, & Africa inveniuntur muti; in novo Orbe mirum in modum variant, quoad magnitudinem, externámque corporis habitudinem.* 40. *Illud fortè Europæis magis mirabile videbitur, quòd apud Indos, & Sinas, nutriantur & saginentur canes, in cibum, & nutrimentum, imò apud Sinas in macellis caro canina, inter delicatissimas carnes habetur, & pretio majori divenditur.* Credibile tamen est canes illos non ex communi genere esse, quamvis in re ipsa horror ille ab esu certorum animalium proce-

dat sæpè ex mera apprehensione , & opinione hominum : Tartari enim carnem equinam, Brasili carnem humanam; multæ nationes glires montanos; nonnullæ cattos, in delicijs habent, à quorum tamen esu nos summoperè exhorrescimus. 41. *Communes canes transvecti ex Hispania in novi Orbis Regiones , & numero in magnitudine aucti catervatim incedunt , & in sylvis degunt.* Unde gregibus sunt nocentissimi , non secùs ac apud nos lupi , utpotè jam efferati , & aliunde validi ac robusti , nec aliter præmium constitutum est illos mactantibus , quàm apud nos venantibus lupos. 42. *Lusitani , cùm partes novi Orbis occuparent , utebantur in prælijs canibus.* Hi enim in nudas eas gentes , velut rabidi insiliebant , haud secùs ac in feros apros , ac fugaces cervos. 43. *Catelli canum nascuntur cæci.* Quia multos fœtus pariunt , quos simul non potest natura perficere. 44. *Canes præ cæteris animalibus tentantur rabie.* Quia cùm habeant calorem maximum , hic in humidum agit , illúdque in fuliginem resolvit , quæ poros obstruit , ac eventilationem caloris prohibet , quô factô , calor usque ad excessum augetur , hinc fuligines aduruntur , & in venenum abeunt. Ita Albertus Tylkowsky p. 5. Phys. de Anima. 45. *Aliqui canes maximè pendulas aures habent.* Et ejusmodi canes solent maximè odorari feras , ne ergo cùm odorantur , ventus incurrat in aures , phantasiámque turbet , eas tegunt auriculis. 46. *Canes solent allatrare canicidam.* Quia plurium canum , quos occidit , sanguine est perfusus , & halitu imbutus , quem alij canes odore percipiunt , & quia canis ignotum canem allatrat , inde illis phantasia , veluti canes ignotos odissent , movetur ad latrandum. 47. *Canes parùm aut planè , non sudant.* Quia omnis materia sudoris in illis abit per linguam , & membranam naribus præfixam , quæ semper humida est. 48. *Varia sunt eorum genera , & generum species.* Alij enim sunt venatici , alij villatici , alij pastorales , & pecuarij ; & inter ipsos venaticos alij sunt , qui odoratu feras inquirunt , alij , qui easdem insequuntur , alij pro minoribus feris , alij pro majoribus , ut sunt apri , ursi , leones. 49. *Ex commixtione canum diversæ speciei , novæ quasi speciei generantur canes , & subinde formæ ferè monstrosæ.* Ex utroque siquidem parente participant aliquid , & modò ad unam , modò ad alteram plus vel minùs accedunt speciem. 50. *Præter canes , etiam cicuratæ aliquæ feræ ad venationes adhibentur.* Sic pardi , instruuntur ad venationes , leones quoque in Tartaria ad venandos onagros , & boves feros , ut Paulus Venetus auctor est. Rex Tartarorum habet leopardos cicures , qui mirum in modum venationi inserviunt. Etiam lynces non minùs ad venandum industrios scribit idem Paulus Ventus.

§ II.

§ II.
De Alce.

1. *A Lce sive Alces: cervini est generis*, cervo tamen crassior, & altior. 2. *Cornua gerit multifida, & ramosa, sed lata, eáque solida.* 3. *Capite aliquantum prono incedit.* 4. *A capite usque ad humeros, & maximè in cervice pilos habet prolixos, ita ut collum & barbam hirci repræsentet.* 5. *Colore plerumque vergit ad cinericiam albedinem.* 6. *Corpore est oblongo ac gracili, si conferatur cum toto corpore.* 7. *Labra habet magna, prominentia, & crassa, maximè superiora*, qua de causa à retro graditur in pascendo. 8. *Os habet longum, dentes non admodùm magnos, nec longos, aures prolixas.* 9. *Ungulas bifidas ut cervi.* 10. *Est animal simplex ac timidum, & ideò plus latebris, quàm fugæ fidit*, cùm tamen cursûs sit velocissimi, ac eadem ex causa est solitarium, & in apertum non facile prodit. 11. *Venatores è longinquo sentit*, & ideò illicò in speluncas se abdit: si vi canum urgetur aut luporum, magìs se calcibus, quàm cornibus defendit, conspectóque suo sanguine confestim præ timore concidit, & exspirat. 12. *Captæ Alces cicurantur, & trahendis vehiculis aptantur.* 13. *Pellis Alcis est longè densior, & solidior cervinâ, adeò, ut etiam gladiorum vehementissimos ictus, punctim, cæsímque factos avertat, & ferrei instar sit thoracis.* 14. *Reperiuntur maximè in Svecia, nec non in Septentrionalibus Polonorum, & Moschorum, iisque vicinis regionibus.* 15. *Tria præbet medico usui: cornua, nervos, & ungues*, certè ungues illius, sunt præstantissimum contra Epilepsiam, remedium, nec mirum est in alijs eum morbum depellere, cùm & ipsum animal se eâdem liberet; frequenter enim corripitur illô malô, nec levatur, nisi dextri posterioris pedis ungulâ sinistræ auri immissâ.

§ III.
De Apro.

A per etiam sylvestris notum est animal, ideò descriptione non indiget, solùm igitur naturam & proprietates aprorum breviter attingo. 1. *Apri habent sanguinem fibris valdè refertum*, ideóque sunt valdè animosi, iracundi, & furibundi, *& alios quàm de suo genere secum vesci non patiuntur.* 2. *Spumant, dum exagitantur.* 3. *Aprorum urina tam est ipsis gravis, ut nisi hâc egestâ fugæ non sufficiant ac veluti devicti opprimantur.*

4. *Ab aconito, & syanthi radice interimuntur.* 5. *Cùm per inadvertentiam hyosoyamum comederunt, statim contrahunt posteriora, & quasi contracti, cùm ad aquas perveniunt, collectis cancris vescuntur.* 6. *In alijs morbis hederâ sibi medentur.* 7. *Fœminæ si multæ sint simul, viso venatore fugiunt cum natis*, captô unô ex natis, fugam sistunt, & in hostem ruunt. 8. *Dentes acuunt in pugnam.* 9. *Apri non solùm in mensis Magnatum, sed & in medicina non ultimum locum habent*: jecur enim eorum inveteratum, potum ex vino, item adeps cum melle, & resina laudatur contra serpentes, & eorum ictus, vesica doloribus & calculo auxiliatur, urina Apri, & ipsa vesica sumpta pro cibo, & eadem vesica assa, cohibet urinæ incontinentiam; cujus maxilla, ulcera sanat, quæ serpunt: femur lethargicos excitat, fimus acidus in aqua vel vino potus rejectiones sanguinis sistit: eorundem aridum elixum, atque circumligatum mirâ celeritate fracta ossa, solidat. Plura de his medici. 10. *Venatio aprorum instituitur canibus, retibus, sclopis, & venabulis.*

§ IV.

De Bove Fero sive Uro, Bizonte, & Bonaso.

1. *ALiqui in descriptione harum ferarum, unam cum altera confundunt*: omnes siquidem hæ feræ sunt species, & continentur sub feri bovis genere. 2. *Differunt tamen inter se*: Urus enim est Tauro simillimus, sed multò major, robustior, & velocior, cornibúsque longè amplioribus, adeò, ut in ejus capite duo homines sedere queant, & ipse, equum cum sessore in altum ventillare. 3. *Corpus Uri est perquàm crassum, tergo summo ferè gibboso.* 4. *Cornua gerit densa, nigra, brevia.* 5. *Oculi eidem sunt versùs exteriorem canthum rubicundi.* 6. *Os latum, crassus, & summus nasus, crassum, & amplum caput, facies lata, tempora villosa, mentum barbatum, sed brevibus villis nigris*; color ferè niger maximè in temporibus, mento, & collo; in facie, lateribus, cruribus, cauda ad puniceum vergit. 6. *Uri reperiuntur potissimùm in Mazovia, & Samositia Regionibus Polonicis.* 7. *Lingua Urorum est adeò aspera*, ut si lambendo hominem arripiant, eum ad se trahant. 8. *Bizon, est animal indomitæ naturæ bovis simile*, collo setoso, & jubis, ut equus, sed pernicius, & truculentius: oculos habet torvos, & quasi cotinuò ardentes, cornua illius ita sunt diducta, ut illis tres homines bene corpulenti insidere possint. Indomitam autem hanc Bizontis naturam facit copiosissima bilis, quâ

conti-

continuò sanguis illius æstuat, hinc incessanter furit, & ideò quoque oculis flammei intuetur. 9. *Bonasus demùm, & ipse quidem est ferè bovis species*, cornua tamen illius ita sunt inflexa, ut illis neminem ferire aut vulnerare queat: hinc contra venatores in fuga salutem quærit. 10. *Fugiens igitur ejaculatur fimum contra insequentes se, ad quatuor etiam orgias*, illóque quidquid tangit, tanquam igne adurit, ut scribunt Plinius, & Solinus. 11. *Bonasus corium habet adversus ictus validissimum*, & carnem ad vescendum prorsus svavem.

§ V.
De Castore, & Lutra.

HÆc duo quoque animalia similia esse videntur, naturâ tamèn imò & formâ corporis differunt. Castor enim colore est albo-cinereo in dorso nigricante: pilo molissimo: dentes habet adeò acutos, ut ligna minutim seccet; caudam piscium ferè similem, quatuor interim librarum pondere, vescitur folijs, & arborum radicibus. Lutra verò est graciliore, & longiore corpore, capite canino, dentibus instar canis venatici, formâ oris quadratâ, caudâ oblongâ terente, & in fastigium desinente. Vescitur herbis, fructibus, sed maximè piscibus, facilè cicuratur, utrumque autem animal, amphibium est, hoc est: tam terram quàm aquam incolens, & posteriores pedes habent planos, & membranâ communitos, quibus in natando utuntur.

§ VI.
De Cervo, & Dama.

1. *CErvus est animal quadrupes, cornigerum, & bisulcum.* Ita describitur ab Arist. lib. 7. de Hist. animal. cap. 1. num. 22. & 23. 2. *Pilo est molli, imò ut nonnulli observârunt, intùs cavo*, ut sic nataret commodiùs. 3. *Differt ab alijs animalibus per hoc, quòd habeat cornua solida.* Alia siquidem animalia cornigera vacua ab intus, seu cava gerunt cornua. 4. *Plerique spadiceo sunt colore.* Dantur tamen subinde licèt rariùs etiam albi. 5. *Ab innatu singulis annis mutant cornua, quæ deinde rursus nascuntur.* Cùm tamen aliæ animantes nunquam amittant cornua, nisi illis per vim mutilentur. Cujus rei ratio videtur esse, quia cornua aliorum animantium continuantur ex ipso osse capitis, non interruptâ serie incrementi, usque

ad partem extimam |: cornua verò Cervorum crescunt interpolatim, & certô nodô, & juncturâ mediante, quâ superiores cornuum partes junguntur alteri parti, quæ ex ipso osse capitis excrescit, à qua faciliùs sejunguntur, & avelluntur. 6. *Hæc autem separatio seu dispositio, & mutatio cornuum contingit tempore verno ut plurimùm.* Quia tunc pori cornuum quoque magìs aperiuntur, & consequenter juncturæ quoque faciliùs laxantur. 7. *Ex Cervis mares cornuti sunt, non fœminæ, nisi perraró.* Quia in maribus utpotè fortioris complexionis & naturæ major est omnium humorum, adeóque & excrementitiorum, ex quibus cornua crescunt, abundantia. 8. *Bimis, primùm cornua oriuntur simplicia & recta, Trinis biffida, Quadrinis triffida.* Juxta incrementum excrementitij humoris, qui accrescente ætate ipse etiam accrescet. 9. *Porrò ad hunc modum procedit numerus ramorum, in cornibus Cervorum ad annum sextum ætatis.* Hic enim numerus annorum videtur in Cervis magnitudinis, & incrementi esse terminus. 10. *Cervi in capite habent quosdam vermes*, qui nasci solent sub lingua eorum in concavo circa vertebram, quâ cervici caput innectitur. 11. *Cervi in corde habent quoddam ossiculum*, teste Arist. lib. 2. de Hist. animal. capit. 15. n. 3. 12. *Cervi carent felle.* At intestinum Cervorum ita est amarum, ut illud comedere nec canes velint, nisi Cervus ipse valde pinguis sit. 13. *Cervi tamen, qui vocantur Achaini, dicuntur fel habere in cauda.* Quia habent in cauda aliquid simile felli, quod tamen non est verum fel, cùm non sit fluidum. 14. *Dicunt nonnulli intra oculos in Cervis, vespas nasci, & provolare.* Id tamen Aristoteles nullibi annotavit. 15. *Longissimam vitam multi tribuunt Cervis.* Arist. hujus longævitatis hanc causam assignat, quòd nempè felle careant. 16. *Quanta autem sit hæc longævitas Cervorum, non conveniunt inter se Authores.* Testatur tamen Plinius, post centum annos aliquos Cervos esse captos cum Torquibus aureis, quos Alexander magnus addiderat coopertis jam cute in magna obesitate. 17. *Cervæ, dum cœlum tonat, facillimè pariunt*, adjuvante timore ad fœtum proximè emittendum. 18. *Cervi, tempore æstatis ita pinguescunt, ut currere vix valeant*, ob pascuorum copiam, quæ solent singulari instinctu naturæ in locis sylvosis, & nemorosis requirere. 19. *E contra verò tempore hyemis extenuantur, ac viribus destituuntur.* Defectu scilicet pabuli. 20. *Tempore veris maximè vigent cursu.* Tunc siquidem, & viribus augentur, & nimiâ obesitate carent. 21. *Mense Augusto, & Septembri, ingratissimi sunt saporis, tunc enim ut hirci fœtent, & nigrescunt.* Ob libidinem, cui tunc indulgent. 22. *In Elapho monte Asiæ, Cervæ omnes, & earum fœtus scissâ aure sunt proditæ.* Atque ex hoc signo dignoscuntur ab ijs, quæ ex alijs locis adve-

adveniunt. 23. *Cùm fugiunt, identidem consistunt.* Quia tumiditate, & imbecillitate intestinorum laborant. 24. *Fugiunt quoque libenter ad aquas*, tum ob æstum, tum ob anhelitûs fatigationem. 25. *Auditô canis latratu, fugiunt secundùm ventum, & auram flantem*; Ut odor dissipetur, & non ad canes deferatur. 26. *Mas, cùm pinguescit fructuum tempore, nusquam apparet.* Timens, ne pondere suæ corpulentiæ impeditus, capiatur 27. *Cervæ & plurimùm pariunt, propè vias.* Quia scilicet feræ non adeunt vias, hominum metu, ut sic proles sit à feris secura. 28. *Postquam pepererit Cerva, devorat secundinas, in quibus fœtus in utero involvitur.* Quæ ne sint nocumento, currit illicò ad herbam Seselis dictam, quâ depastâ, remedium sentit, & ad prolem redit. 29. *Cervi cornua abjiciunt locis, & aditu, & inventu difficillimis.* Unde & proverbio ad significandum locum difficillimum inventu dicitur: ubi cervi amittunt cornua. 30. *Latent autem cùm cornua amiserunt.* Vel pudoris, vel imbecillitatis ob arma amissa conscij, vel ut evitent muscarum fastidium. 31. *Captus est aliquando Cervus, hederam viridem suis annatam cornibus gerens*; ut testatur Arist. Hist. animal. lib. 9. cap. 5. qu. 3. *Quæ nimirùm in cornu adhuc tenero tanquam in arbore viridi fuerat innata, & successu temporis cum cornibus excrevit.* 32. *Quidam Cervorum ætatem, ex ramorum multitudine colligunt.* Sed hoc indicium servit tantùm ad annum sextum ætatis Cervorum: nam post annum sextum prodeunt semper cornua prioribus similia quoad magnitudinem ac ramorum numerum. 33. *Aliud proinde Arist. assignat indicium in cervis valde senibus*: Primò si paucos vel nullos dentes habeant: deinde si careant adminiculis, seu propugnaculis, hoc est ramis, qui minimis cornibus promineant ante frontem, quibus Cervi juniores ad pugnandum utuntur. 34. *Cervus ab aranea vel animalculo venenato ictus, cancros comedit: Dictamne verò herbâ, infixa tela excutit, contra noxia gramina, herbam quam Cynarem vocant, edit.* Ex instinctu naturæ, quem Deus animalibus ad conservandam vitam & nociva eisdem repellenda indidit. 45. *Cervi serpentibus abundè saturati, ad aquas contendunt, & oretenus corpora mergunt.* Ne haustum hâc ratione venenum eisdem noceat: neque enim priùs bibunt, quàm vi frigoris cogente, haustum venenum, per oculos desudando elachrymentur. 46. *Cervi mulcentur fistulâ, & cantu pastorali, & sibilo.* Hinc venatores cervo insidiantes; alter eorum palàm sibilat & fistulat, alter clàm Cervum ad cantantem conversum ferit à tergo, cùm cantans signum dederit. 37. *Verùm si Cervus erectas habeat tunc auriculas, venatio non succedit.* Erectis enim auriculis acerrimè audit, atque ex levi etiam strepitu, insidias sibi à tergo parari percipit. 38. *At si auriculas habeat demissas, facilè*

facilè interimitur. Tunc enim strepitum illum à tergo non audiens, facilè fallitur. 39. *Cervi angusta maria, vel fluvios magnos tranantes, unus ante cæteros natat, hunc alter capite innitens tergo insequitur; & similiter cæteri deinceps:* cùm primus natando defatigatur, ad extremum agmen recurrit, & caput in alterum inclinans, paululùm à labore recreatur, & sic ordine omnes succedunt, donec transnatârint. 40. *Cervi sunt timidissimi;* habent enim cor magnum, animalia autem, magnum cor habentia, sunt timidissima. 41. *Sanguis Cervorum, non perinde concrescit, ac sanguis aliorum animalium.* Quia caret fibris, quas habet sanguis aliorum animalium. 42. *Cervi si castrentur antequam amittant cornua, non ampliùs amittent cornua:* si verò post, servant illa ipsa cornua, cum eadem magnitudine. 43. Alicubi Cervi cicures sunt, & domi pariunt, domi nutriuntur, interdiù ad pastum in sylvas eunt, vesperi redeunt & mulgentur. *Uti in novo Orbe, ac etiam in Helespónto.* 44. *Imò in Lappia, jumentorum vice cervis utuntur ad vehicula trahenda, eóque vehendi genere, viginti milliaria uno conficiunt die.* 45. Quin teste Olaho lib. rerum Aquilonarium 1. cap. 5. *Per amplissimas nives, & glaciem, horis viginti quatuor, iter 150. milliarium perficiunt, incolæ illarum Regionum.* Verùm hoc genus Cervorum species Rangiferorum est, qui Cervos communes cursu longè superant. 46. *Magnus Rex Mogor, in venationibus cicuratorum Cervorum industriâ utitur ad capiendos sylvestres Cervos.* Gestant illi laqueos in cornibus, quibus sylvestres, dum cum his arietant, sese implicant, & à venatoribus instantibus capiuntur. 47. *Damæ de Cervorum genere sunt.* Corpore igitur Cervum referunt, sed caput habent minus cervo, cornua cervinis latiora, singulis annis pariter decidua.

§ VII.

De Capris sylvestribus.

1. *Capræ sylvestres, in multis cum capris domesticis conveniunt.* Ideóque Dissertatione Quintâ dicturi sumus, de natura, & proprietatibus Caprarum, ea etiam Capris sylvestribus accommodari poterunt. 2. *Differunt tamen etiam in aliquibus.* Sylvestres enim sunt agiliores, ferociores, saporis longè melioris, robustiores, habéntque alias quoque suas proprietates, ut in descriptione earundem patebit. 3. *Sunt autem caprarum sylvestrium variæ species.* Nos tamen præcipuas hìc attringemus, cujusmodi sunt: *Capreolus, Ruricapra, sive Dorcas, Ibex, & Capra Moshifera,*

ac *Bezoardica.* 4. *Capreolus igitur est colore cervis non dissimilis (maculoso tamen) sed corpore molis, longè inferior, quâ vix capras æquat: visu acuto, voce exili.* Mas cornua gerit senis plerumque ramis distincta, quæ pariter ut in cervis decidua sunt. Loca amat campestria quidem sed humiliora, quàm Ibices & Ruricapræ. Venatores Capreoli vocem sibilo folij imitantur, & allectum interficiunt, aut capiunt, idque vel retibus, vel canibus. *Contra ventum currunt Capreoli dum fugiunt, ut flatu ejus refrigerentur, quod scientes venatores, canes quoque venaticos, contra ventum collocant.* 5. *Ruricapra sive Dorcas colore est fusco, magnitudine eâdem, quâ capræ villanæ:* Oculos habet rubros, aures arietinis longiores, cornua nigra, novem aut decem digitos longa, multis nodosis circulis exasperata, æqualiter inter se dissita, solida, nisi quòd initio ad policis circiter mensuram, cava sunt. *Ruricapræ* rupes montium incolunt, non summas tamen ut Ibex: descendunt aliquando ad inferiora alpium juga, & ad arenosas petras conveniunt, ac arenam inde lingunt, ut villaticæ capræ salem, circa hæc igitur loca abscondunt se venatores, cum bombardis, incautásque feriunt. Cùm verò venatione urgentur, semper altiùs petras ascendunt, donec nullus ad eas canibus pateat accessus. Deinde cùm venatores manibus pedibúsque reptantes post se vident, de saxo in saxum transiliunt, ac montium cacumina petunt, donec nulla scandendi reliqua sit facultas: illic se cornibus retinent, & quasi suspendunt, sicque faciliùs adhuc à venatoribus, bombardis feriuntur.

Ibex verò, major est hirco domestico, colore fulvo, cruribus gracilibus, ungulis bisulsis, & acutis, & oculis pulchris, ac splendidis. Magni ponderis habet cornua, eâque inclinata in dorsum ad clunes usque, aspera, & nodosa, eóque magis, quò magis ætas processit, frigidissima loca ad incolendum inquirit, saliendo Ruricapram longè superat. *Capra moschifera* est illa, quæ gratissimi odoris moschum in umbilico generat, ac producit. *Bezoardica* verò est illa, in cujus ventriculo *Bezoar* dictus lapis generatur, ac invenitur, hæ enim capræ inquirunt naturali instinctu, per arva herbas, quæ venenis resistunt, & ex his herbis beneficio caloris, succo earum concrescente, lapis hic *Bezoar* dictus, generatur.

§ VIII.

De Echino, seu Erinaceo.

1. *Echinus sive Erinaceus, est animal quadrupes digitatum cuniculi magnitudine, aculeis vallatum undique præterquàm in ore, pedibus,*

& parte inferiore, quam rara lanugo totam operit. 2. *Est autem alius suillus, alius caninus*; ille suis, hic caninum rictum habet. 3. *Quamprimùm latratum canum, aut venatorum adventum persentiscunt, in orbem se colligunt*, rostro pedibúsque intro collectis, ut globum aculeatum referant. 4. *Ventorum varietatem internoscunt*, & juxta futurum flatum venti, cubilia sua disponunt, fenestellam, partem illam versùs obterrendo. 5. *Vescuntur pomis, uvis, alijsque fructibus.* 6. *In globum collecti aperiuntur, si è regione ventris, aqua infundatur.* Quia sic constituti, aërem ad respirandum attrahere nequeunt.

§ IX.
De Elephantibus.

IN Europa quidem *Elephantum* non solet institui venatio, cùm his Europa careat. Instituitur tamen illorum frequenter venatio in Africa, & Asia. Capiuntur autem vel furcis, vel multitudine hominum magnâ, illos in ambitum, & coronam contrahente, ac tandem manus ijsdem injiciente, vel dolosè eos usque ad stabula ad id præparata deducendo, & alliciendo. Capti dein cicurantur, domantur, & varijs artibus, pro exhibendis spectaculis instruuntur. Natura eorum, & proprietates rariores, hìc breviter adducemus. Primò igitur, *Elephantibus magnitudo non est una*, communes tamen plus habent, quàm quinque nostri boves. 2. *Colore sunt nigro, & fusco.* 3. *Caput est illis deforme & breve, & vix à collo distinctum: aures prægrandes, & quasi quadratæ: oculi magni, & acuti.* 4. *Loco nasi habent proboscidem flexibilem, quam pro libitu contrahunt, vel extendunt.* 5. *Sub hac proboscide, os habent, quô & bibunt & comedunt ea, quæ proboscide orī admovent.* 6. *Linguam exiguam habent, & magis quàm alia animantia intùs positam.* 7. *Dentes molares habent, quatuor ad mandendum, & duos ingentes recurvos, prælongos ex ore extrinsecus prominentes.* 8. *Crura teretia ad columnarum modum, atque in his juncturam.* 9. *Pedes rotundos, & in quinque digitos divisos, quæ tamen divisio valde obscura est.* 10. *Sunt gloriæ cupidi, uti & vindictæ, memoriâ, & prudentiâ pollent.* 11. *Vitæ sunt longævæ, ita ut ad minimùm ultra centum annos dicantur vivere.* 12. *Elephantes sunt unipari, ac uno partu pariunt unicum tantùm fœtum*, quem longo tempore in utero gestant, nempè duobus omninò annis. 13. *Amant amnes, ac propè ripas fluminum degunt*, atque ideò Arist. lib. 9. de Histor. animal. ait: dici posse animal riparium. 14. *Elephas, licèt natare propter*

corporis pondus non possit, tamen aquas libenter ingreditur, dummodo ejus proboscis extet ex aqua ad respirandum.

§ X.

De Fele sylvestri, & Fele zebethina.

1. FEles *sylvestres majores sunt domesticis, & planè feroces.* 2. *Versantur in sylvis, & arbores incolunt.* 3. *Saltu veloci pollent.* 4. *Aggressæ à canibus venaticis, strenuè se defendunt*, eósque pedibus ac unguibus proscindunt. 5. *In Malabaria sunt Feles sylvestres*, quæ non secus ac sciuri ex una arbore ad alteram transvolant. 6. *Felis verò zebethina, magnitudinis est ferè vulpinæ, colore lupino nigris maculis asperso, rictu oblongo: armatur dentibus, & pilis asperioribus.* 7. *Folliculum hæ Feles circa ingvina gestant*, in quo zebethina, pretiosum illud odoramentum continetur. 8. *Cicuratur hoc animal facilè*, adeò ut innoxiè supra humeros ab hominibus gestetur, & cum iisdem colludat.

§ XI.

De Gliribus sylvestribus.

1. S*Ylvestres Glires longè diversi sunt à domesticis*, nam & variæ gentes eorum carnibus vescuntur, & formam aliam præferunt: sunt siquidem non absimiles Sciuro, majores tamen isto, colore nigrescente, vel fusco, & ventre albo, rostro oblongiori, acutis auribus, caudâ verò non æque villosâ, ventre autem magis protuberoso, quàm Sciuri. 2. *Hyeme in cavis arborum dormiunt, & pinguescunt.* 3. *Capiuntur autem vario modo.* Subinde enim venatores obturant limo foramina cavearum, quas inhabitare solent, & revertentes, ac in patefaciendo aditu occupatos transfigunt, vel baculis interficiunt; alij verò profundas foveas parant, & lignis, & palis tegunt, ut in eas, transeuntes, incidant. Alij fumum excitant propè arbores & caveas ipsorum, & sic obstupefactos, capiunt: alij cum facibus accedunt noctu, & fulgore excœcatos comprehendunt manibus, alij demùm succidunt arbores, in quibus delitescere eos sciunt, & succisâ arbore eosdem ex concavitate illius, excipiunt.

§ XII.

De Leone.

1. *LEones varijs capiuntur modis*, & quidem venatores Lybici, capiunt Leones non secus ac nos, in partibus nostris Lupos, scrobem enim ingentem effodiunt, & in medio columnam agnum alligatum sustinentem erigunt, foramen verò macerie cingunt, ne loco appropinquans dolosum barathrum videat, qui visâ prædâ mox accurrit, & in foveam profundam incidit, sicque sine acquisita præda ipse fit præda. Indi verò Occidentales, armati lapidibus, fustibus, & sagittis, Leonem invadunt, tam diúque exagitant, donec concidat. Alij, & alibi, etiam canibus magnis, & molossis invadunt Leones. Quidam verò venatores, injiciunt in os Leonis in se irruere volentis pulverem chalchanti, cujus esse tantam vim perhibent in adstringendo, ut eos mordere non possit. Porrò nullum animal majori robore, & magnanimitate pollet, quàm Leo, & antequam pugnam ingrediatur, caudâ se verberat, & quasi ad pugnam exstimulat. 2. *Ad venationem solus exit non sociatus*, ob animi magnitudinem, tanquam alterius auxilij non indigens. 3. *Teterrimum ex ore fœtorem exhalat*, ob crudas, & nimias carnes comestas. 4. *Limis oculis neminem aspicit*, nec se aspici à quopiam patitur. 5. *Morti vicinus terram mordet, & lachrymatur.* 6. *Dum incedit, ungves retrahit velut in vaginas*, ne scilicet heberentur. 7. *Rectum iter non peragit, neque simplex vestigium*, sed varium, & multiplex imprimit, modò progrediens, modò regradiens, & vestigia etiam oblitterans caudâ, ne à venatoribus tramites observentur. 8. *Vox ejus est ruitus*, quô auditô cætera animalia figunt gressum præ timore, & stupore. 9. *Dormit oculis apertis*, quia pellis oculo incumbens minor est, quàm ut magnos oculos tegere queat. 10. *Sagacissimi est olfactûs.* 11. *Differunt inter se colore, jubis, ferociâ & magnitudine*, juxta diversitatem climatum in quibus nascuntur, & degunt. 12. *Hinc in Parthia sunt ferocissimi, & audacissimi.* In Armenia verò, & occidentali India prorsus imbecilles & ignavi. 13. *Collum Leonis differt, à collo aliorum animalium.* Nam alia animalia habent os seu spinam colli pluribus vertebris distinctam, Leo autem os seu spinam colli integram ac nullis vertebris constantem. 14. *Ossa Leonis, ossibus aliorum animalium longè sunt duriora*, sunt enim adeò dura, ut ex ijs collisis, perinde ac ex silicibus excutiatur ignis. 15. *Leo admodum exiguam, eámque in paucis*

duntaxat ossibus habet medullam. Quia cùm ossa Leonis sint calidissima totum ferè sanguinem convertunt in seipsa, adeóque parùm sanguinis superest, qui converti possit in medullam. 16. *Leena primo partu parit sex Leunculos, secundo quinque, & sic consequenter, ac post quintum annum partûs sterilescit.* Quia in prioribus partibus absumit totum excrementum, ita ut nihil ampliùs maneat, quod convertat in alios partus. 17. *Leo cibo largo utitur*: At deinde præ nimia saturitate, duobus, aut tribus diebus abstinet à cibo. 18. *Leo, cùm comedit, & fame laborat, est ferocissimus*: fame expletâ, est mitissimus. 19. *In venationibus, dum cernitur, nunquam fugit, cùm non cernitur fugit*, propter innatam indolis magnitudinem. 20. *Leo aliquando fugit, caudâ inter crura demissâ more canum*, Quod tamen fortè de genere Leonum ignavorum intelligendum est. 21. *Capite firmissimo est præditus*; at parte illij est ita imbecillis, ut ictum sustinere nequeat. 22. *Ex vulneribus à Leone inflictis, effluit quædam sanies pallida, quæ ita tenaciter hæret etiam fascijs ac spongijs ut elui nequeat.* Oritur hæc ex rabie Leonum, quam morsu vulneri imprimunt. 23. *Hinc in vulneribus à Leone inflictis, eadem cura adhibenda est, quæ adhibetur vulneribus inflictis à morsu canis rabidi.* 24. *Leena, non multo lacte abundat.* Quia est multivora, & feras non facilè venatur, raróque comedit, adeóque dum totum ferè alimentum convertat in suam substantiam, parùm illi superest, quod convertere possit in lac. 26. *Leo magnas habet membrorum extremitates: pilum habet durum, & fulvum, & est fortis ac impavidus.* Ob nativi caloris abundantiam. 26. *Unde & homines, qui quo ad dicta similes sunt Leoni*, videntur esse fortes, & impavidi, ob paritatem similitudinis. 27. *Leones cum Lupis cervarijs, perpetuas exercent inimicitias.* Quia cùm eodem cibo vescuntur ac sint carnivori, pugnant ad invicem pro cibo. 28. *Leena cæcos parit catulos.* Hoc autem commune est omnibus animalibus quadrupedibus multifidis, hoc est habentibus pedes in multas partes divisos. 29. *Leena parit filios admodum parvos*, ita ut Leunculi vix post secundum mensem possint ambulare. 30. *Leones admodum sunt pauci.* Quia in paucis locis generantur. 31. *Solus mas habet jubam.* 32. *Licèt proprius color sit Leonum fulvus*, in Tartaria tamen inveniuntur etiam nigri, & rubri coloris. 33. *Adeps Leonum calidior est, quàm ullius quadrupedis.* 34. *Cicurari quidem possunt, sed non nisi pulli, mansvescunt.* Atque in Tartaria cicurati adhibentur, ad venandos ursos, & boves feros. 35. *Leones galli cantum, currúsque immanes, ignem, ac rotas timent.* Id si ita est, ad naturalem antipathiam referendum est.

§ XIII.
De Lepore.

LEporis descriptio non est necessaria, cùm obvius ubique, & notus sit, singularia duntaxat Leporum hìc attingemus. 1. *Itaque alicubi reperiuntur Lepores coloris albi.* In frigidissimis scilicet Regionibus, uti sunt Septemtrionales partes, versùs Arcticum. 2. *Pariunt quovis ferè tempore, & postquam aliquos fœtus peperêre, rursus alium in utero gerunt ac superferunt.* Cujus rei rationem Aristoteles lib. 4. de generatione animalium c. 3. n. 12. hanc dat: quia sunt parvi, quia multifidi, adeóque multipari, & quia abundant semine & excrementis menstruis. 3. *Timidi sunt supra modum*, quia cor habent magnum, talia autem animalia sunt timida. 4. *Habent pilos breviores*; quia eorum pili nascuntur in summa eorum cute, nec habent radices profundas. 5. *Sunt autem hi pili mollissimi*; quia sunt similes filamentis, quæ sunt in superficie pannorum, quæ filamenta solent esse mollia. 6. *Dormiunt oculis apertis*; quia cùm sint pavidissimi, vigilare semper videntur, vel certè quia oculorum cilia non habent. 7. *Auditu pollent acerrimo*; nam ad omnium foliorum motum concitantur & fugiunt. 8. *Dormiturientes, ne cavernæ locus deprehendatur, huc illuc discurrunt, & primò vestigia disturbant*, deinde magno saltu in eas prosiliunt. 9. *Sanguis Leporum non concrescit firmiter*, sed imperfectè eô pactô quò concrescit lac additô coagulo. 10. *Lepores habent in se coagulum*, quia mater Leporis pascitur herbâ succi lactei, cujus herbæ humor cum lacte in leporem lactantem transmissus stringit lac. 11. *Loci natalis sunt valde amantes.* Unde inde sæpius pulsi, rursus redeunt. 12. *Ad pabula longinqua proficiscuntur*, ut longo cursu excitati, pedum celeritatem firment. 13. *Dum segnes ad insequendum canes vident, lento casu progrediuntur, dum urgentes, citissimo cursu feruntur.* 14. *Aliqui Lepores duplex jecur habent* Uti sunt Lepores Bisaltini, teste Aristotele, & Nierembergio. 15. *Dicuntur esse incerti & promiscui sexûs.* Testantur enim venatores quandóque in maribus Leporibus, ventre scisso, exenteratos Lepusculos reperiri.

§ XIV.
De Lupis.

LUporum quoq; forma & figura omnibus nota est: peculiaria igitur solùm observanda sunt. 1. itaque, *Lupi collum habent unico osse perpetuo constans.* Unde illud versare, vel contorquere non possunt, sed totum

totum corpus inflectere debent, si retrò velint respicere. 2. *Cerebrum Luporum cum Luna crescit, atque decrescit.* 3. *Pedes priores habent quinis digitis, posteriores quatuor distinctos.* Cujus rei Aristoteles lib. 4. de partibus animalium c. 10. n. 17. assignat. Quia (inquit) in ijs crura anteriora fungi debent officio manuum. 4. *In vesica illorum reperitur lapillus.* Atque hic *Syrites* dicitur. 5. *Lupi licèt sint carnivori*, urgente tamen fame terram quoque & argillam comedunt, & dum alij cibi desunt pinnuum fructus. *Lupi non solùm pecoribus, & præsertim ovibus, & altilibus, ac singulariter anseribus insidiantur, sed etiam vulpibus*, imò si alia præda desit, nec suæ speciei parcunt. 7. *Humanæ carnis sapore maximè alliciuntur, si eam semel gustaverint.* Unde Olahus magnus prodit eos, prægnantibus, capto odore, plurimùm insidiari. 8. *In aliquibus Regionibus nulli prorsus dantur Lupi.* Uti sunt: Sardinia, Creta, & Anglia. 9. *In Septentrionalibus autem partibus magna est eorum copia, & præsertim in Moscovia.* 10. *In Ægypto verò sunt minores quàm in alijs Regionibus.* Quia ut ait Aristoteles lib. 8. de hist. animal. c. 28. n. 6. In campis apertis Ægypti, parùm possunt ovibus insidiari, ideóque parùm illis suppetit cibi. 11. *Cùm in foveam inciderunt, vel se inclusos sentiunt, præ stupore innoxios se præbent, aut rectiùs simulant.* 12. *Ex cane & Lupo nascitur tertia animalis species*, atque hæc Lycisca nuncupatur. 13. *Fæmina partus custodit, mas cibum procurat.* 14. *Cùm fugiunt, catulos secum ferunt.* 15. *Cœlô nubilô præcipuè insidiantur, ut magis lateant.* 16. *Eorum jecur equinæ ungulæ, simile est.* 17. *Lupus contra magna armenta dimicaturus, ventrem terrâ implere dicitur*, ut ponderosus non facile excutiatur. 18. *Visus est etiam Lupus frondes, quas ore gestabat, capris projecisse*, hócque modo eas enecâsse. 19. *Lupi cùm per folia incedunt, ne strepitum faciant, linguâ pedes suos lambunt, & lubricos reddunt.* 20. *Fluvios transmissuri, singuli apprehensis morsu tranantium caudis, unâ serie transmittunt*, ne undarum fluctibus abripiantur. 21. *Dum cibum capiunt, intuentibus irascuntur.* 22. *Si homo, & aliud animal se offerunt, homini parcunt, illúdque invadunt.* 23. *Aliquando cum canibus amicâ societate fœderantur, & caulas simul invadunt.* 24. *Latrant & ululant, ac diù vivunt.* 25. *Ubi caulas intraverunt, interficiunt omnes oves, antequam aliquam ad comedendum attingant.* 26. *Cicurantur, sed non nisi juvenes*, & quidem in tantùm, ut cum canibus caulas & greges ovium defendant, & lupos invasores, arceant. 26. *Lupi, si in minorem aliquam pecudem incidunt, auriculâ comprehensâ secum abducunt currendo, & retinenti clunes caudâ identidem feriunt.* 28. *Tauros à fronte adoriri non audent, quòd cornua extimescant*, sed in dorsum

eorum

eorum insiliunt, acerriméque ad illorum perniciem incumbunt. 19. *Famelici noctu adverso vento, odorem escæ ad medium milliare olfaciunt.* 30. *Præ senio canescunt.*

§ XV.

De Lynce, Panthera seu Leopardo, & Tygride.

COnveniunt hæ Feræ in hoc, quod pretiosis, & gratiosis maculis distinctas pelles, pro vestimentis & ornatu hominibus subministrent, differunt tamen plurimùm inter se. 1. *Nam Lynx parvo capite est, parvum quoque cor habet.* 2. *Oculos habet prominentes, visúmque accutissimum præ cæteris animantibus.* 3. *Facie est alacri, pilo molli, & densâ lanugine confecto, maculísque distincto, caudâ brevi.* 4. *Ignitos, & splendentes habet oculos, noctu quoque videt.* 5. *Cursu velocissimo pollet.* 6 *Auriculas habet parvas, & quasi triangulum referentes.* 7. *Barba ad instar felis, & setis albis constat.* 8. *Cicurantur subindè*, imò, & ad venandum alias feras instruuntur. *Panthera* verò seu *Leopardus*, seu *Perdalis*, faciem habet parvam, os magnum, oculos magnos albicantes, & vagos, frontem longam, aures rotundas, magìs quàm plenas, collum longum ac tenue, dorsum longum, corpus totum maculis aspersum, cùm Lynx solùm in ventre candidas has maculas habeat. Odore cuncta ad se allicit animalia, quæ postquam accesserint, illius præda fiunt, vicissim verò capitis sui torvitate eadem terret, ideò illud occultat.

Tygris, demum tam Lynces, quàm Pantheras superat. Oculos habet splendore igneo micantes, collum breve, ungves aduncos, dentes acutos, pedes multifidos: sobolis amantissima est hæc bestia, & catulos parit copiosos. Hos subinde venatores absente matre rapiunt, & equo maximè pernici cum ijs aufugiunt: At ubi mater rediens ad cavernam, vacuum cubile reperit, odore vestigando raptorem insequitur, magno cum fremitu, venator igitur appropinquanti unum è catulis abjicit, quem illa projectum velocissimo cursu reportat in cubile, iterúmque venatorem insequitur, idque toties, donec in navim regrediatur cum residuis raptor. Cicurantur subinde Tygrides, sed caveas aut vincula evadentes, ad genium redeunt. Fortiores sunt Leonibus, nihilominus tanta feritas elumbatur si vel baculo circa renes cædantur, illicò enim langvent, ac vincuntur: insuper Tygrides ad satietatem pastæ, tantâ dicuntur esse ignaviâ, ut à gregarijs etiam canibus confestim in fugam agantur.

§ XVI.

§ XVI.
De Marte, Mustella Zebellina, Putorione.

MArtes notum pariter animal est: incolit fagineas, & abjetinas sylvas, & quandóque etiam magnorum ædificiorum tecta. Cicurantur facilè: pellis earum maximè apud Septentrionales in pretio est: per rura vagatur, gallinas jugulat, & ova exhaurit: *Mustella Zebellina* verò paulò minor est Marte, pilò longè subtiliore, & pulchriore ac nigriore per totum, exceptô gutture. Sunt animalia naturâ agilia, & semper inquieta, inveniuntur in partibus Septentrionalibus, & extremis Moschovitarum sylvis. *Putorio* verò est aliquantum Marti similis, sed Marte major, circa collum angustior, circa ventrem latior, in cauda, & cruribus nigrior, & ad latera flavior; incolit horrea, stabula, sylvas, ripas, victitat muribus, gallinis, avibus, delectatur etiam piscibus. Et quia hìc Mustellæ Zebellinæ fecimus mentionem, obiter noto Mustellas communes, alias esse vulgares, alias sylvestres (vulgaris est in lateribus, & dorso rutila, raro subflava, circa guttur semper alba, corpus ei tenue, cauda brevis, dentes habet minores, quàm mures, habitat in cavernis, petrarum fissuris, fœnilibus, & stabulis, si in rabiem excitetur, morsus illius lethalis est) Mustella sylvestris alio nomine nuncupatur Viverra, & major est domesticâ Mustellâ. Hæ cicuratæ in capsis ligneis deferuntur ad campos, & cuniculorum cavernis immittuntur, ad illos extrahendos, adhibentur quoque, & ad aves ex nidis in parietibus inaccessis extrahendas.

§ XVII.
De Sciuro, & Taxo.

SCiuri forma omnibus est nota. Porrò Sciurus priorum pedum ministerio, pro manibus utitur, caudam habet villosam, eámque longitudini corporis ferè parem, ac supra dorsum reflexam dum sedet, dum tamen graditur, eandem post se trahit; in ardore solis eâdem se obumbrat; ac dum amnem tranat, cortice siccô conscensô, eâdem pro velo utitur; ac demum in saliendo ab eadem tanquàm alâ adjuvatur. Plerumque autem est rufi coloris, vel subrufi, in aliquibus tamen regionibus potiùs est niger, fructibus arborum, & nucibus maximè vivit, ac totâ ferè hyeme dormit. Est semiferus, hoc est mediæ naturæ inter feras & mansveta animalia, fa-

ciléque cicuratur, & cicuratus oblectamento est hominibus, ejus caro dulcis, & suavis est, pellicula usibus pellionum cedit, vix alio modo à venatoribus capitur, quàm globo sclopi trajectus.

Taxus verò rariùs comparet, & solùm in locis montanis reperitur, éstque animal fele majus, & vulpe, ad cujus naturam accedit humilius; loca frigida amat, aures rotundas habet, rostrum valdè debile, crura brevia, caudam villosam, cano est colore, totâ ferè hyeme dormit, dorsum habet latum, dentes acutos, victitat crabronibus, vermiculis, & frùctibus arborum; & quandóque & anseribus, gallinis, cuniculis, & avibus. Brevitatis pedum conscius, non longè à latibulo digreditur. Latibula autem hæc cum duobus ostijs fabricant: & flante austrô, Septentrionale aperiunt, flante verò Boreâ, austriale. Taxi dum eminentiore colle deprehensi, venatores sentiunt, pedes anteriores supra caput ponunt, corporéque in globum redacto, sese præcipitant, parentes senio confectos, filij nutriunt.

§ XVIII.
De Urso.

1. URsus *notior est ex pelle, quàm ex visu*, non enim inhabitat nisi loca valdè montosa ac frigida. 2. *Pellis ejus est spissa, & villosa, dentes serrati, & penitùs reconditi, pectinatim coëuntes, os longum, celeres oculi, pedes manibus humanis similes, cauda diminuta.* 3. *Caput habet invalidissimum, aures rotundas, collum angustum, pilos densos, & plerumque colore nigros.* 4. *In brachijs, & lumbis maxima est illius vis.* 5. *Interdùm posterioribus pedibus insistit, & non rarò erecto corpore incedit.* 6. *Arbores quoque scandit, & derepentè ex ijsdem descendit, ut homines.* 7. *Aquam non lingendo, nec sorbendo, sed vorando quasi bibit.* 8. *Prioribus pedibus pro manibus utitur.* 9. *Ursi melle libenter vescuntur*, alioquin sunt omnivori, herbarum pastu non vivunt, nisi medicinæ gratiâ. 10. *Frigido & humido sunt temperamento, súntque frigoris admodùm patientes.* 11. *Hiberno tempore somno sepulti latent, quadraginta diebus, & illo veterno pingvescunt.* 12. *Sunt magnis viribus præditi*, unde non solùm Cervos, sed etiam Apros, & Tauros invadunt. 13. *Dum latent, nullum cibum sumunt*, ideò cùm illo tempore capiuntur, inveniuntur ventre, & intestino prorsus inani. 14. *In genere Ursi, fæminæ videntur esse animosiores, quàm mares, & maximè cùm filios enixæ evadunt.* 15. *Edunt autem fœtum cæcum, & cruribus penè, alijsque membris indiscretum, &*

minu-

minutum, mure quidem majorem, sed felle, ac mustellâ etiam minorem. 16. *A latitatione egressi in liberam diem, ita oculis hebetantur, ut cæcitate obsitos putes.* 17. *Tympani sonitu fugantur*, sunt solivagi, & non nisi pulli mansvescunt.

§ XIX.

De Vulpe.

VUlpes descriptione quidem non indiget, cùm notissimum sit animal, singulares tamen ejusdem proprietates hìc breviter annotabimus. 1. *Itáque Vulpes pariunt fœtum cæcum, & parturientes ita secedunt ad abstrusa loca, ut gravidæ rarissimæ capiantur.* 2. *Auditum habent acerrimum.* 3. *In Creta Insula nunquam nascuntur.* 4. *Plerumque sunt coloris rufi*, in partibus tamen valdè Septentrionalibus, etiam candidæ, & nigræ. 5. *Latrando, & ululando canes imitantur.* 6. *Sunt carnivoræ, & aves, & gallinas venantur, ac subinde etiam lepores.* 7. *Moribus ac ingenio sunt admodùm dolosæ.* 8. *Hinc amnes, lacúsque gelatos transituræ, aure ad glaciem applicatâ crassitudinem ejus explorant.* In cavernis multiformes aditus faciunt, ne à venatoribus illaqueentur. Canem insectantem caudâ hâc, & illac per ipsius rictum ducta eludunt, in terram abjectas mortuásque se simulant, & advolantes aves hianti rictu captant. Pisces quoque astutè ex ripis caudâ illaqueant. Vespas præterea caudæ villo implicatas ad obvias arbores excussas obterunt, & devorant. Pullicibus infestatæ, manipulum fœni, aut pilos ore continentes, paulatim à posteriore parte, in aquam se mergunt, ut pullices ad caput ascendant, eóque immersô in fœnum vel villam colligantur, quod postmodum in aquam unà cum pullicibus mergunt. Gallinas in pertica sedentes, caudâ huc, & illuc impulsâ perterrefactas, dejiciunt ac devorant.

§ XX.

Varias, & curiosas Quæstiones circa Feras continens.

QUæri potest Primò. *Cur Cervæ non sint præditæ cornibus, licèt careant dentibus superioribus, perinde ac mares?* Respondet Aristoteles apud Maurum Tomo 3. de partibus Animalium c. 2. n. 10. Quia speciei Cervorum, convenit carere dentibus superioribus. Sed fœminæ Cervæ sunt ejusdem speciei ac mares, Ergò & his conveniebat carere

dentibus superioribus. Rursus natura in Cervis maribus, ex materia terrea facit cornua, & aliunde Cervi mares, viribus sunt validi, ut ea ferre possint. At verò Cervæ fœminæ, utpotè viribus debiliores, & imbeciles, pondere cornuum gravarentur, ideò natura ijs non dedit cornua: nec conservant in se terrea illa excrementa, quæ in Cervis maribus convertuntur in cornua, sed illa ejiciunt, & expellunt.

Quæri potest 2. *Cur sanguis Cervorum non concrescit ita sicuti aliorum animalium?* Respondet idem Arist. lib. de Hist. animal. c. 6. n. 2. Quia sanguis Cervorum caret fibris, quas habet sanguis aliorum animalium.

Quæri potest 3. *Cur Cervi sint timidi?* Respondeo. Quia cor habent proportione maximum. Animalia autem, quæ habent magna corda, sunt timida.

Quæri potest 4. *Unde hoc ipsum habeatur, quòd animalia quæ habent magna corda sint timida?* Respondeo. Quia sicut audacia oritur ex concertatione in corde spirituum vitalium, ita timor ex earundem dissipatione, spiritus autem illi vitales non possunt ita concentrari in magno corde, sicut in parvo. Ergo.

Quæri potest 5. *An verum sit, quòd Elephanti jecur careat felle?* Respondet Arist. lib. 2. de Hist. animal. c. 15. n. 8. Affirmativè, sic simul addit, quòd inciso ejusdem jecore, in ea parte cui solet adhærere fel, fluat ex eo humor aliquando magìs, aliquando minus felleus.

Quæri potest 6. *Unde cornibus Cervorum tanta vis insit adversùs venenum?* Respondet Cardanus lib. 3. c. 7. Quia & ipse Cervus, totâ sui naturâ contrarius est, omni venenorum generi, idque ex eo quòd sit animal, omnium sanguineorum siccissimum. 2. est quòd felle careat. 3. Quòd frequentissimo cursu se exercet.

Quæri potest 7. *Unde contingat, quòd canes venatici feras inquirentes, Cervum vel Leporem aut Lupum persequentes, repentè illarum vestigia amittant?* Respondeo. Id accidere, quando fera ex. gr. Cervus vel Lepus fugiens, nactus aliquam viam pulverentem arripit, tam diúque & tam longè per eam vestigia facit, ut canum sagacitatem fallat.

Quæri potest 8. *Cur feræ campestria subinde potiùs, quàm sylvas petant?* Respondeo. Quia in Novallilis, & proscissa terra, tractus vestigiorum non ita à canibus percipi odoratu possunt.

Quæri potest 9. *Cur feræ secundo vento ordinariè ante canes currant?* Respondent Plinius, & Solinus. Fugiunt inquit feræ latratu canum audito, prout sors tulerit, Cervi autem semper, secundâ aurâ, ut vestigium, & odor cum ijs abeat.

Quæri

Quæri potest 10. *Cur catuli Leonum, & aliarum nonnullarum animantium cæci nascantur?* Resp. Aristotelem hujus rei causam hanc assignare. Quia tales catuli adhuc sunt imperfecti, cùm uterum maternum relinquunt, nisi eam natura, ante perfectam partûs maturationem, expelleret catulos, tum fœtui, tum matri deficeret alimentum, quod in Leonibus, & similibus alijs, calidissimæ naturæ animantibus vehementer absumitur.

Quæri potest 11. *Cur in cicatricibus Equorum, vel Asinorum, qui demorsi sunt à Lupis, pili non renascantur?* Resp. Nempè, quia Lupi habent fauces, quasi accensas, & carnes, quas tangunt, ferè inurunt, quemadmodum igitur, in carnibus brutorum combustis, pili non renascuntur, ita nec in præsenti casu.

Quæri potest 12. *Cur homines in conspectu Luporum illicò raucescant?* Resp. Id si ita contingit, oriri à timore, nam artus præ terrore meatibus obstructis, vapores exhalantes retrudunt, qui sic ad pectus fluentes, raucedinem in hominibus procreant.

Quæri potest 13. *Cur Lupi ad instar hominum quodam modo canescant?* Resp. In hominibus quidem defectu caloris naturalis canitiem provenire, sed in Lupis prædictum calorem augeri, ob nimiam voracitatem, atque hunc nimium excessum causare in Lupis canitiem.

Quæri potest 14. *Cur Apri sint valdè animosi, iracundi, & furiosi?* Respondet Arist. Tom. 4. de part. animal. c. 14. n. 5. Quia sanguinem habent fibris valdè infectum.

Quæri potest 15. *Cur Apri montis Athi sint cæterisférociores?* Resp. Quia ut habet Arist. Hist. animal. lib. 8. c. 29. Loca montana, & aspera, suas bestias reddunt, & aspectu efferatiores, & viribus robustiores, quàm quæ nascuntur in locis planis.

Quæri potest 16. *Cur Apri cùm castrantur, evadunt majores, ac severiores?* Resp. Quia tota illorum nutritio, transit in solam substantiam carnis, & membrorum, corporis.

Quæri potest 17. *Quomodo Apri dicantur seipsos quodammodo castrare?* Quia cùm laborant pruritu testium, testes arboribus affricant, adeóq; eos atterunt, ut reddantur inutiles. Arist. lib. 6. Hist. animal. c. 28. n. 1.

Quæri potest 18. *Cur Leones, & alia animalia parvo corde prædita, effreni audaciâ insigniuntur?* Resp. Quia ut scribit idem Arist. In parvo corde spiritus vitales facilè uniuntur, qui in magno corde dissipantur.

Quæri potest 19. *Cur pinguedo Taxi, plurimum ad ægritudines conducat, cùm tamen ejus morsus, venenatus esse perhibetur?* Respondet Al-

bertus. Quoniam hoc animal crabronibus, & alijs venenatis reptilibus vescitur, ideóque ejus dentes veneno inficiuntur, sed alimentum posteà, perfectam passum concoctionem, in pinguedinem, varijs affectionibus salubrem, convertitur.

Quæri potest 20. *Unde Leporibus, excellens inesse facultas vivendi, ab omnibus ferè authoribus tribuitur?* Resp. Quia hujus feræ oculi indefessi sunt, cùm tam in somno, quàm in vigilia aperti maneant.

Quæri potest 21, *Cur nihilominus hujus feræ visio minimè sit acuta?* Resp. Quia animal oculis experectis præditum, nec non palpebris adeò præcisis, ut pupillis nutrimentum præbere nequeant, necessariò hebetem visionem habet.

Quæri potest 22. *Cur verò acerrimo Lepores auditu polleant?* Resp. Quia eis defectum visûs natura saluti animalium prospiciens, cùm viribus non valeant, auditûs præstantiâ recompensavit, ita ut audito etiam levi insidiantium tumultu fugâ sibi consulerent.

Quæri potest 23. *Cur Lepores à natura moniti, currendo, & fugiendo semper altiora petant, & si ad fluvios pervenerint ipsos tranent?* Resp. Videlicet ut hoc actu, canum capturam evadant.

Quæri potest 24. *Cur Leporibus tantæ aures?* Resp. Non solùm ad audiendum datas esse à natura Leporibus longiores aures, sed etiam ut sint illis adjumento ad cursum, nam currentes, auribus motum dirigunt, & moderantur.

Quæri potest 25. *Quâ ratione verum sit illud venatorum assertum. Quòd quando in aliquo nemore, major copia Leporum coërcetur, eò in dies magis in illo Lepores conspiciantur?* Resp. Quia peregrini Lepores indigenis succedunt, qui quamdiù exstant, alios Lepores ad nativum suum locum accedere non permittunt.

Quæri potest 26. *Cur Lepores domi aliti magis impingventur, quàm in sylvis.* Resp. Id provenire à nimia illorum timiditate, quia in sylvis, auditô quocunque levi foliorum strepitu illicò pascuationem mutant, atq; sic assiduus eorum motus, obesitatem illorum impedit.

Quæri potest 27. *Cur verò è contra Lepores, in sylvis enutriti sapidioris carnis sunt, quàm domi aliti?* Resp. Ob eundem assiduum motum, per quem humores animalium melius contemperantur.

Quæri potest 28. *Cur Lepores ad pabula longinqua ordinariè proficiscuntur?* Resp. Tum quia cibi peregrini desiderio tenentur, tum ut longo itinere se exercentes, pedum celeritatem firment.

Quæri potest 29. *Quid sentiendum sit circa Leporum sexum, non desunt*

sunt siquidem, qui Lepores utroque sexu præditos esse dicunt, ideóque tam numerosam esse Leporum prolem, quia tam mares, quàm fœminæ concipiunt, & pariunt? Resp. Hanc opinionem falsam, inde originem sumpsisse, quoniam in genere Leporum, tam fœminæ, quàm mares ad ingvina duobus tumoribus sunt referti, qui testes apprimè repræsentant.

Quæri potest 30. *Cur Lepores, & alia animalia melancholica, ut ex. g. asini longas habent auriculas?* Resp. Quia talia animalia abundant materiâ frigidâ, & siccâ, ex tali autem materia gignuntur partes cartilagineæ, quales sunt aures.

Quæri potest 31. *Cur Lepores apertis oculis dormiant?* Resp. Quia palpebras habent breves, ut oculos ijs vix, vel difficulter claudere valeant, unde patulis oculis dormire coguntur.

Quæri potest 32. *Cur Elephanti viso sanguine, vel rubro colore in furiam agantur?* Resp, Nimirùm quia sanguis, intuitu rerum rubrarum, in ijs commovetur, is verò commotus, in præsenti est præcipua causa iræ, unde in prælijs, quia is in ijs, visô hostium sanguine, fervet, audacissimi evadunt, & feroces, ferocissiméque pugnant: agitari verò & commoveri sanguinem, viso colore rubro, confirmatur ex medicorum observatione, qui spuentem, vel fundentem ex naribus sanguinem, vetant ipsum sanguinem, & res rubras intueri, & ad cærulea vel nigra objecta jubent oculos convertere.

Quæri potest 33. *Cur Elephantem iratum Equi timeant?* Resp. Cardanus existimat id inde oriri, quòd Elephas in ira, vocem spirabundam emittat, quæ Equis terrori est.

Quæri potest 34. *Cur Elephas, & aliqua alia animantia ac feræ pauciores, alia plures proles pariunt?* Respondet Alexander Aphrodisiensis li. 2. prob. 64. Censendum naturam statuisse, ut quæ brevi tempore viverent, hæc partu essent numerosiores, videlicet ea de causa, ut vitæ brevitas, partûs copiâ compensaretur, & hujus generis esse Sues, Canes, &c. Quæ autem diù viverent, pauca procrearent: quippe cùm temporis ámplitudo posset rei quam natura spectaret, satisfacere.

Quæri potest 35. *Cur Canes inter quadrupedes præcipua odorandi vi potiantur, ideóque ad venandum sint aptissimi?* Resp. Quia ficciora sunt animalia, cerebrúmque nulli pituitæ obnoxium habent.

Quæri potest 36. *Cur Zephiro flante Canes malè venentur?* Resp. Quia Zephirus omnium ventorum maximè est continuus, & terram attingens ferarum odorem dissipat, sícque difficillimè reddit venationem.

§ XXI.

§ XXI.

Antipathia, & Sympathia Ferarum.

1. *Alces maximè infestantur à Lupis.* Etsi à Mustella (quæ in stantis guttur subindè insilit) mordeatur Alces, sanguine suo conspecto confestim concidit præ timore, & exspirat. 2. *Apri ab Aconito, & Syanthi radice occiduntur*, & cùm vident Lupos, quasi confœderati se juvent mutuò, ad uniúsque grunitum quot quot alij audiunt concurrunt. 3. *Cervi habent antipathiam cum Aquila.* Hæc siquidem nacta opportunitatem invadendi Cervum, carnibus illius insidens, excutit multum pulverem volatu collectum, in illius oculos, pennis alarum ossa ejusdem verberans, donec præcipitatur in rupes. 4. *Habent quoque Cervi antipathiam cum Serpentibus, quos in cavernis investigant, nariúmque spiritu extrahunt renitentes, & devorant medicinæ gratiâ.* 5. *Habent autem cum Attagenibus simpathiam*, hæ enim sæpè dorso illorum insidentes, pilos eorundem vellicant. 6. *Fugiunt verò cùm vident Arietem, & gannitum Vulpis exhorrescunt.* 7. *Capreæ sive Capreoli, & Dorcades, amicitiam habent, cum Perdicibus*, ideò in ijsdem quoque locis pascuntur, & venatores exposito Capreolo alliciunt Perdices, & vicissim expositis Perdicibus, Capreolas. 8. *Leo, galli cantum, & ignem timet*, & si Ilicis folia pede attigerit, torpescit. 9. *Panthera odore suo, cunctas alias feras ad se attrahit.* 10. *Leporibus insidiantur Aquilæ, Corvi, Mustellæ, Vulpes, & Canes.* 11. *Tygrides, Elephanto viso, vehementer exardescunt:* Buballorum verò fimo pelluntur, & ad sonum tympani ferè insaniunt, ac seipsos sauciant. 12. *Vulpes cum Serpentibus, adeò amicè vivunt, ut in ijsdem cavernis quiete degant.* Præliantur autem, cum Corvis, & Taxis. 13. *Si Hyænedis, & Pardalis pelles commiscerentur, Pardalina pilos amittit.* 14. *Candidâ veste efferantur Elephanti: eadem Apris est adversa:* Panni rubri aspectu, terrentur Cervi: Ursos, & Leones mappa ostensa proritat. Ignem formidant Leones, Elephantes, & Lupi. Leonem etiam rotarum orbis circumacti terrent: Tympani sonitu Lupi, Ursi, & Tygrides fugantur. 15. *In Syria nascitur quoddam animal, quod Leonicida appellatur:* moritur enim Leo, si illius carnem comederit, hinc venatores, ubi hoc animal comprehenderint, partes carnis illius assant, farináque conspergunt, illásque ex insidijs Leonibus pro offa abjiciunt, quâ gustatâ, repentè eosdem interimunt. 16. *Conjicit idem animal, in Leonem urinam, quæ si eundem contigerit, exitium illi confert.* 17. *Vulpes si ederint amigdala amara, nec super biberint, moriuntur.* 18. *Pella*

avis pugnat cum Vulpe ; Æsalon avis quoque, est eidem inimica. Quia verò corvus inimicus est æsalonis, est amicus vulpis, & cùm vulpes ab æsalone infestatur, corvus fert opem vulpi. 19. *Panthera mirum quantum, vultum hominis aversatur, ita, ut si vel humanum simulachrum in charta effigiatum videat, verum hominem esse credens, illud subitò dilaceret.* 20. *Elephas quando hominem obvium in solitudine ac simpliciter oberrantem videt, clementem, pacificúmque se ei exhibet animadvertens tamen vestigia hominis, priusquàm hominem videat, subsistit : & eadem olfaciendo circumspectat, & exhorrescit, ac iras proflat :* nempè quia tunc sibi insidias strui suspicatur.

§ XXII.
Miranda Ferarum.

1. MIranda prorsus est velocitas, cursûs *alcium* cicuratarum, quæ ad trahendas vehiculas adaptantur & instruuntur ; harum enim cursus in nivosa præsertim glacie, omnium equorum celeritatem superat, ajunt enim aliqui eas 200. milliaria (fortassis Italica) nocte unâ ac die, jejunas conficere. 2. *Author est Bonfinius de rebus Hungaricis Decad.* 1. *lib.* 8. In Prussia Bizontes tantæ magnitudinis inveniri & capi, ut in unius pelle homines ferè 15. cubare queant. 3. *Addit Cromerus lib.* 1. *in descript. Polon.* Bizontes tantæ fortitudinis reperiri, ut cornibus suis equum cum sessore in sublime jactent, & arbores mediocris crassitudinis, evertant. 4. *Nierembergius refert in Histor. naturæ.* In Insula Madagascaria, unum dentem apri, 14. libras ponderâsse. 5. Lutra ita cicuratur, in Scotia præsertim, ad coquorum ministerium, ut solo coqui nutu piscatum eat, atque ingressa piscinas ejus magnitudinis pisces, cujus coquus jusserit capiat, & ad eundem deferat, idque toties quoties coquo videbitur satisfactum. *Olahus lib.* 8. *cap.* 12. 6. Cicurantur etiam ita, ut pisces circuitu suo in retia impellant, magno piscatoris emolumento. 7. In Tartaria ad venationem instruuntur pardi & leones, ad capiendos ursos, onagros, & boves sylvestres, *ut Paulus Venetus Author est.* 8. Rex Tartarorum habet leopardos cicures, qui mirum in modum venationibus inserviunt. Etiam lynces ad venandum non minùs industrios esse, *scribit idem Paulus Venetus.* 9. *Majolus colloquio septem dierum Canicularium refert :* Cervo ad ætatem grandævam venienti, in capite vespas concrevisse, eásque prognatas fuisse, vel ex humore superfluo, vel ex ossium me-

dulla. 10. *Idem Majolus testatur ex alijs vetustis Authoribus*, è naribus cervorum, vespas prodijsse. 11. Cervus quidam à *Ptolomæo Philadelpho scribitur*, educatus fuisse, qui loquentes Græcè intelligebat. 12. Elephantem, patrium nôsse sermonem, *testatur Nicobergius*, *& addit certum esse*: Elephantes apud Malabares inter se communicare sermone Malabarico. 13. *Ælianus oculatus testis scribit*: Vidi ego ipse Elephantem quemdam, verè in tabula litteras Romanas promuscide scribentem rectè, & non contortè, *Idem asserit & Plinius*. 14. Echinus sive Erinaceus, ad annum usque, sine cibo durare posse dicitur. 15. Pili Erinaceorum per longiorem ætatem, ita indurantur, ut videantur in spinas degenerare. 16. Illud quoque admirandum est; quòd leonicida, parvum aliàs animal, alibi non nascatur, quàm ubi leo gignitur, quasi præcisè ad illius internecionem, creatum fuisset. 17. Lepores cornutos dari in aliquibus Regionibus, *scribit Jonstronus*. 18. Ad lacum Mæotidem à piscatoribus lupi instruuntur, ut eorundem custodiant retia, atque pro hac custodia ab ijsdem ex piscibus captis, partem aliquam, pro stipendio accipiunt, 19. Lupa quædam puerum educâsse traditur, cum reliquis suis catellis, qui postmodùm gratiùs cum lupis, quàm cum hominibus versabatur. 20. Observatum est pelles zebellinas, in imo areæ repositas & alijs vestibus onustas, post triduum plus minus, ad summum ascendisse. 21. Pelles zebellinæ si manibus tractentur semper æquales remanent: soli expositæ corrumpuntur, ab lattis præservantur, si sæpiùs excutiantur, & ramis absynthij involvantur. 22. In Boëtia ac *Orchomenio* agro sunt plurimæ talpæ, in vicino *Lebodico* nullæ, imò illuc allatæ nec terram volunt effodere. 23. Tigrides quæ sunt ferocissimæ in India, Hispanos, & Europæos ab Indis dignoscunt, & illis parcunt, hos verò invadunt imò istos quæritant, etiam in domibus, & casis. 24. Propè occidentalia, & aquilonaria Maria sunt ursi, qui solo piscatu prædam quærunt, ut testantur *Olahus*, *& Petrus Martyr*. 25. *Tenent communiter Authores*, *& Rerum Naturalium Scriptores*, dormientes, sub pelle, vel in pelle cervorum, tutos reddi ab omnibus venenatis animalculis, similiter fumus ex cornibus exustis cervorum, fugat omnia noxia animalia. Et si quis frequenter carnibus cervorum vescatur, non subjicietur periculo, putrefacientium venenorum. 26. *Cardanus scribit*, Leonino adipe inunctos ab alijs feris tutos esse. Quoniam odorem, & vivi, & mortui leonis cætera animalia euncta perhorrescunt. 27. *Jacobus Vitriacus agens de animalibus Indicis ait*: Pantheras illarum Regionum prædâ satiatas, tridui spatio in spelæis, dormire, & peractâ cibi coctione, tam svavem halitum emittere, ut cæteræ animantes ipsas sequantur, exceptis serpen-

serpentibus, qui gratô illô odore enecantur. 28. In omni genere animalium, & ferarum, mares fæminis sunt audaciores, exceptà pantherâ, & ursâ, nam in his generibus, fæminæ sunt audaciores. 29. Fel leopardi, flavescente corpore, & ore emarescente, trium horarum spatio interimit hominem. Hinc Scithæ adversùs hostes præliaturi, fele leopardi, tanquàm præstantissimo veneno, sagittas suas inficiunt, ut vulnerando, & venando, patientibus mortem inferant. 30. *Neuri* populi *teste Solino*, statis temporibus in lupos convertuntur, & transacto tempore, ad pristinam formam revertuntur. 31. In Moschovia, & ulterioribus Regionibus ad septentrionem, vulpes nigræ in magna copia reperiuntur, & capiuntur. In Creta autem Insula, nullæ vulpes conspiciuntur. 32. Taxus licèt pellem habeat valde densam, & duram, quà cuique ictui resistere possit, nasum tamen seu rostrum tam debile habet, ut etiam ex levi quacunque percussione, confestim pereat.

§ XXIII.

Industriæ Ferarum, & Præsagia.

1. *ALces cùm sylvæ & campi sunt nivibus obtecti, eô ordine progrediuntur simul, ut una ex ijs præcedat, reliquæ verò eandem sequantur, eundem tenorem, & modum servando, ac primæ vestigia invariabiliter calcando.* Astui, & industriæ horum animalium id adscribendum, ne numerus earum ex vestigijs dignoscatur. 2. Castores impendente exundatione fluminis, (ad quod nidos suos & cubilia conficiunt) pridie ædificium suum mutant, & in altiorem locum transferunt. 3. Cerva teneros hinnulos asvefacit, quomodo debeant surgere, fruteta transilire, dum per loca fruticibus, arbutísque referta currendum est, ne cornibus hæreant, & capiantur. 4. Erinacei quamprimùm latratum canum, aut venatorum adventum præsentiscunt, in orbem se colligunt, rostro pedibúsque introcollectis ut globum aculeatum referant, in mortui speciem. 5. Lepores à venatoribus agitati, inter glebas ejusdem secum coloris se abscondunt. 6. Lutræ in urinando, per intervallum, exertis naribus aërem hauriunt ne suffocentur. 7. Ursus pinguior effectus latibulum superiùs dorso ingreditur, & sic vestigia ne ea venatores conspiciant, oblitterat. 8. Ursi si quando tauros adoriuntur, cornua, & nares petunt, cornua, ut eos pondere defatigent, nares, ut acrior odor sit, in loco teneriore. 9. Echinus vindemiæ tempore, vites subit, pedibúsque botrorum acinos in

terram decutit; quos ibidem volutatus, undique spinis confixos, excipit, & in cavernam deportat, idem facit, & cum deciduis pomis. 10. De alce ferunt, quòd à venatoribus agitata, ad aquas confugiat, easque frigidas ore haustas, fervidas denuò in canes eructet. 11. Elephanti flumen transire cupientes, minimos ex suis præmittunt, ne majorum ingressu, gurgitis altitudo crescat. 12. Ijdem cùm fossam transire nequeunt, qui cæteris robustior est, in fossam se demittit, & per tergum transversus gradientes, pontis loco suffert, cæteri deinde proboscidibus eum qui in fossa serviverat, extrahunt. 13. Castores gregatim lignatum exeunt, séque mutuò in lignis colligendis, & comportandis adjuvant. 14. Parentes suos ætate grandes nutriunt; elephantes, glires, leones, ruricapræ, & aliæ, sylvestres capræ, uti & taxi. 15. Alces propter labrum superius crassius, retrogradiendo carpunt herbam, ne in priora tendentes illud involvant. 16. Cervi postquàm eis cornua denuò creverint, solis radijs illa exponunt, ut sic calore siccentur atque obdurentur: cùm verò jam cornua ita duruerint, ut illa arboribus atterendo, dolorem non sentiant, tunc relinquunt loca addita; quasi haberent jam arma, quibus se defendant. 17. Cervi morsi ab araneo, vel ab alio animalculo venenato icti, cancros comedunt, & virus omne dispellunt. 18. Erinacei mutationem aquilonis in austrum, condentes se in cubile, præsagiunt. 19. Sciurus prævisâ tempestate obturat cavernam, quâ parte spiraturus est ventus, & partem alteram aperit. 20. Castores quandóque in loco eminentiore, quandóque in decliviore juxta amnis futuram inundationem sibi cubilia fabricant: Hinc *teste Olaho* agricolæ Regionum, ubi copiosi sunt castores, observantes castoris ædificium in valle, serunt in montibus, conspicati vere illud in monte, serunt in vallibus. 21. Lepus hyeme impendente, cubilia in locis apricis sibi constituit, in æstate autem in locis, ad aquilonem sitis cubat. 22. Idem lepus à canibus atque venatoribus fugiens eorum cursum diligenter observat, nam si ad persequendum sint tardi, & segnes, tunc ipse etiam lento, passu progreditur, ne vires deficiant, si verò canes iter accelerantes conspiciat ipse quoque citissimo cursu fertur. 23. Idem lepus ad fallendos canes, & venatores, per flexuosas incedens vias, omnes frutices, & stirpes evitat, ne pili ijs adhærentes canibus prætereuntibus, aliquem odorem præbere possint.

§ XXIV.

§ XXIV.

De ijs, quæ incerto vel falso feris adscribuntur.

1. ID quod nonnulli asserunt de Castore, quòd is venatores fugiens testes sibi dentibus avellat, & abjiciat, conscius se propter illos pati, meritò inter ea, quæ falsò feris adscribuntur, alij numerant, cùm enim is testes parvos habeat, & spinæ adhærentes, ij eo superstite nec ab alijs evelli queunt. 2. Lacrymam cervi verti in gemmam post annum ætatis illius centesimum pro fabula habendum multi censent. 3. Uti, & illud, quòd si cervus tangat *cactum* (certum Cardui genus) & saucietur, ossa illius nullum sonum edere possint. 4. Quòd elephantes juncturâ crurum careant. Hæc enim conjectura inde opinionem traxit, quòd in elephantibus juncturæ genuum sint æquales omninò, & quòd distentis cruribus, ac si juncturis omninò carerent, ita ambulent. 5. Circa lupos multa falsa, & valdè incerta circumferri pro comperto est, cujusmodi sunt: oculos lupi erutos, quadrupedes domesticos terrere: caudam ejusdem ad præsepe suspensam, facere ne comedant pecora: rumpi equos, si vestigia luporum sub equite, sequantur: si lupi vestigia equi quadrigam trahentes conculcent, sistere, ac si cum quadriga glaciassent. Oves à lupo adesas habere svaviorem carnem, verùm lanas earum pediculos, & pruritum creare: agnos nuper natos, nec alicujus animalis effigiem, extra caulam cernentes, audito repentè luporum ululatu, exanimari: Pelles ovium lupinæ superpositas statim depilari: fimum lupi in ovili occultatum, pecudes quiescere prohibere, nisi auferatur: Chordas in fidibus ex intestinis ovium cum chordis, ex in testinis luporum permixtas, rumpi, vel obstrepentes omnem harmoniam, & concentum interturbare: *Scillam* herbam sic dictam, si contigerit lupus, repentè eundem contrahi. Lupos ideò lapides perhorrescere, quòd in parte à lapide icta vermes nascantur: Scintillis ex silice micantibus, ita terreri, us etiam famelicus accedere non audeat. Timpanum ex ejus pelle formatum, cætera animalia fugare: cantum, & sonum ipsi inimicissimum esse. 6. Fabulosum quoque id censendum est, quod *scribit Plinius lib. 8. Historiæ Naturalis.* nempè: lyncis urinam glaciari, atque crescere in gemmas carbunculis similes, & igneo colore fulgentes lyncurium vocatas, atque hoc lynces scire, & invidentes, urinam suam terrâ operire. 7. Elephantes neque posse flectere crura, neque subsistere, experientia enim constat utrumque falsum esse. Propter onus tamen, non potest flectere utrumque crus simul, ac super utrumque incli-

nari, sed solùm flectit ùnum crus, atque in uno solùm latere inclinatur, incumbens alicui parieti, vel arbori. 8. Fabulantur & ij, qui lynces corpora solida penetrare visu dicunt, licèt verum sit, quòd ex omnibus quadrupedibus clarissimè cernant. 9. Fabula pariter est, quòd ungulæ alcis, tunc solùm vim medicam habent contra Epilepsiam, quando præciduntur, ab animali adhuc vivente. 10. Item ungulas fæminæ alcis, efficacius remedium esse, quàm maris, & posterioris pedis, quàm anterioris, non est, siquidem major ratio pro una, quàm pro altera. 11. Figmentum quoque est caudæ lupi inesse amatorium virus, exiguo in villo, eúmque cùm capitur ab eo abjici, nec idem eâ vi pollere, nisi viventi abreptum. 12. Nec minùs nugax est id, *quod recenset Plinius lib. 29. cap. 4.* Cervinis nervis, dentes draconùm alligatis, pedibus caprearum, mites præstare Dominos, potestatésque exorabiles. 13. Fabula est, quòd si leo primò occurrat homini sit bonùm augurium, malum verè, leena occùrrat mulieri, utráque enim superstitio falso innititur fundamento. 14. Fabula item est, *id quod Scholastices, Sixti Philosophi, asserit:* Ungue leonino perfricatos, apud Principes faciliorem gratiam inventuros. 15. Item, & illud, quod *Porta affirmat*: ad propulsandum timorem, nullum remedium efficacius esse, pelle leonis, vel oculo leonis, si quis eum apud se deferat. 16. Uti & illud, quod *Idem Porta asserit*: Oculum ursi exsiccatum, & appensùm puerorum collo, amuletum esse adversùs pavores, quibus in somno pùsiones vexantur. 17. Superstitiosùm item est, id quod *scribit Vecherus*: Quòd si quis ferat portionem adipis, vel medullæ lupi, uxor ejus neminem præter eum diliget. 18. *Rhasis* adhuc magìs nugatur, dum inquit: Si adipe lupi cum rosaceo liquore mixto supercilia inungantur, linitus ab intuentibus diligetur. 19. Item dum ait deferentem lupi calcaneum in linteo, ab hominibus securum evadere. 20. Uti & illud quod tradit *Sixtus*, de viatore quòd secum ferens summam caudæ lupi partem, tutus iter faciet. 21. Inter fabulas, & illud est censendum: vulpem fœtam, canem prægnantem, & lupum subnigrum, in via obvia facta, iter infortunatum, & ominosum præsagire, & grande discrimen adferre, 22. Demùm falluntur, & ij, qui dentem vel pedem sinistrum taxi, ad memoriam juvandam, brachio dextro jubent alligari. Hæc enim & similia, vel nugas vel superstitionem sapiunt.

§ XXV.

§ XXV.
Medicinalia Ferarum, & ex Feris.

1. Cornibus alcis vim adstrictivam attribuunt medici. 2. Eorundem rasuram, seu ramenta ungularum, morbo Epileptico prodesse. 3. Cerebrum cum sanguine aprorum, laudatur contra serpentes; uti & adeps illorum, cum melle, & resina, jecur quoque inveteratum, cum ruta potatum vino. 4. Vesicæ, calculorúmque cruciatibus auxiliatur urinâ apri, & ipsa vesica pro cibo sumpta: efficaciùs verò, si fumo maceretur utrumque. 5. Inveniuntur in jecinoribus aprorum lapilli, aut (durities lapillis similes) candidi, quibus contritis, atque potis in vino, pelli calculum ajunt. 6. Urinæ incontinentiam cohibet vesica aprina, si assa manducetur. 7. Eorundem aprorum laridum elixum, atque circumligatum, mirâ soliditate solidat fracta. 8. Cinis maxillarum verò, eas putredines quæ serpunt, sanat. 9. Pulmo autem cum melle mixtus, pedibus in calceamentis læsis, utiliter supponitur. 10. Fimus aridus, in aqua vel vino potus, rejectiones sanguinis sistit. 11. Castor ex unguibus proprijs liquorem pinguem, & cerosum exsudat, quô admotâ linguâ detersô, corporis partes, quas contingere potest, velut oleô oblinit, tum ad pilorum pulchritudinis excrescentiam, tum ad reliquorum membrorum conservationem. 12. Cervi *dictamni* herbâ, infixa tela excutiunt. 13. Herbam verò, quam *cynerem* vocant, contra noxia gramina edunt. 14. Lapis Bezoar, quàm sit efficax, ad expellendum venenum, nemo medicorum ignorat: Hunc autem subministrant capræ Bezoardicæ dictæ. 15. Lupus in luto se volutat, ut sanguinem sistat: ad acuendos autem dentes, *dracontium* herbam comedit. 16. Ursi degustatis *mandragoræ* malis, formicæ linctu, sanitatem recuperant. 17. Cervi cornu sinistrum, vim cujusdam magni medicamenti habet, ideò dum illud dejicit, abscondit in locis abstrusissimis, ne inveniri ab aliquo possit. 18. Aper *hederæ* esu, morbos suos curat. 19. Erinaceorum pulvis, vim aperiendi habet. 20. Elephantes frequenter laborant profluvio ventris, cui morbo medentur custodes, præbendo potum calidæ aquæ, vel fœnum melle mixtum. 21. Leporum caro ventrem stringit, siccat, & urinam movet. 22. Leones quando ægrotant, simia illis pro remedio est. 23. Frequens est, & varius usus apud medicos leporum caro. Nam primò adhibetur adversùs venena. 2dò. ad curandum defluvium capillorum. 3tiò. ad sananda ulcera. 4tò. ad lentigines de facie tollendas. 5tò. ad dissenteriam tollendam. 6tò. ad vomitum nimium

sisten-

sistendum. 8vò. ad lubricos ventres mactandos. 9nò. quoad præfocatione m amovendam. 10mò. ad stranguriam sistendam. 24. *Dioscorides* laudat in medicinis medullam cervorum. 25. *Aëtius* adhibet adipem cervinum in Pharmacis, contra podagram. 26. *Solinus* ait: ungvento, ex istiusmodi medullis confecto, langventium hominum calores sedare. 27. *Albertus* addit immunem hominem à febribus servare, quam facultatem *Plinius*, etiam ipsi carni cervinæ attribuit. 28. *Marcellus*, pulmonem cervinum impositum, & sæpè renovatum, ex calceamento læsos pedes asserit. 29. *Galenus*, ad ventris profluvium, cervorum ossa contusa, ventri illiniri jubet. 30. Asserit *Plinius*, coagulum cervi, in aceto potum, ab ictu serpentium juvare: utiliter quoque datur ad bibendum morso à rabido cane. Item contra cicutæ, & fungorum nocivorum esum. 31. *Marcellinus Empiricus*, cibum ex capris sylvestribus torminosis & dissenthericis prodesse ait. 32. *Sixtus*, si alicui oculi doleant, jecur Ruricapræ, sive sylvestris capræ contritum, ex vino bibere jubet vel cum aqua calida fervente, pollicetúrque sanitatem. 33. *Avicena* affirmat, fel hirci sylvestris, instar Teriacæ esse, contra venenatos morsus. 34. Fel verò *Dorcadis* (quæ est species capræ sylvestris) ad claritatem oculorum præscribit *Hipocrates*, hoc enim & caliginem oculorum depellit, & obtusiorem visum exacuit. 35. Cor leonis si diligenter exsiccetur, & in pulverem redigatur, conducet Epilepticis, & quartanâ febre laborantibus. 36. Hepar ejusdem, hominis dolores hepatis sanat. 37. Adeps ejusdem emollit duros præter naturam humores. 38. Caro leonis præparata in victu, remedium est contra Paralysim, & sanguis ejusdem contra carcinomata. 39. *Genserus* demum testatur, in præservationem à podagra nullum remedium præstantius esse, quàm calceos ex elaborato corio leonis vel lupi gestare. 40. Adeps leopardi utilis est ad omnes tumores emolliendos, ad scabiem, & impetigiam tollendam, atque ad dolores, ex vulnere nervorum alleviandos. 41. Ungvis lyncis remedium præsens contra spasmum esse dicitur, si vel in collo gestetur. 42. Ursi cum hebetudine oculorum afflictantur, ad apiarium se conferentes præsentaneam opem inveniunt, dum oculares venæ apum aculeis apertæ, tantum sanguinis effundunt, quantum oculorum valetudo expostulat. Ijdem consauciati folia *verbasci*, vulneribus applicant, & sanguinem ex ijs dimanantia supprimunt. 43. Pulmones ursi juxta *Dioscoridem* ex attritu calceamentorum, partem vicinam, inflammatione corripi, non patiuntur. Fel ursi, in aqua potatum, asthmaticis præstò est: cum melle mixtum, antiquam tussim lenit, & contra morsus rabidi canis, singulare remedium est. 44. Item juxta *Marcellum*, leprosos sanat, & carcinamata

namata ulcerosa curat, si superliniatur. 45. Ejusdem ursi adeps prolixitatem pilorum inducit, ulcera item pedum, cum alumine mixtus sanat. 46. *Arnoldus Villanovus*, ad pullices enecandos sanguinem vel adipem ursi, tanquam quid arcanum præcipit, si in corbe vel vase, sub lecto ponatur, nam eo convenient pulices, & peribunt. 47. Teste *Plinio*, si dentibus lupi, infantum gingivæ perfricentur, citiùs, & citra dolorem, evocantur. 48. *Agricola* scribit, eos qui per exsiccatum lupi guttur biberint, certissimâ salute, à podagra evadere. 49. Cor lupi exsiccatum, epilepticos curare, perhibetur à *Gesnero*. 50. Hepar lupi in hydrope curanda, insignem habet prærogativam. 51. Fel ejusdem cum grano Moschi mixtum, naribus epileptici, adhibendum esse, idem *Albertus* svadet. 52. Caro lupi, ad mentem *Sexti* detur patientibus phantasmata, & timores, eadémq; sive assa, sive elixa, quartanas curat, & hæmoroides patientibus, prodest. 53. Oculus lupi glaucomata oculorum extenuat, ac pinguedo ejusdem, contra lippitudinem oculorum prodest. 54. Sanguis ejusdem cum oleo nucum permixtus, surditati occurrit. 55. Ossa lupi exsiccata & in pulverem redacta, teste *Vecherio* ad puncturas tollendas mirum in modum valent. 56. Stomachi lupi corium supra regionem ventriculi gestatum, concoctionem juvat. Item teste *Plinio*, si laborans collicâ, & podagrâ pelle lupinâ involvatur, summam percipiet utilitatem. 57. Vulpes quacúnque ægritudine afficiatur, ad pinum confugit, lacrymámque ab hac arbore effluentem vorat, & sic se sanat. 58. Vulpis cerebrum infantibus sæpiùs exhibitum, à morbo comitiali illos præservare docet *Olahus Magnus*, & *Aldrovandus* negat eos in lippitudinem incurrere, qui linguam vulpis in armilla gestabunt. 59. Pulmonem vulpis, commendat phtysico *Sylvius*, & hujus pulverem in aliquo liquore, suspiriosis exhibet *Dioscorides*. 60. *Galenus* inter pharmaca, ad spleneticos curandos numerat, hepar vulpinum, in aceto exhibitum. 61. Narrat *Sextus*, fel vulpinum, melle mixtum, caliginem oculorum delere. 62. *Nicolaus Myrepsicus*, sangvinem recentem, è vulpe extractum, calculosis exhibet bibendum. 63. *Sextus*, in podagra jubet parari calceos ex pelle vulpina, alij pelle recenter detractâ podagricorum pedes, felici cum successu involvunt. 64. Adeps vulpinus, in præservandis manibus, & pedibus, è frigore, insignem habet prærogativam, annotante *Mizaldo*, dummodo sæpiùs inungatur, antequam intumescant. 65. Pingvedo taxi, in medicina plurimos habet usus, pollet siquidem insigni facultate, emolliendi, & calefaciendi. 66. *Carolus Borillus*, sangvinem taxi exsiccatum, & in pulverem redactum, mirum in modum Lepræ mederi atteстatur. 67. Alij medici in supprimendo

 san-

ſangvine, undique implacabiliter dimanante, cinerem taxi ſingulariter commendant. 68. Quantus uſus ſit in medicamentis *caſtorei*, quod ex caſtoris teſtibus conficitur, nôrunt medici. 69. Nonnulli advertùs morbum regium dentes caſtoris, poculis immittunt, quia ob lutei ſeruſei coloris ſignaturam, medicam vim ijs ineſſe credunt, contra hunc morbum. 70. Fel taxi in tollendis ſuffocationibus adhibetur. 71. Coagulum verò illius, morbo comitiali laborantibus, incredibili adjumento eſſe ſolet. 72. Sangvis lutrarum cum aqua, & aceto mixtus, nervis humanis intumeſcentibus conducit. 73. Jecur ejuſdem ad ſupprimendam diſſenteriam, laudatur, pelles verò illius adversùs Paralyſim, & Vertiginem ac capitis dolorem ſalubres eſſe dicitur. 74. Calceamenta ex pellibus earum confecta, ad dolores pedum mitigandos peridonea exiſtimant nonnulli medici. 75. Cerebrum leporis exhibet *Vecherus*, adjuvandos tremore affectos. 76. *Galenus* in dolorifera infantium dentatione illud commendat. 77. Juxta *Marcellum* verò hoc cerebrum ex vino potum, urinæ incontinentiam cohibet. 78. Pulvis leporis ex *Plinio*, comitiali morbo laborantibus præſcribitur. 79. Fel ejuſdem ad claritatem viſûs conducit. 80. Coagulum verò fluxu diſſenterio laborantibus, incredibilem utilitatem adferre, *Diſcorides* exiſtimat. 81. *Quintus Serenus*, illud ad declinandum febris quartanæ paraxiſmum commendat. 82. Sed, & in expugnanda veneno, hoc coagululum alijs pharmacis non cedit. 83. Nonnulli carnem ipſam leporinam ad ſomnum conciliandum efficacem eſſe exiſtimant. 84. Adeps, ex *Geſnero*, in extrahendis ſpiculis corpori infixis adhibetur. 85. Juxta *Plinium*, oſſiculum ſimile accis in latere leporis invenitur, quo ſi dentes dolore vexati ſcarificentur, priſtinam ſanitatem adipiſcuntur. 86. Mandibula leporis carcimomati plurimùm confert. 87. Talus leporis ventriculo ſubligatus ejus dolorem ſedat. 88. Adipem tepidum gliris ſylveſtris, in unctione plantarum pedum factâ, eſſe perutilem *Antius* affirmat. 89. *Sextus* verò illud ad Paralyſim curandam conducere teſtatur. 90. Ad affectiones lienis, erinaceum lienem *Plinius* præſcribit. 91. Carnes ejuſdem in fluxionibus viſcerum, & diuturnis febribus, nec non in morſibus ſerpentum, *Avicenna* commendat. 92. *Ælianus* ſcribit, elephantis adipem, contra omnium ferarum venena remedio eſſe. 93. *Plinius* aſſerit, jecur elephantis comitiali morbo laborantibus, plurimum prodeſſe.

DISSERTATIO V.

AUCUPIUM PHILOSOPHICUM.

SEU

DISSERTATIO PHYSICA CURIOSA

De Avibus.

AUcupia instituuntur, à vulgo quidem, propter utilitatem, ab hominibus verò honestæ educacionis, & non vulgaris conditionis, vel maximè propter animi, sensuúmqne voluptatem: quam sanè magnam esse, & singularem, vel ex eo colligitur, quòd hoc genus relaxationis sit in usu, magnóque pretiô, potissimùm Nobilibus, Magnatibus, Principibus, quin & ipsis Regibus, & Imperatoribus. Verùm hanc ex captura avium captatam oblectationem, longè adhuc videtur superare ea, quæ ex Philosophico capitur aucupio: in quo omnium Avium naturæ, ac proprietates indagantur, & singularum rationes naturales assignantur, cunctarúmque rerum, quæ in Avibus observantur, causæ physicæ investigantur, ac omnes curiosæ quæstiones, quæ in hac materia proponi possunt, resolvuntur. Quod præsenti Dissertatione præstare conabimur. Quam, ut ab ovo (uti dici solet) retexamus, & deducamus, ab ipso ovo Avium, seu altilium, eandem ordimur. Sit igitur.

§ I.

Interna, & externa Ovi constitutio explicatur.

AVium, & altilium omnium Ovi, hæc est constitutio. Primo. In medio est vitellus, cujus figura est rotunda, ut videre est in vitello caloris vi indurato. *Figura autem rotunda, seu sphærica, est*

omnium figurarum perfectissima, & capacissima. 2. Color vitelli est subflavus, & ad ruborem vergens. *Nutritur siquidem sanguine.* 3. Vitellus habet suam membranam, seu pelliculam. *Ne scilicet diffundatur, hâc enim scissâ, ut experientiâ patet, illico diffunditur.* 4. Est autem hæc pellicula tenuissima, constátque ex subtilissimo fibrarum plexu. *Sine enim his fibris, vitelli substantia contineri non posset.* 5. Imò & ipse vitellus constat ex multis fibris, ac venulis, in dicta ejus tunica, seu membranula sparsis. *Est námque materia fibrosa, & lenta, unde si humor ex eo avolet, coagulatur, quod fieri non posset, nisi fibræ eidem inessent.* 6. Præter hanc, habet vitellus aliam quoque pelliculam pariter tenuissimam, cujus operâ racemo, seu ovario adhæret, quæque totum vitellum ambit. *Est hæc in istum usum: ut in vitellum venas, & vasa deferat, quibus succus alimentitius traducatur.* 7. Porrò intima tunica vitelli subinde rugas agit. *Tunc scilicet, quando vitellus recens non est.* 8. Est autem ovarium, cui vitellus per extimam illam pelliculam adhæret, pars interior avis uteri, cui ad instar racemi alicujus, multi vitelli, & minuti adhærent. *Et ob id ab aliquibus, racemus ovorum, nuncupatur.* 9. Post vitellum est albumen ovi, illúdque duplex, unum crassius, seu densius, alterum liquidius, seu tenuis. 10. Porrò utrumque hoc albumen suâ membranâ gaudet. *Et quidem liquidius, exteriore; crassius, interiore.* 11. Constat autem albumen, materiâ fibrosâ. *Nam calore concrescit, quod omni corpori fibroso contingit.* 12. Procedit verò utrumque ex ipso gallinæ, sive fœmellæ avis corpore. *Per venas nempe, & arterias, quarum multa vis in uterum avis descendit.* 13. Color albuginum à materia spermatica vix discrepat. *Utríque siquidem inest uligo, & tenacitas.* 14. Albumen calore induratum albescit. *Quia humore evolante, reliquum quod manet, est quasi muscosa spuma: omnis autem spuma albescit.* 15. Insuper in albumiue sunt duæ charangæ, seu grandines. *Quæ sunt quasi duo nodi, quibus albuminis utriusque membranæ vitello deviunciuntur.* 16. Vitello quædam macula, vel cicatrix inest subalba, & modica, instar lentis. *Atque in hac postmodùm pulli formatio inchoatur.* 17. In obtuso ovi angulo est quædam exigua cavitas; *Quæ post formationem pulli, inservit ejusdem extensioni.* 18. Demùm sic formatô ovó inducitur putamen. *Concrescit hoc ex abducta quadam uligine quasi excrementitia.* 19. Est autem putamen ovi multis poris pervium. *Hinc ovum igni appositum, caloris vi sudat.* 20. Color putaminis, ut plurimùm est albus. *Est enim quædam terrestris spuma.* 21. Sic efformatum ovum egreditur initiò molle. *Ne dolorem parientibus altilibus pariat.* 22. Sic depositum, & aliquantulùm refrigeratum indurescit. *Evaporato scilicet humore, qui exiguus est relictáque terreâ portione.*

§ II.

§ II.

Prædictarum partium Ovi incrementum, & munia.

1. Vitellus oritur à corpore quodam laxo, poroſo, fungoſo. *Nempe illo, quod ad avis fœmellæ, ſeu gallinæ ſpinam oboritur, ac venæ, & arteriæ magnæ annexum eſt.* 2. Hoc verò nonnulli fundamentum, ſeu racemum vocant. *Ex eo quod multiplicem vitellorum vim progerminet, ad inſtar uvæ, ſeu racemi, iiſque tunicas, & membranas largiatur.* 3. Vitelli, initio ſunt inſtar grani ſinapis, vel minutæ arenæ, ijdem càndidi. *Nam deinde lutei evadunt.* 4. Ubi vitellus maturus eſt, à radice ſua avellitur. *Soluto ſcilicet, & relicto illo nodo umbilicari, atque ſic per membranam ſuam exteriorem, quæ totum vitellum ambit, in uterum avis deſcendit.* 5. Vitellus dein in utero avis ad formam tuberis nutritur, augeſcit, & incrementum capit. 6. Poſtmodùm per varias ſpiras, plicas, & ſalebras, quibus uterus aſperatur, volvitur, & geminum albumen, cum gemina tunica ſibi adſciſcit, atque aſſumit. 7. Finis vitelli eſt, ut pullo concepto in alimentum cedat. *Non enim ex illo gignitur pullus, unde in excluſi pulli inteſtinis aliqua illius portio invenitur.* 8. Finis albuminis ovi pariter non alius eſt, quàm ut eidem pullo cedat in alimentum. *Liqueſcit ſiquidem ad inſtar cujuſdam aquei lactis.* 9. Imò vitellus ultimi alimenti locum tenet, & pullus toto ferè tempore, quod excluſionem antecedit, albumine veſcitur. *Hinc fit quòd albumen circa excluſionis tempus omninò deficiat.* 10. Nulla igitur vis plaſtica vitello per ſe, & multò minùs albumini ineſt. *Nam & ovis ſubventaneis ineſt tam albumen, quàm vitellus, quæ tamen nullam vim plaſticam habent.* 11. A fortiori autem charangæ, ſeu grandines illæ in ovo, nullâ vi plaſticâ pollent. *Totum ſiquidem illarum munus eſt, membranas albuminis, vitelli membranis devincire: Hinc ſi hæ grandines ſcindantur, illicò albumen à vitello ſeparatur.* 12. Sola igitur cicatricula illa, ſeu macula; quæ vitello ineſt, virtutem plaſticam habet. *Conſtat ſiquidem experientiâ in ea formationem pulli inchoari.* 13. Cavitas demum, quæ circa alterum ovi extremum apparet, non eſt fruſtra à natura ovo addita. *Nam dum ab illa cicatricula vitelli, pulli informatio incipit, ſensímque accreſcit, paratum locum extenſioni in eadem invenit.*

§ III.
Modus, & progressus formationis Pulli.

PRimâ die incubationis avis, vel gallinæ, tepefiunt ova, quibus incubat volucris. *Secundâ die*, Cavitas illa ovi, quæ est in obtuso vertice, ampliatur; *Exhalatis scilicet caloris vi subtilioribus partibus*: Vitellus igitur versùs eundem verticem ascendit, hoc est promovetur. *Cùm enim germen in cicatricula vitelli* adhæreat, & *cùm raritate turgescat, haud dubiè versùs illam partem explicatur, quæ vacua est.* Porrò macula illa prædicta in vitello, seu cicatricula, eodem die dilatatur magìs, ac in aliquot circulos dispergitur. *Atque hi sunt filaminum, seu fibrarum primordia, in quorum centro punctum album est, quasi vitæ centrum, & pulli origo. Tertiâ die*, præmentionati circuli ampliantur ad magnitudinem diametri nucis avellanæ, tandémque in tenuissimam membranam abeunt, quâ crystallinus, & limpidissimus liquor (quem colliqnamentum alij vocant) continetur. *Quartâ die*, colliquamentum illud, exili purpurascente lineâ coronatur, in cujus centro punctum sanguineum micat, ex priore puncto subalbo quasi emergens, & dicitur punctum saliens. *Quintà die*, punctum illud saliens, duabus quasi vesiculis sanguine rubentibus distinguitur, inter se tamen commissis, *atque hoc est cordis primordium.* Eodem die hinc concrescit aliquid ad instar gallæ, venulæ adjacens, ad formam, & similitudinem carinæ navis inflexæ. *Et hujus pars anterior est capitis, reliqua pars reliqui trunci fundamentum, ac principium*: Huic autem appenditur corpusculum multô majus, in quatuor bullas, liquore limpidissimo plenas. *Quæ quatuor bullæ geminorum oculorum, cerebri, ac cerebelli sunt* inchoationes. *Die sextâ*, oculorum membranæ, & tunicæ distinguuntur, pedes, & alæ pullulant, pulmonum, & jecinoris rudimenta apparent, rostrum, ac viscera omnia, & intestina formantur, & fœtus jam speciem pulli aliquam induit, jàmque ossium quoque rudimenta conspiciuntur, quasi tenues aranearum telæ. *Die septimâ*, omnia manifestiora videntur, fœtus recalcitrat, & perfectus pullus conspicitur, qui usque ad decimum diem crescit, albuménque ovi maximè minuitur. *Die decimâ*, totus pullus conspicitur, atque àrteriæ à venis distinguuntur, pullus autem in liquamento natat. Post dies quatuordecim pullus conspicitur plumis vestitus; cerebrum, ac cerebelium calvariâ occluduntur, pipit pullus, ac tandem fracto putamine excluditur.

§ IV.

§ IV.

Plumarum avium, & altilium partes.

1. PLumæ tantùm in corpore volucrum, & altilium nascuntur. *Súntque tum ad ornatum, tum etiam ad volatum, & vestitum earundem.* 2. Animantur animâ vegetativâ. *Siquidem, & crescunt, & adolescunt proportionaliter secundùm omnes suas partes per introsumptionem.* 3. Procedunt ab ipso volatilium corpore; *Non secus, ac folia in cortice arborum, aut aliarum plantarum.* 4. Plumæ ex avis cute nascuntur, vel ipsi cuti adnascuntur, *Hâc enim detractâ, plumæ quoque tolluntur.* 5. Variæ sunt ejusdem partes. *Nempe infima extremitas, caudex, seu calamus cavus, medulla, lanugo, & ipsi villi pennarum.* 6. Infima pennæ extremitas desinit in porosum quendam annulum. *Per quem scilicet alimentum fugit.* 7. Ex prædicto annulo assurgit caudex, seu calamus cavus. *Procedit enim ex dicto annulo similiter cavo, tanquam, à radice.* 8. Duas utrinque lineas, seu commissuras habet. *Quia utrinque coëunt fibræ illius tanquam in sutura aliqua.* 9. Calamus ipse sicciori materiâ constat, & quasi osseâ, seu corneâ. *Qui calor animantis materiam exsiccat, pinguiori succi alimentitij portione, & humidiori ipsi volucri cedente.* 10. Hinc plumæ dicuntur planta excrementitia, *Quia succo excrementitio, hoc est, minùs digesto, nutritur.* 11. Segmentum tamen inferius calami, pinguior medulla occupat. *Estque seu quidam fibrarum plexus. raræ texturæ, per quam trajicitur candida illa substantia, quæ pennam ab umbilico implet.* 12. Medulla quoque calami est sicca, & candida. *Sicca est propter majorem vim caloris, quâ totus humor exhalatur: candida est, quia est quasi quædam spuma, spuma verò semper est candida.* 13. In superiori nodo dividitur, & quasi marginibus binis villis investitur calamus. *Quod videre est etiam in alijs floribus, & caudicibus.* 14. Adduntur eidem delicati villi utrinque ex commissuris osseis, ossei cortices. *Qui sunt velut lanugo delicatissima, quæ ex ipsis majoribus villis luxuriat, non secus; ac ex ramis arborum folia.* 15. Aliquæ aves mutant plumas. *Quia plumæ in nonnullis avibus exempli gratiâ Aquilis, Accipitribus, Nisis, ac alijs his similibus successu temporis indurescunt, & duratæ aliquantulùm contrahuntur, & locus, in quo sunt, laxior redditur, novum igitur nutrimentum, cùm non possit induratam pennam subingredi, in novam coalescit, & veterem repellit.*

§ V.

Prædictarum partium plumæ explicatio.

1. PLuma est valde porosa, *atque ex hac causa est levis, humoréque facilè imbuitur, & non nihil inflatur, & mollescit, est enim medium quid inter ossa, & membranas, ideò nec succo tam humido nutritur, nec tam duro, ac solido.* 2. Fibræ calami in longum protenduntur. *Hinc facilè calamus secundùm longitudinem finditur, veluti videre est etiam in arundine, & culmo tritici.* 3. Villi pennarum, qui hinc inde ex commissuris nascuntur, non sunt æquales, *nempe juxta majorem, vel minorem copiam materiæ subministratæ per commisuras, sic enim & fibræ, quæ ex folij caudice arborum prodeunt, sunt inæquales.* 4. Imô majores pennarum villi, qui versùs apicem nascuntur, breviores sunt. *Ex eadem planè ratione, nempe ob minorem alimenti suppeditationem.* 5. In majoribus pennis villi, alijs villis hinc indè vestiuntur: *horum enim mirabilis plexus pennæ texturam facit.* 6. Ob hanc quoque rationem, etiam ipse truncus pennæ sensim minuitur, & semper magìs & magìs extenuatur. 7. Adusta penna tetrum exhalat odorem. *Quia scilicet aliquid succi uliginosi, & excrementitij, hoc est non bene præparati habet.* 8. Majores illi villi pennæ, non ex candida illa intus latente medulla, sed ex ipso osseo cortice prodeunt. *Nam si corticis pelliculam detrahas, majores illi villi eidem adhærebunt.* 9. Diversa sunt plumarum genera, diversæ magnitudines, diversæ formæ. *Nam in quibusdam volucribus, villi contexti sunt mirifico plexu, in alijs verò valde dispersi, & separati, in alijs instar lanuginis, in aliquibus non tantùm duas villorum series, seu lineas habent, sed multas.* 10. Quædam pennæ ita villis sunt contextæ, atque munitæ, ut aqua plexum illum non penetret, ut videre est in anatibus. *Quia licèt ille plexus sit porosus, non est tamen spongiosa substantia, unde aquam non sugit: Adde quòd in plano illo levigatissimo, aqua statim diffluat, non secus ac in quibusdam folijs arborum.*

§ VI.

De vario colore pennarum in avibus.

NOtandum hìc est 1. Duplices esse colores, alios reales, qui ex commixtione primarum qualitatum in corpore resultant. Alios intentionales, seu apparentes, qui vel in re non sunt, vel saltèm non sunt tales, quales nobis apparent. Notandum 2. Colorum apparentium varie-

varietatem oriri ex diversa incidentia luminis, & radiorum solis, prout varij, partim recti, partim reflexi, partim refracti, aut alio mixto modo se habentes, inter se reciprocantur: varietatem autem colorum realium oriri ex varietate primarum qualitatum. Atque hinc datur ratio. 1. Cur aliquæ avium plumæ sint nigræ. *Quia in hujusmodi avibus major est calor, quàm in alijs, qui proinde non tam exsiccat, quàm adurit humorem, adeóque combusti halitus vertuntur in plumam nigram. Nam ut Aristoteles docet: niger color oritur ex commutatione quadam aquei humoris ad siccitatem.* 2. Cur è contra aliquæ avium plumæ sint albæ. *Quia in illis temperamentum est habens copiam humoris non concreti, in quo fundatur juxta eundem Aristotelem color albus.* 3. Cur in ijsdem etiam volucribus aliquæ pennæ sint albæ, aliæ nigræ, imò etiam in eadem penna partim albi, partim nigri villi? *Quia in aliquas pennas, & pennæ partes, succus temperamenti pro albo, in aliquas verò temperamenti pro nigro colore à corpore volucris promanat, & subministratur.* 4. Cur in aliquibus avibus aliquæ saltem plumæ sint flavæ, cæruleæ, rubræ, virides. *Ex commixtione scilicet prædictorum duorum temperamentorum, pro albo & nigro colore, albus enim, & niger color, sunt fundamentum omnium aliorum colorum, & reliqui omnes ex illorum comixtione oriuntur.* 5. Cur in plumis avium detur major varietas colorum, quàm in pilis reliquorum animalium. *Quia in pilis simplex est organorum plexus, & fabrica, in plumis verò multiplex: ubi verò est organorum plexus major, Ibi est major succi percolatio, & consequenter, magis diversa illius præparatio, & sic diversus color. Quod ad oculum patet in floribus, & folijs arborum, vel etiam aliarum plantarum. Folia enim tantâ varietate colorum non gaudent, sicuti flores, quia folia negligentiori partium plexu constant. Unde negligentior Succi præparatio, ac proinde ferè semper ejusdem rationis color. In floribus verò est selectior succus, exactè percolatus, & præparatus, utpote longè perfectiorem habens fibrarum plexum, eúmque varium, ac diversum, & consequenter, & colorem varium.* 6. An, & quales sint colores in cauda Pavonis, & collo columbæ? *Sunt enim hi partim reales partim apparentes, sed ipsi quóq; reales diversam lucis incidentiam desiderant, & pro hujus diversitate, diversi apparent.* Hinc 7. Si in claro lumine, ac intenso ocellum caudæ pavonis colloces, viridem aspicies; cæruleum autem, si minùs luminis affulgeat. *Nam præterquàm, quòd inter cæruleum, & viridem colorem sit magna affinitas, ex diverso situ oculorum id provenit, quid enim sub directo radio, seu directiore tramite reflexo plus luminis oculo incidit, quàm sub radio obliquo.* Hinc 8. Prodeunt tabulæ illæ indicæ, opere plumarum compactæ, in quibus pictores illarum partium varias formas, non solùm avium, sed & aliarum rerum

N ductis

ductis lineis artificiosissimè repræsentant, ex solis avium plumis, concinnè eas loco colorum componendo, ita, ut jucundissimam omnium oculis pariant venustatem. *Etenim in India maxima est diversissimarum avium speci e à nostratibus differentium copia, in quarum plumis multifarij, iique elegantissimi colores luxuriare planè videntur.*

§ VII.

Rostra, & ungues volucrum.

1. ROstra volucrum sunt animata animâ vegetativâ. *Crescunt enim, & nutriuntur ab intrinseco.* 2. Materia rostri, est ossea. *Nam quod in dentes, & cornua reliqua animalia convertunt, in avibus in rostrum abit.* 3. Figura rostri in avibus varia est. *Lata scilicet, acuta, longior, brevior, juxta uniuscujusque generis, vel speciei volucris naturam, & indolem.* 4. Finis quóque rostri, ad quem à natura volucribus datum est rostrum, varius est. *Nempe tum ad sui defensionem, tum ad cibi delectum, & præparationem.* 5. Hinc adunco rostro, eóque fortissimo, & acutissimo sunt Aquilæ, Falcones, & accipitres. *Utpote ad discerpendas carnes, & aves alias, cæterásque animantes captas idoneo.* 6. E contra vulturibus denegavit natura adeo aduncum rostrum, hoc enim in vulturibus non statim flectitur in uncum, sed rectum primò est ad duos ferè digitos, & postmodum curvatur deorsum. *Quia vultures ferè sola aggrediuntur cadavera, & ita tam valido rostro opus illis non est, uti rapacibus cæteris avibus, quæ vivas plerúmque invadunt, & rapiunt animantes.* 7. Sic columbis, & gallinis non acuta dedit natura rostra. *Utpote accommodata ad colligenda grana quibus vescuntur.* 8. Vicissim Ciconijs longum *Ad commodiùs scilicet venandos serpentes.* 9 *Pari ratione, & avi* rubeculæ *dictæ, id enim necessarium illi fuerat ad educendos ex molli terra vermes.* Pico rectum, rotundum, durum, & robustum. *Ad perforandas scilicet arbores, in quibus nidificat, admodùm accommodum.* 10. Soli psitaco, rostrum, quâ conjungitur, infernè sub faucibus, apertum est. *Fortassis, ad meliùs, & faciliùs formandas hominum voces, quas imitatur.* 11. Aduncum rostrum exterius, est durius. *Propter majorem, & intensiorem fibrarum plexum: sic enim, etiam spinæ planioribus lignis duriores sunt.* 12. Latum verò rostrum in avibus mollius est. *Propter contrariam rationem.* 13 Color rostri, ut plurimùm osseus est. *Est siquidem ossea, cornea planta.* 14. Hinc rostri color, vel est albus, vel niger, vel mixtus ex utróque. *Hi namque colores sunt nativi ossibus, & cornibus.* 15. Anserum tamen rostrum rubescit. *Quia est mollius, unde extremitas*

illius

illius, quia est durior, albescit. 16. Avium juniorum rostrum flavescit ex parte. *Quia cùm rostrum generetur ex humido aqueo, quod multùm passim est, & sicco terreo, & prædictum humidum desinat in humidum carnis; circa labia juniorum avium, avolante sicco terreo, quod aliàs nigredinem faceret, facit flavedinem.* 17. Ungues avium, pariter sunt animâ vegetativâ animati. *Oriuntur enim, & crescunt, per introsusceptionem, suóque fibrarum plexu constant, & radice.* 18. Diversa est unguium in altilibus forma, & qualitas. *In aliquibus enim sunt acuti & duri, in alijs molliores, in alijs longi, in alijs breviores, in alijs minutissimi, carne, vel cartilagine, reliquas partes supplente.* 19. Fibræ unguium in longum ducuntur, ut in ligno, vel osse. *Hinc igitur evadunt fissiles.* 20. Color unguium, est osseus, *sunt siquidem & ipsi osseæ materiæ.* 21. Derivantur ab extremis artuum nervis. *Hinc si violenter avellantur maximum causant dolorem.* 22. Inferior pars candidior esse videtur. *Ratio petitur à majore siccitate portionis illius.* 23. In fine sunt acutiores. *Quia sensim materia desinit, & extenuatur, nonsecus, ac in spinis.* 24. In quibusdam avibus sunt magis adunci. *Quam figuram siccitas, & durities inducit, sic enim quædam spinæ aduncæ sunt.* 25. Sunt verò spongiosæ materiæ. *Hinc facilè humore imbuuntur, & diluuntur.* 26. Ungves calidâ perfusi, vel sponte cadunt, vel nullâ vi detrahuntur. *Apertis nimirum caloris vi poris, per quos radicantur.* 27. Hinc sponte etiam aliquando cadunt. *Propter nimium humoris, vel succi calidi appulsum.* 28. Novi tamen postmodum succedunt, & succrescunt. *Modò radix perdita non sit, hanc autem aliquando perdit nimia partium obstructio.* 29. Finis ungvium in avibus quóque varius est. *Nempe ad lacerandum, disrumpendum, feriendum, stringendum, scalpendum, muniendum, firmandúmque extremos artus. Sic Aquila, Falco, Accipiter, stringunt, Gallina spe pabuli humum perpetuò scabit, & sic de alijs.* 30. Aves aquaticæ, exiguos habent ungves, sed hos supplet latior membranarum extensio. *In qua patet mirabilis ratio naturæ, sic enim ad natandum adjumenta habent idonea, quô meliùs possint aquis supernatare, & quasi remis quibusdam aquarum fluenta propulsare.*

§ VIII.

Explicatur volatus avium.

AD volatum duo desiderantur: Primum est, ut avis libretur in aëre, ac se sustentet: Alterum est, ut quoquoversùm sese agat, ac conferat. Primum obtinet pennarum explicatarum operâ, quarum plumæ, & villi,

villi, ita inter se connexi sunt, ut per subtiles alarum meatus, aëri difficulter transitum permittant, & si earum agitatio, quâ verberatur aër, accedat, longè adhuc magìs eidem resistant. Alterum verò præstat potentia motrix, quâ revera omnis volucris prædita est. Huic accedit communis omnium quasi partium nisus, & conatus, qui ad lineam motûs non parum confert. Juvat ad hunc etiam plurimùm, allarum, & caudæ talis situs, ex quo ad talem lineam impetus impressus determinatur. Porrò cur aliquæ aves majori, vel minori volandi facultate polleant, ex multis capitibus procedit. Scilicet: Ex pennis aptiùs compositis; ex musculis quibus alæ sese agitant vegetioribus, & magìs, vel minùs firmis; ex proportione virium; ex majori, vel minori gravitate, quæ corpori earum inest; ex indole, vel instinctu tali, vel tali à natura indito, alijsque his similibus. Hinc deducitur primò: Cur aquilarum volatus sit velocissimus, & adeò sublimis? *Nempe quia habent alas nervosas, & maximè densas, ac firmas, & corpus, si id illis compares, admodum exiguum.* Cur eædem aquilæ tempore generationis, incubatûs, ac pullorum nutricationis, minùs valeant pernicitate? *Quia tunc sunt nimiùm extenuatæ, & viribus longè debiliores.* 3. Cur aquilis conveniat motus tonicus, hoc est firma quædam, & stabilis motio, dum prædæ, intentæ sunt, tunc etiam in aëre altissimo se attollentes, passis licèt alis, tamen immotæ manent. *Id enim adscribendum est musculis fortissimis alarum. simul contractis, & membra quasi immota conservantibus, qui motus omnium volatuum, & motuum, habetur fortissimus.* Cur è contrà Vulturum volatus sit piger, & tardus? *Hujus enim causa in corporis magnitudinem rejicitur, & musculorum in alis non tantam firmitatem.* 5. Cur accipiter pernicitate in volatu, reliquas ferè omnes volucres antecellat? *Quia natura sagax, eidem pectus modicâ carne circum-vallavit, ne hujus pondere minùs expeditè in prædam ruat, & aliunde firmas illi addidit alas.* 6. Sed præter summam pernicita-tem in volatu, alteram insuper peculiarem dotem in volatu accipiter habet. *Námque se se subinde in aëre resupinat, alas verò caudámque alior sum expandit, sícque immotus ferè manet.* Quod maximè facit, cùm eidem cum falcone, vel alio fortiore adversario pugnandum est. 7. Cur Cuculi volatus sit instabilis, atque interruptus, isque humilis, & non multùm à terra elevatus. 8. Cur Bubonis volatus sit iners, & transversus, ut nunquam quo libuerit, directè volet. 9. Cur Milvus adeò sublimè volet, ut penè oculis humanis sese eripiat, ac intra nubes sese condat? *Ad id enim mirè adjuvatur à cauda; quæ paulo dilatatior est, & duorum palmorum longitudine.* 10. Cur nocturnæ rapaces aves, uti sunt: upupa, noctua, & reliquæ species illarum, de nocte solùm & vespere volent, ut prædam quærant?

Qui

Quia ad præsentiam solis parùm, aut nihil vident. 11. Cur corvus graviorem, & tardiorem volatum exerceat; cornixè contra celeriorem, esto incertum, ac temerarium; pica humilem, & raròaltum. 12. Cur aliquæ aves, alas, aut caudam semper motitent, nec in uno loco consistere noverunt. 13. Cur pavo parum volatu valeat, & gallus, perdix, phasianus, brevis volatûs sint? *Hæc omnia ex præmissis jam fundamentis solvi possunt.* 14. Cur hirundines volandi pernicitate nulli cedant, quin quò ad illos flexuosos motus, ac volatus, omnes alias aves superant? *Quia nimirum alas musculis mollibus quidem, & agibilibus vertebris, sed bene firmatis præditas habent.* 15. Verùm, quantùm agilitate volatûs valent, tantò pedibus degenerare videntur, ut ipsemet Aristoteles advertit. *Quod brevitati pedum earum adscribendum est.* Hinc ad gradiendum ineptæ propè sunt. 16. Cur anates, & anseres sylvestres, altiorem volatum habent, quàm domestici? *Quia, & levius corpus habent, & alis fortioribus, meliúsque firmatis, sunt præditi.* 17. Cur majores volucres, velut bistardæ, sese difficiliùs ad volatum accingunt, immò per aliquem spatij tractum, cursum priùs summunt? *Videlicet, ut eo quasi impetu sese ad volatum præparent.* 18. Cur apodes, sic dictæ aves, si semel solo insederint, ampliùs volare non possunt? *Quippe cùm sint brevibus instructæ à natura pedibus, grandioribus verò pro corpore alis, sese ampliùs erigere non valent, ut alis liberà agitatione aërem verberent, eúmque dividant.* 19. Cur Struthiocamelus non volet, nec è terra se elevet, sed volatum supplet velocissimo incessu, maximè irruente in alas extensas vento. *Nempe, tum ob innatam corporis molem, tum ob alas eidem minùs proportionatas.* 20. Cur *lavi* sic nuncupatæ aves, quas alij fulicas vocant, faciles, & præcipites sint in volando? *Quia illarum avium pennæ sunt leviores aliarum avium pennis. Unde eædem pulvinari impositæ, simul atque mare intumescit, in pulvinaribus erigi, & decumbentem sublevare dicuntur.*

§ IX.

Antipathia, & Sympathia volucrum.

A*Ntipathia*, quæ est contraria quædam naturæ affectio, & *sympathia*, quæ est similitudo quædam, affinitas naturæ, affectionúmque animi mutua symbolizatio, etiam inter volucres locum habet. Sic 1. Aquilæ antipathiam habent, & inimicitias exercent cum cygnis, gruibus, ardeis, anseribus sylvestribus, & vulturibus, immò inimicæ sunt omnibus avibus, tam rapacibus, quàm non rapacibus. 2. Est tamen species aquilarum, quæ hali-

haliotus, seu aquila marina vocatur, in littoribus, & oris maris commorans, quæ non tam cæteris avibus, quàm piscibus (quibus etiam vescitur) infesta est. 3. Vultures in columbas sunt mitiores, quàm in gallinas, hæ enim, vel solam vocem, aut umbram illorum fugiunt, etiam vix ovis exclusæ. Immò 5. Plinius asserit ova gallinarum vitiari, si incubantes vocem accipitris audiant. 6. Aquila infestatur à cornice, sed eandem contemnit, & sursum evolat, si tamen cornix non desistat à cœptis, correptam ungvibus dilacerat. 7. noctuam non involant aquilæ, ut cæteræ aves, parum id regiam avem decere existimantes. 8. Tinunculus (avis ex infimo genere accipitrum) inimicissimus est genuinis accipitribus, à quorum proinde insidijs aves minores defendit. 9. Aquila cum falconibus, & accipitribus perpetuum bellum gerit, mutuòque se persequuntur. 10. Isacho (sic nuncupata avicula) ova corvi frangens, ab ijsdem corvis in magno habetur odio. 11. Cum milvo *harpe* avis amicitiam servat: bene quoque conveniunt milvi, & cuculi, hos enim, cùm eis tempus migrandi instat, milvi humeris susceptos ad loca calidiora transvehunt, qui alioquin tantum iter obvolandi impotentiam non conficerent. 12. Cum corvo è contra diffidet milvus, ab illo quidquid pedibus tenet, eripit. 13. Cuculus quemadmodum aliarum avium invadit nidos, effractísque ovis spem prolis præcidit, ita ferè omnibus avibus est invisus. 14. *Drebanus* lacustris, si umbram falconis videat, tanto terrore afficitur, ut omnino malit ab hominibus fustibus, lapidibúsque obrui, quàm volatu, se in aëra, ubi hostem esse percipit, attollere. 15. Alauda pariter mavult in manus hominis, aut in suum convolare, quàm in accipitris ungues incidere. 16. Bubonem seu noctuam, omnes ferè cæteræ aves odio prosequntur, & infestant. 17. Peculiariter verò cornix, & noctua inter se diffident. Cornix enim de die ova noctuæ subripiens absumit, cùm de die noctua volare non videat. Noctua verò noctu ova cornicis exedit, sicque, altera interdiu, altera de nocte est potentior. 18. Immò tanta est harum avium antipathia, ut sanguis earum confectus, coire nequeat. 19. accipiter tamen occulto quodam, & naturali erga noctuam fertur consensu, eam enim non solùm non infestat, sed insuper majore avium infestantium circumdatam multitudine, è præsenti periculo eripit, hostésq; illius, partim solo visu, partim vi, in fugam convertit. 20. Passerem amicum esse noctuæ nonnulli produnt. 21. Inimicæ autem sunt ciconia, & vespertilio, hujus enim solo contactu, ova ciconiæ sterilescunt. 22. Psitaci inter aves, turture præsertim, utuntur amicâ. 23. Cornicibus cum ciconijs amicitiam quandam intercedere ex eo constat (inquit Aldorandus) quòd hisce maria transvolantibus, & in Asiam collecto agmine pergentibus,

tibus, duces sese præbeant. 24. Cornix, graculus, & pica impugnant aquilam, sicut & hirundines nisum, vel accipitrem. 25. Amicæ aves sunt cornix, & ardeola. 26. Pica infestatur ab upupa. 27. Aquila specialiter adversatur, pico, quòd is ejusdem ova confringere soleat. 28. Pavones, & columbæ, mutuam, inter se amicitiam fovent. 29. Adversantur verò columbæ, omnes rapaces aves, etiam nocturnæ, uti sunt bubo, noctua, upupa, sicut & omne corvorum genus. 30. Turtur nullam avem suâpte naturâ infestat, & aliarum infestinationes patienter tolerat. cum psitaco autem specialem exercet amicitiam, uti & cum merula. 31. Gallus singulari amore familiam suam prosequitur, nam simul átque nactus est escam, gallinas, & pullos invitat ad vescendum, eosdémque adversùs milvos defendit. 32. Graculus amicitiam colit cum *gravia*, hospitalitatem cum accipitre. 33. Grues infestantur, ab aquilis, interdum autem inter se ita exardescunt irâ, ut dimicantes capiantur. 34. Passeres suum genus impensè amant, unde non tantùm suos proprios, sed etiam aliorum passerum pullos in volatu adjuvant, & cibo fovent. 35. Turdulos, & merulas aves inter se amicas, scribit Plinius. 36. Trochilus, sive regulus, minima avicula sit licèt, cum aquila tamen pugnat, eidémque illudit. 37. Philomelæ cum omnibus ferè aviculis, præsertim ijs, quæ molli sunt rostro, sat bene conveniunt. 38. Cygnus anserem odit, cum aquila, sed non nisi ab ea lacessitus, pugnat, & quandóque victoriam de illa reportat. 39. Esto cardueles in unam caveam inclusæ, non raró inter se rixentur, luteolæ tamen, neque inter se, neque cum alio genere avicularum altercari unquam sunt visæ.

§ X.

Præsagia ex avibus.

NOn agimus hìc de ijs præsagijs, quæ olim apud Gentilès Romanos, aliásque nationes, ex avium volatu, voce, & pastu, superstitiosè, ne dicam ridiculè, de futuris eventibus, & rerum gerendarum prosperis, ac sinistris successibus, capiebantur, & auguria, seu auspicia nuncupabantur. Hæc enim tanquam vana, & nullis nixa rationibus penitus rejicimus. Quid enim avibus de belli, aut prælij eventu? quid de itineris suscipiendi? quid de nuptiarum contrahendarum, prospero, aut improspero successu? quid, de quibuscunque alijs negotijs inchoandis. Talia enim cùm ab ipsis etiam hominibus ratione, ac intellectu præditis, non sempe prævideri possunt, quomodo ab avibus ratione carentibus præsciri, & volatur,

tu, voce, ac gestibus prædici, & præsignificari poterunt? Sermo proinde nobis erit, solùm de præsagijs naturalibus, quòad tempestates, pluvias, serenitatem, mutationem aëris, qualitates anni, temporum', aut etiam quòad sterilitatem, vel fœcunditatem agrorum, vel salubritatem, aut corruptionem aëris, aliósque proximè subsecuturos naturales eventus, qui ex varia affectione avium, rationabiliter deduci, ac inferri queunt. Non tamen etiam hæc signa præsagiorum, eadem in omnibus sunt volucribus; in alijs siquidem observatur vox, in alijs volatus; sunt quæ locum mutant. sunt quæ novos, ac inusitatos gestus exercent, aliæ pennas, ac plummas suas expurgant, aliæ sese aquis abdunt, juxta uniuscujúsque speciei naturam, ac indolem. Sic námque *Primò*; Aves quæ in aqua victitant, & lacûs, fluviosque incolunt, dum aquâ se mergunt, & undas volando carpunt, ac lavare se etiam in sicco gestiunt, pluviam, ac imbrem præsagiunt. *Cujus ratio est: Quia cùm madore delectentur, illius adventu jam jam adfuturo, exultant. Vel verò, quia calidiori aurâ exæstuantes impendentis pluviæ refrigerium summoperè exoptant.* 2. Aves, quæ in arboribus degunt, si ad easdem se ocyùs, quàm aliàs solent, recipiant, & revolent, procellarum ventorúmque jam jam imminentium, haud incerti sunt testes. *Quià tales aves, cùm sint siccitatis potiùs, quàm humiditatis amantes, cœlestem brevi ad futuram aquam subterfugiunt.* 3. Aves, quæ rariùs, vel nunquam aquam frequentant, si ad earum rivos, ac margines fluminum, plummas sibi vellicant, adfuturas brevi pluvias indicant. *Quia scilicèt humidioris aëris exhalatio, ijs gravedinem adfert, à qua proinde molestia pennas sibi vellicando, se liberare adlaborant,* 4. Quæ terrestria loca inhabitant, si cum silentio ad humidiora loca proficiscuntur, serenitatem prætendunt; sicut, & si procelloso tempore, aliæ in alias involent, aut ultrò citróque inter se concertent. 5 Eædem aves terrestres, vel saltèm, quæ in aquis habitare non solent, si sæpiùs se abluant, procellas venturas præsignificant. 6. Si alites in magna copia, relictis insulis, & sylvis, ad civitates oppidáque, aut alia loca habitata convolent, ac sese transferant, agrorum sterilitatem designant. 7. Aquila, si in Orientem volatum instituat, ventorum creditur esse nuncia. 8. Accipiter, vel *nisus*, in arbore confidens, si rostro pediculos quasi quærat, haud procul pluvias abesse demonstrat. Bubo, seu noctua, si ante solis occasum, vel citiùs voces suas ingratas repetat, & è cavis suis locis exeat, tempora pluviosa præsagit. *Tunc enim tempus prævertit, ne à pluvia ventura sibi pabulum parare impediatur.* 10. Ardeæ ventum, vel pluviam quatuor signis præmonstrant: caput pectori imponendo; desertis paludibus in altum volando; plùs solitu clangendo; medijs in arvis, aut arenis tristes sedendo. 11. Anse-

11. Anseres magno cum clamore ad aquas properantes, seseq; iisdem placidè immergentes, ad hæc insolito garritu tumultuantes, pluvias præsagire, quotidiana docet experientia. 12. Anates, si tempore sereno gregatim socientur, & nullo servato ordine Volitent, ad hæc si frequentiùs quàm soleant, vociferentur, pariter copiosas pluvias prænunciant. 13. Corvi magnâ copiâ, & gregatim volantes, si accipitrina voce utantur, procellas jam jam imminere pollicentur. 14. Iidem corvi arborum ramis insidentes, si alas præter modum concutiant, pluviam indicant. *Tunc enim ab impressis humidis qualitatibus, pruritum in corpore sentientes, sese ab eodem eliberare laborant.* 15. Cornix, si nimiùm garriat, séque undis submergi subinde nitatur, certæ pluviæ prænuncia est. 16. Similiter, si cornices frequenti numero prope aquas cornicentur, eásdem portendunt. 17. Columbæ, si domicilia sua seriùs, quàm soleant, repetant, vel si à pastu consvetum redeundi tempus præveniant, pluvias futuras præmetuunt. 18. Gallus si tempore pluviæ canit, serenitatem prædicat: si noctu citius cantat, quàm soleat, aëris mutationem & ventum; si paulò post occasum, & vespertino crepusculo in raucisonum cucuritum cum alarum motu prorumpat, tempestatem. 19. Gallinæ, si ubi mox oborta est pluvia, domum sub loca ab aquis tuta, magno cursu ab agris contendant, vel si manè exire recusant, vel pediculos inter plumas rostro quærant, vel paludes more anatum verberent, vel in arena, aut pulveribus, ultra solitum sese concutiant, maximos imminentes imbres præsagire creduntur. 20. Grues, si voce utantur inconcinnâ, & malè explicatâ acie, & non servato, ordine in volatu suo, per aëra ferantur, pluviarum frigidarum, brumalísque constitutionis temporis, nunciæ habentur. 21. Pavones per nocturna silentia clangosam sæpiùs vocem reiterantes, haud longè abesse undas monent. 22. Hirundo, aquas, & paludes frequenter petens, ventre illas, ac alis contingens, adfuturas pluvias prænunciat. 23. Passerculi crepusculo matutino pipientes, tempestatum signa in aëre impressa, significant. 24. Regulus, si motum, cantúmq; exerceat insolitum, eadem per omnia promittit. 25. Adhæc migraturæ aves, adventu suo indicant nobis appropingvantis vernalis caloris initia; abitu verò suo ingruentia sævæ hyemis tempora. 26. Hirundinum adventus, æquinoctium vernale; recessus, æquinoctium autumnale significat. 27. Luscinia cum solstitio, & colorem, & vocem mutat. 28. Halcyon avis, optimè novit quo, & quanto tempore maritimæ tempestates conquiescent, quod ad ova parienda, fœtus excludendos, átque pullos à se alendos, & emittendos satis est. 29. Aves migratoriæ norûnt exactè, quando, & quò, quâ viâ migrandum illis sit, ad loca calidiora, quando item & ad quem locum sit ijs redeundum. Quorum omnium ratio est: *Quia corpora*

avi-

avium, multò magis, quàm hominum, obnoxia sunt cœli, & aëris impressionibus, unde cùm ex aëris, & vaporis mutatione, qualitate, alteratione, variè afficiantur, solo naturæ instinctu mutationem quoq; & alterationem ejusdem, præsentiunt. Neque id mirum debet videri, siquidem etiam multi hominum, ex alteratis, & malè affectis partibus sui corporis, notabiles mutationes cœli, uti sunt solstitia, æquinoctia, lunæ, solisque conjunctiones, & ,oppositiones aliàsque aëris alterationes præsentiunt.

§ XI.

Docilitas avium.

INest etiam docilitas avibus, eáque, aliquibus major, aliquibus minor, nonnullæ verò prorsus sunt incapaces omnis instructionis, & ita ferè, ut vix unquam cicurari queant. Itàque 1. Aquilæ licèt sint ingenij minùs tractabilis, à tenera tamen ætate, si adhuc pulli nido eximantur, cicurari, quin & ad venandum quóque instrui poterunt. *Sic* Indi teste Æliano lib. 4. de animalibus cap. 26. Aquilarum pullos instituebant ad leporum, & vulpium venationem, *Cublais* Tartarorum Imperator multas habebat aquilas cicuratas, quæ non solùm lepores, capreolos, vulpes capiebant, sed & in lupos insiliebant. In Africa pariter instruuntur, & assvefiunt aquilæ, ad venandos lepores, vulpes, & lupos, quorum capitibus insident, & oculos rostro impetunt. 2. Magìs docibiles sunt accipitres, & nisi ;informantur enim à Magistris ad venandum, & aucupandum, quorum voces audiunt, & jussa capessunt. Instruuntur autem illi ad capiendas perdices, quin & lepores, hi autem ad persequendas cothurnices, & alias minores volucres, non tamen simul bene conveniunt. *Nisi* enim infestantur, ab accipitribus & sæpe ungvibus apprehenduntur, immò caro illa, quam semel gustaverit accipiter, vel chiroteca, inqua gestabatur, nociva est *Nisis.* 3. Præstantiores tamen his, sunt ad venandum, & aucupandum falcones, hi enim mirâ quâdam ratione tam in principio medióque tum in fine suæ venationis utuntur, ob idque viris Principibus, genus aucupandi cum falconibus, in summo est pretio. 4. Verùm præcipuum, illúdque jucundissimum falconibus est cum ardeis certamen; ardea etenim, ubi infra falconem se positam videt, rostro suo prælongo, & acuto, quod priùs sub alas absconderat, sursum elato, irruentem supra se excipit, ut eo falco sibi medium pectus elidat, & ambo interdum elisis interraneis, decidant enecati. 5. Hinc Principes solent binos, aut etiam plures falcones in unam eandémque ardeam immittere: ita ut unus summa petens, ardeam vehementi impulsu præcipitet, alter juxta terram volans præcipitatam excipiat. Venantur verò, ac capi-

capiunt falcones præter ardeas, grues, & anates sylvestres. 6. Nonnullæ aves adeò dociles sunt, ut hominum industriâ ad similem humanæ loquelam instruantur, & edoceantur. Has inter palmam præripit omnibus alijs avibus, psitacus, de quo mira scribunt rerum naturalium scriptores: inter reliqua exempla, refert Nierembergius lib. 10. Historiæ naturalis cap. 60. *Ex Cluesio*, qui testatur se audivisse sæpius psitacum cachinum humano more extollere, cùm ab aliquo ad risum incitaretur verbis illis: *Ride Psitace, ride Psitace*, sed finito risu, mox solitum fuisse subjungere: ô *magnum fatuum, qui me ad risum provocat.* Aliud idem cap. 63. Exemplum refert: Psitacus cujusdam Tabernarij vinarij, solitus audire Dominum domi quærentem, vinum ex eo non vendi, quòd *acetum esset*, didicit hæc verba, atque ad januam suspensus, repetito præconio garriebat: *Acetum est, acetum est*, quod facilè fuit ementibus credere: donec Herus madefaciens, (aquam enim odio habent hæ aves) & castigans psitacum, ei dictaverit hoc verbum: *Optimum merum, optimum merum*, quòd psitacus sic animadversus didicit, & postea ad januam identidem publicabat *optimum merum* esse, quòd in taberna venditur. Verùm psitaci loquela, jam non adeò mira est, utpote frequentior, proximè autem ad hanc docilitatem psitacorum, accedit *pica*, quæ licet memoriæ non sit adeò tenacis, ità ut nisi quæ didicit, frequenter replicare audierit, facilè obliviscatur) sed neque tam concinnè nec tam promptè loquax est, ut psitaci, articulariter tamen. 8. Sunt tamen, & inter ipsos psitacos simpliciores, & segniores, ac minùs capaces ad formanda articulatè verba, unde cùm loqui docentur, ferreo radio, seu stylo percutiuntur in capite, quoniam cùm duro sint capite, uti & rostro, aliter non sentirent. Et ex optimo etiam genere faciliùs longè instruuntur, si intra secundum ætatis doceantur. 9. Illud fortè magìs mirum in corvo, quòd ingratam aliàs illam suam vocem: *Cras, Cras*; in articulos flecti, & sermonem humanum imitari, accedente Instructore condiscat, commune est illud Romani corvi, qui, ut scribit Macrobius lib. 2. Saturnalium cap. 4. Revertentem Augustum ex Actiana victoria, salutaverit his verbis: Ave Cæsar Victor, Imperator. 10. Cornix quoq; hanc docilitatem habere perhibetur, scribit enim Plinius lib. 10. cap. 43. se vidisse cornicem in urbe Roma è Boëtica: exprimentem plura verba ordine contexta. 11. Idem Plinius testatur lib. 10. cap. 42. Agripinam conjugem Claudij Cæsaris, turdum habuisse sermones humanos imitantem. Hæc igitur quoque avicula, ad loquendum docilis est. 12. Addit idem Plinius, ibidem, se vidisse etiam sturnos, & luscinias apud Cæsares, Græco, & Latino sermone dociles. 13. Sed & columbæ ita cicurantur, ut non tantùm ex manibus, verùm & ex auribus hominum cibum sumant, quod etiam

Mahometis exemplum testatur. 14. Columbarum docilitas etiam ex eo patet: Quòd *Hircius*, & *Brutus* in obsidione Mutinensi, & *Legdenses* in sua, pro tabellionibus usi fuêrunt columbis. 15. Quin Romani olim passim, in circum, vel theatrum prodeuntes, quæ vellent, earum operâ domum renunciabant, alligatis enim illarum pedibus epistolis, ibant, & rursus ad eosdem cum responsorijs redibant. 16. Verùm, & hirundines internuncij munere egregiè quandóque perfunctæ sunt: *Cancinna* enim, Volateranus, hirundines in urbem secum deferens, victoriæ nuncias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illitas victoriæ colore. 17. Tradit & Fabius pictor in Annalibus suis, cùm obsideretur præsidium Romanum à Ligustinis, hirundinem à pullis ad se allatam, ut lino ad pedes ejus alligato, notis significaret, quotâ die adveniente auxilio, eruptio fieri deberet, ut scribit Plinius lib. 10. cap. 28. *Quamvis id non tam docibilitati hirundinum adscribendum sit, quàm quòd memores locorum, ubi aut pullos reliquêre, aut aliàs feliciter tempus transegerunt, eadem repetant ut notat Majolus.* Coll. 6. Dierum Canicularium. 18. Sed & *Methea* Ægyptiorum Rex, cornicem unam valde cicurem habebat, quæ ejusdem literas, quò jubebatur volatu suo deferebat. Illud magìs jucundum, quod scribit Nierembergius Historiæ Naturæ, lib. 10. cap. 54. de corvis Sinarum maximis, ad piscationem instructis. *Habet (inquit) Rex Sinarum in omnibus Urbibus secundùm flumina sitis, quædam ædificia, in quorum singulis multi marini corvi aluntur, quorum operâ piscatio peragitur his mensibus, quibus pisces suos fœtus ediderunt. Eductos enim ex illis ædificijs corvos, ad fluminum ripas transferunt, in quibus multas piscatorias scaphas, media ex parte aquâ plenas habent quibus ordine dispositis, singulis singulos corvos adjudicant. Hos deinde sub alis longo fune alligant, eorúmque guttur, seu ingluviem, alio funiculo adstringentes, ne pisces captos vorare queant, in aquam projiciant, ad pisces capiendos: quod adeò providè exequuntur, ut admirationem pariat: nam magnâ celeritate sese mergentes, átque sub aqua tantisper hærentes, donec guttur, seu ingluviem, à rostro ad pectus usque impleant, deinde emergentes simili celeritate adscaphas redeunt, captósque pisces rejiciunt, illico ad piscationem revertentes. In simili exercitio quatuor horarum spacio, eâ dexteritate perseverant, ut nullus alteri, sit impedimento, donec scaphas piscibus repleverint.* 20. Pari ratione cicurantur, & ad piscandum instruuntur etiam mergi. Est autem *mergus*, non tam species avis, quàm genus multas habens sub se species, versantur verò *mergi* plerúmque in mari, fluminibus, stagnis, & paludibus; aquis se immergunt, dum piscantur, diúque infra aquam morantur, summâ pollent natandi peritiâ, nam alteram alam sæpius ad ventum erigunt, & ejusdem tanquam veli adminiculo

navigant. 21. Sunt quoque aves, quæ si non verba, saltèm sonum, & vocem animalium, vel risum hominum imitari à natura condiscunt. Nam ut scribit Plinius lib. 10. cap. 42. *Anthus* dicta avis, si, dum herbis pascitur, adveniant equi ad illum locum, ipsa quidem avolat fugiens, sed ipsorum hinnitum per omnia imitatur, atque sic injuriam acceptam incommodati sibi pabuli, quasi derisione ulciscitur. 22. Est, & alia avis in agro Arelatensi, quæ boum mugitus apertè imitatur. In Brasilia item alia, quæ asinorum rugitum, ut scribit de illa, Plinius lib. 10. cap. 42. de hac, Majolus coll. 5. Dierum Canicularium. Unde illa tauri, hæc asini nomen, apud Latinos sortita est. 23. Addit Nierembergius lib. 10. cap. 73. Historiæ naturæ. *Geon* sic dictam avem, sermonem hominum æmulari, veluti irridens transeuntes, eosdem ubi licet insequendo. Avem quoquè fulvam in India esse, quam incolæ Quam *Paktotolt*, vocant, ridere, proptereàque ridibundam à nostris dici. 24. Hirundines indoctæ prolis garritum non sustinent, sed à matribus priùs instruuntur secundùm modulos musicos canere, & perstrepere. 25. Quod certiùs est de philomela. Hæc enim in canendo suos pullos instituit, accentuum observationem docet, ut uno pronunciato spiritu, jam producant, jam corripiant, jam inflectant, minutim, mox per semitonos mutent, distinguant, dividantque in brevissimos, exilésque garritus, acutam reddant vocem, ac tremulam, inque varios transforment modulos. 26. Aves quædam ingentis magnitudinis in Tabrabona Insula, ita edocentur, ut pueros in aëra elevent, incolumésque in terra parentibus restituant, ut tradit Diodorus Siculus. 27. In eadem insula Tabrabona, quæ cùm sit valde septemtrionalis intantùm, ut nulla sit circa eam, vel ad eam navigantibus observatio syderum, nullus usus acûs magneticæ, quâ dirigi queant navigaturi, aves quasdam cicures alunt, & navigijs secum vehunt, quarum volatus perinde, ac dirigentis itineris Magistros habent, & simul ad terminum destinatum perveniunt. 28. In Norvegia autem horologij vicem aves supplent, cùm enim ibi in solstitio æstivali, totis tribus mensibus sol semper videatur, adeóque continua sit dies, ac consequenter neque crepuscula dignosci possint. Cornices consvetos solis ortus, & occasus, cantu, & clamore suo indicant, átque sic incolæ horas cubitum eundi, vel surgendi intelligunt. 29. Demum minoribus quoque, & canoris aviculis, non deest docilitas, ut ex gr. carduelibus: Cardueles imperata facere perdiscunt pedibus, & ore; cùm enim hinc cibus, inde potus ijsdem appositus è fune propendeat, avicula hoc fune sibi cibum, & potum trahit, alternatim laborans.

§ XII.

De ijs, quæ falsò à nonnullis avibus attribuuntur, & adscribuntur.

INter ea, quæ falsò nonnullis avibus sive à Poëtis, sive à vulgo, sive à nimio credulis Scriptoribus attribuuntur, ponimus sequentia. 1. Ea, quæ attribuuntur Gryphibus, ut quòd anticâ parte, capite, rostro, alis, & pedibus prioribus aquilam, reliquâ verò parte leonem, adeóque quòd sint quadrupedes aves, aliáque multa his similia. *Nulli siquidem in orbe terrarum dantur Gryphes ejusmodi, uti describi solent, nec ullus scriptorum Gryphes existere asserentium, unquam hoc animal suis oculis vidit.* Unde meritò Plinius lib. 10. cap. 48. Scriptores asserentes *Gryphes dari, non solùm, ut fabulosos, sed &, ut levissimos, ac penè fanaticos rejicit. Omnis siquidem avis est bipes, nec ullæ dantur apodes, aut quadrupedes, ut docet Aristoteles.* 2. Ea, quæ Poëtæ, vel Scriptores attribuunt Phœnici, ut quòd unica sit in orbe, quòd quingentis annis vivat; quòd absque cibo, & potu, vento in aëre pascatur, quòd postquam senuerit, se, unà cum nido incineret, quódque ex ejus cineribus die alterâ vermis nascatur, qui alis tertiâ die assumptis, intra breve tempus in avem pristinæ formæ commutetur, & tunc avolet. *Phœnix enim avis, sicut ea describitur, nec existit, nec unquam extitit,* uti Dissertatione 10. Parte 1. Decade 2. §. 7. ostendimus. 3. Ea omnia, quæ Harpijs, avibus stimphalidicis, sirenibus volucribus, avibus Diomedeis, tribuunt Poëtæ, & veteres Scriptores, intèr fabulas numeramus. *Hæ enim omnes præmentionatæ aves, fabulosæ sunt, ut eâdem citatâ Dissertatione declaravimus.* 4. Falsò tribuuntur aliquæ qualitates Pelicano, & illud specialiter, quòd pullos suos, à se occisos, ob eorundem importunitatem, vel à serpente interemptos, sanguine pectoris sui, seipsum graviter in pectore vulnerando, dicatur vivificare. *Quod licèt etiam ipse Sanctus Augustinus referat, non tamen, id ita se habere asserit, immò expressè subjungit: Fortasse hoc verum, fortasse falsum est:* Ratio: *quia avis pelicanus dicta, diversa ab ea, quæ à Plinio, & alijs* platea, *ab aliquibus verò onocrotatus appellatur, nulla existit. Huic autem certum est, eas proprietates, quæ Pelicano nonnulli attribuunt, minimè convenire.* 5. Falsò astruitur gruibus cum Pygmæis certamen, & pugna quotannis, ad instar belli cujusdam suscepti. *Nulla siquidem datur Regio pygmæorum, de qua aliqui Scriptores somniant, sed neque ex his ullus talem regionem pygmæorum, & multò minùs eorum pugnam cum gruibus, ex visu, aut certâ relatione narrat*, uti notat Strabo, lib. 17. Geographiæ. 6. Falsò adscribitur avibus Britannicis anserini generis, quas *Bernidas* communiter vocant, quòd nascantur ex certarum arborum fructibus, in mare decidentibus, aut lignis pu-

tridis

tridis navium. *Oriuntur enim ex ovis per incubationem, & exclusionem, more aliarum avium, ut jam ex recentioribus Hollandorum navigationibus clarè constat, licèt in priori errore communiter omnes ferè veteres Scriptores fuerint.* 7. Falsò quóque attribuitur Struthionibus: quòd solo visu, & fixo aspectu, pullos suos ex ovis excludant. *Struthiones enim ova in arenam condunt, quæ solis, & arenæ calore foventur, atque sic pulli ex ijs excluduntur. Non incumbunt quidem ovis ob suam gravedinem, & continuò quasi ea contemplantur, verùm non ad exclusionem pullorum, sed ne illa, aut surripiantur, aut aliquid detrimenti aliunde patiantur.* 8. Illud pariter falsum est, noctuarum oculis insitam esse vim igneam, tenebras nocturnas dissipantem, vident enim solummodò matutino, & vespertino tempore, non nocturno. *Quòd autem interdiu non videant, causa est, nimis sicca, & tenuior humoris in eorum oculis substantia, quæ vim luminis igneam non ferat, ac facilè dissipet. In tenebris autem modicè vident, quia sicut lumen evocando spiritus ex oculis disgregat eosdem, atque consumit, & consequenter visionem impedit, ita tenebræ modicæ, eosdem spiritus uniunt, & acuunt, sicque ad visionem noctuam juvant.* 9. Fabulosum est, (quod aliqui ajunt) quòd si quis verno tempore, audiens primâ vice vocem cuculi, dextri pedis vestigia circumscribat, & terram illam effodiat, non gigni pulices, ubicúnque ea spargatur. 10. Falsò tribuitur cygnis, quòd morte imminente cantent suaviùs. *Nam qui dulciter cygnos cantantes observâsset, seu in vita, seu instante morte, nullus est, vel fuit,* 11. Illùd etiam commentum est, corvos, & urogallos ore coire, *id enim sine ullo fundamento asseritur.* 12. Veritati minimè consentaneum est, basiliscum ex ovo gaillnaceo nasci, aut gallum gallinaceum provectissimæ ætatis degenerare in basiliscum, sicut & cothurnicem aliquando mutari in bufonem. 13. Demum illi quóque procul à veritate aberrant, qui opinantur vultures & perdices vento concipere, *nam vultures, & perdices sunt veræ, & perfectæ volucres, non minùs, ac aliæ. Igitur communi naturæ præscripto alijs avibis, utróque sexu gaudent, adeóque generantur, ut reliquæ volucres.*

§ XIII.

Varia quæsita circa Volucres.

QUæres. 1. Ex qua materia initio creationis mundi, productæ fuerunt aves? ℞. Aves probabiliùs fuisse productas à Deo initio creationis mundi, ex aqua: colligitur id. *Primò ex illis verbis Scripturæ sacræ,* Gen. 2. ℣. 29. *Producant aquæ reptile, viventis, & volatile, super terram, sub firmamento cœli.* 2. *Ex eo, quòd magna cognatio sit, aves inter, & pisces. Nam plurima volucrum genera natant, sicut pisces, ut sunt alcyon,*

alcyon , fulicæ , mergi , anates , ardeæ , cygni , imò aliquæ species avium potiori ex parte aquam , quàm aërem incolunt. Quæres 2, An , & quomodo aquila suam juventutem renovet? ℞. Quod aquila renovet juventutem suam, testatur id Scriptura Sacra. Psal. 102. Ubi dicitur : Renovabitur ut aquilæ, juventus tua. Et Isaiæ cap. 4. ℣. 31. Qui autem speraverint in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ. Qualiter autem fiat hæc renovatio, Authores non uno explicant modo: vero similiùs illi discurrunt, qui ajunt: aquilam gravatam senio, volare super nubes quàm altissimè potest, & in ipso fervore, facto impetu, in frigidissimas aquas sese immergere; inde nidum petere, ibique cum nonnullo sudore, plumas veteres exuere, novis in locum illius succedentibus. Alij cum S. Augustino dicunt, aquilæ, cùm jam senuerit, partem superiorem rostri ita aduncari, ut os aperire ampliùs non possit ad cibum capiendum, ideò cum defectu cibi languescat, partem illam superiorem rostri collidere ad petram, atque excutere, sumptóque cibo vires reficere, & sic post senectam quò ad robur, & vigorem, juvenem videri, & quasi rejuvenescentem. Puto utrumque hunc modum aquilæ convenire, constat siquidem aquilam nimiam rostri aduncitatem, acuendo ad lapidem emendare, sed & veteres plumas deponere, & novas acquirere, quod postremùm etiam accipitribus, nisis, & fortè etiam falconibus convenit: passim siquidem, qui accipitres, & nisos alunt, experiuntur, hos secundò, & tertiò annò, plumas priores deponere, & novas acquirere, ipsósque quò ad omnia in robustiores multò evadere. Quæres 3. Quò se recipiant imminente hyeme, aves migratoriæ, cujusmodi sunt grues, anseres sylvestres, hirundines, cothurnices, milvi, cuculi, ciconiæ, & nonnullæ aliæ. Et undè vere appropinquante, ad nos veniant? ℞. Aves has migratorias imminente hyeme, partim migrare à nobis, in calidiores mundi plagas, partim recondere se apud nos in abstrusissimis terræ cavernis. Et quidem grues certum est (teste Plinio) transvolare pontum Euxinum, & consequenter in illis partibus transmarinis hybernare, anseres sylvestres redeunt ad nos à meridionalibus plagis. Migrationis tempore frequenter visuntur in Batavia, Hannonia, & Artesia. Novam Hispaniam prætervolant mense Decembri. Nullibi tamen in majori comparent copia, quàm in Æthiopia. Hirundines probabiliùs est, apud nos, (saltèm plerásque) latere, & condi. Inventæ siquidem sæpiùs sunt in apricis montium recessibus, nudæ atque deplumes, in quercubus item cavis. In septentrionalibus quoque partibus inveniuntur quandóque inter cannas, adinvicem quasi colligatæ, & velut in massam conglomeratæ. De cothurnicibus idem sentiendum est. Quamvis etiam ex his multæ mare transvolent, in tanta

copia, ut navibus, si quæ in mari occurrant, sæpè naufragij, & submersionis inferant periculum, in easdem involando, requiei captandæ gratiâ, & cùm aliundè sint brevioris volatûs, & in discessu à nobis pinguioris corpusculi, aquiloni vento se committunt, utpotè vehementiori, & securiori, & sic mare transmeant. Milvi pariter loca mutant, modò frigus, modò æstum nimium vitaturi. Hyeme autem latent, commigrantes vel ad loca tepidiora, si vicina sunt, vel in locis prioribus, iisque abstrusis se condentes sine ulla loci mutatione. Reperti enim sunt quandóque in altis quercubus, & alijs arboribus cavis, dum eæ cæderentur, per hyemem se occuluisse; nonnulli etiam mare transvolant. Cuculi hyeme terræ se abdunt, in arborum, lapidúmque cavis, in iisque toto tempore latitant, quô tempore etiam pennas mutant, vel si aliqui mare transeant, cùm sint debiliores, & brevioris volatûs, à milvis mare transmeantibus supportantur. Ciconias demùm constat experientiâ migratorias esse aves, sed nondum certum est, è quonam loco ad nos veniant, & quô se à nobis recipiant. Extrahuntur siquidem subinde ex lacubus conglomeratæ, & reviviscunt expositæ ad calidum hypocaustum. Bellonius scribit, eas in Ægyptum, & Æthiopiam avolare, ubi est magna serpentum, & aliorum insectorum copia, atque mense Septembri, & Octobri, totam Ægypti planitiem occupare. Quæres 4. Utrùm aves manucodiatæ seu paradisiacæ omninò sint apodes? Utrùm mero rore cœlesti vivant? Utrùm nunquam terram, vel arborem consideant, sed semper in aëre pendeant? Utrùm verum sit, quòd non nidificent, sed quòd fœmella ova locò nidi, supra dorsum masculi ponat, & sic ovis incubet, & pullos excludat? ℞. Hæc omnia falsò adscribi manucodiatis, seu avibus paradisiacis. Nam quò ad primum Aristoteles magnus naturæ rerum indagator, negat universim dari aliquas aves in rerum natura, quæ sint simpliciter apodes, sed aliquas nuncupari apodes, solùm à pedum parvitate, habent proinde, & manucodiatæ aves pedes, uti jam exploratum est, ex Batavorum recentioribus navigationibus, licèt admodum breves, & exiles. Verùm quia omnes manucodiatæ, quæ ex Molucis Insulis, aliisque Regionibus longinquis ad nos in Europam advehebantur, abscissis pedibus, & excoriatæ deferebantur, inde factum est, quod plerique existimaverint eas pedibus omninò carere. Ratio secundi est, quia si solô rore cœli victitant hæ aves, ubi eundem captant? an in sublimi aëris regione. At ibi nullus ros est, sed propè terram, & hic non toto anni tempore generatur, sed certis tantùm mensibus, neque tunc toto die reperitur, sed matutino tantùm tempore, si verò hoc rore, qui est in superficie terræ, vescuntur, fieri non potest, quin aliquando in terram descendant. Credibile ergo est, illas vesci

non solo rore, sed insectis aliquibus, quæ maximæ, ac altissimæ arbores, & eminentiora loca suppeditant; rariùs quidem, & vix aliquando in terram descendunt, tum quia ob alarum magnitudinem, & pedum brevitatem, difficulter se à terra ad volandum elevare valent: tum quia ob pennarum levitatem, & magnitudinem, facilè est illis perpetuò quasi in aëre hærere, imò difficiliùs est, ijs deorsum se demittere, quàm in aëre suspensas permanere. Demum, quoad tertium, & quartum, notandum est cum Aldorando, aves manucodiatas, non tantùm requiescere in arboribus (ope etiam illorum filorum, quæ hæ aves in dorso habent annexa, tres aut ampliùs palmos longa) verùm nidulari etiam, & in proprijs nidis incubare ovis; nam illud, quod majolus, & alij ajunt: Masculum hujus speciei aviculæ dorsum ex omni parte depressum, deflexúmque habere, adeò ut sinum quendam foveámque efformet, in quam fœmella ova sua deponat, ac postmodùm ijsdem incubet, & sic pullos excludat, figmentum est. Etenim Aldorandus in quinque diversis Manucodiatis, quas observavit, nil simile observare potuit. Quæres 5. Cur aliquæ aves, ut ex. gr. psitaci, & picæ sint aptiores præ cæteris volucribus ad voces humanas exprimendas? ℞. Quia linguam latiorem habent, quàm aliæ volucres, ac proinde eandem faciliùs possunt contrahere & explicare, prout opus fuerit ad voces, & literas efformandas, ac ipsum quoque os vario modo deducere, quod alijs volucribus non convenit. Quæres 5. Cur aviculæ minores sunt canoræ, & non majores? ℞. Quia aves majores magna guttura habent, ideò per illa vel spiritum, & simul ventum potenter impellunt, vel lentè. Si primum, fit clangor, si secundum, fit solùm sibilus; & parvæ aves, dum per suas tenues gutturis fistulas aërem fortiter verberant, canoram edunt vocem. Quæres 7. Cur philomelæ planè harmoniacè canent? ℞. Quia philomela plures habet musculos in gutture, & arterias, quibus agit, & utitur pro vocum varietate, variè guttur distendendo, aut stringendo. Insuper habet pulmones ampliores, quàm aliæ aviculæ, & guttur angustius, ut non uno flatu totus aër per vocis instrumentum erumpat. Quæres 8. Cur nonnullæ aves frequenter se rostro purgent? ℞. Quia in illis erumpit acutus vapor terrestris, qui deinde circa plumas concrescit instar minutissimarum squamarum, & facit pruritum, à quo aves se rostro vellicando liberare conantur. Quæres 9. Cur aves habeant vesiculam gutturis? ℞. Ut in eo emolliatur cibus, priusquàm ad ventriculum descendat, quod enim in alijs animantibus præstant dentes priùs cibum comminuendo, hoc facit illa vesicula in avibus. Quæres 10. Cur aves rapaces non pariant ova venti. ℞. Quia in illis calor internus volatu nimiô, & vehementi excitatus, consumit totam

eam materiam, quæ in talia ova converti deberet. Quæres 11. An ex similibus ovis etiam generentur pulli ? ℞. Negativè, sunt enim hæc naturâ suâ sterilia, nec sat bene digesta. Causa autem hujus sterilitatis est, quia carent germine, quod in ovis non nisi ex maris consortio provenit. Quæres 12. An ergo alia altilia præter aves rapaces, pariant ova venti, seu subventanea ? ℞. Affirmativè. Et id certum est de gallinis, & perdicibus. Quæres 13. Cur aves, quæ carent caudâ magnâ, longis cruribus instruantur, ut ex. gr. ciconiæ sunt. ℞. Ut nimirùm crura oblonga, caudæ vicem in volatu suppleant. Quæres 14. Cur quædam aves cœcæ nascantur ? ℞. Quia antequam fiant maturæ, prodeunt ex ovo, quod fit quando modicum habent alimenti, deficiente scilicet vitello, & albumine ovi, quibus aviculæ in ovis, nondum ovo exclusæ, nutriuntur, unde pòstmodùm extra ovum perficiuntur, ac cœcæ manent, donec tandem maturescant. Quæres 15. Cur hirundines hyeme emoriuntur ? ℞. Quia crassis humoribus abundant, & modicùm caloris habent, unde accessu dein frigoris externi, quodam lethargo sopiuntur.

§ XIV.

Avium Medicamenta.

SIcut alijs animantibus ratione carentibus, miros instinctus natura indidit, ad vitæ suæ conservationem, ita & avibus; & quidem excellentiori quodam modo, nempè ut noscant etiam morbis suis mederi, eosdémque à se propellere, paucis exemplis id declaro. Nam primò *accipiter* ingruentem sibi morbum *hieracio* herbâ à se propulsat. *Ciconia*, vulnera sua *Origano* sanat; hirundines *chelidoniam herbam* ad cæcitatem suorum pullorum curalem, cùm effectu, adhibent. *Columbæ* ramos teneros *lauri* pro amuleto colligunt, deinde ad pullorum custodiam nidis imponunt. *Aquila*, *Ætide lapide*, se, suosque pullos conservat. *Turtures*, nidis suis *squillæ* folia contra sibi infestos luporum incursus, qui hanc herbam fugere, & adversari dicuntur, imponunt. *Merula*, *lauri folio* annuum fastidium purgat. *Milvus*, *rhamno*: *upupa*, *adianto*: *pavo*, *radice lami*. *ardea*, *cancro*: *palumbes*, *graculi*, *perdices*, *lauri ramo* sibi medentur: *gallinæ*, herbâ quæ *helixine* vocatur. *Anates*, *anseres*, cæteræque aquaticæ aves, herbâ *siderote*. *Grues*, & similes aliæ aves, *junco sylvestri*, sanitatem suam juvant, & conservant. Addit Aldrovandus sequentia, ad hoc valetudinis conservandæ studium iis maximum inesse videtur, cùm Regiones, ac sedes pro tempestatum varietate, nunc caloris, nunc frigoris, aliarúmque aëris injuriarum, mutare solent, ut in ciconijs, gruibus, coturnicibus, aliisque similibus avibus migratorijs licet observare.

§ XV.

Ex Avibus Medicamenta.

HÆc materia cùm spectet propriè ad Medicos, eam quàm brevissimè transcurremus. Interim adjungo hìc sequentia, ex Aldrovandro nominatissimo Bononiensi Medico, qui in prolegomenis ornithologiæ suæ, hæc scribit: Habent etiam Medici, ut tam ex avibus integris, quàm ex earum partibus, medicamenta desumant. Efficax enim usus est ciconiæ, in apoplexia, & paralysi; alaudæ, in morbo cholico; picæ, in cordis palpitatione; Icteri, seu galbulæ, in ictero morbo, passeris trogloditis, in calculo, & urinæ difficultate. Pelles cygnorum, onocrotalorum, vulturum, & aquilarum, ventriculo appositæ, concoctionem promovent. Pinguedines multarum avium, fel, atque ipsa etiam excrementa in medicinæ usum cedunt. Vide plura apud eundem authorem, per decursum totius citati operis.

§ XVI.

De natura, & proprietate Avium prædatricum, quæ in alijs Avibus capiendis adhibentur.

AVes prædatrices, quæ ad aucupia, vel etiam venationes instrui, & adhiberi solent, sunt; aquilæ, falcones, accipitres, nisi, & quidni etiam noctuæ, & bubones? Siquidem aucupes, ut aves alliciant, ac retibus, aut visco capiant, noctuam, & bubonem interdiu consueverunt exponere. Quòd verò aquilæ, etiam pro venationibus sint instruibiles, paulò superiùs declaravimus. Primò igitur, aquilarum, corporis magnitudo non est eadem: *Variæ siquidem sunt earum species, non una.* 2. Robore sunt magno præditæ, *propter optimam totius corporis, & nervorum compositionem.* 3. Bibere illas plerique negant, *nam pro potu sanguis animalium illis est.* 4. Esto sint supramodùm carnivoræ, cadaver tamen non tangunt, *ob generosam indolem, quærentes sibi ex vivis animalibus nutrimentum.* 5. Visum robustum, & acutissimum habent, ut solem fixis intueantur oculis absque noxa, *ob optimè formatam structuram oculorum, & pupillæ.* 6. Volatu, altissimæ, & velocissimæ, *alis siquidem pollent nervosis, pennis maximè densis, & corpore sunt exiguæ, si id, alis, & pennis comparetur.* 7. Nidos in sublimi, aut excelsa arbore concinnare consueverunt. *Amant siquidem loca sublimia, è quibus prædas speculari, & observare valeant.*

leant. 8. Ternos aliquando, sæpiùs binos pullos excludunt, & ex his etiam subinde unum è nido extrudunt, nutriendi pullos tædio. *Ad tantam enim tempore incubationis, & educationis prolium maciem reducuntur, ut exhaustis viribus, ad feras capiendas vix sufficiant, alternatim autem mas, & fœmella ovis incubant.* 9. Pullos suos, an sint genuinæ indolis: ex ungue suspendunt, solísque radios intueri cogunt fixis oculis. *Hinc qui oculos vi splendoris solis perstrictos inflectunt, aut nictitatione obumbrant, eos tanquàm adulterinos, & degeneres laxatis unguibus in præceps dejiciunt, qui verò constanter solis splendorem, irretortis oculis intuentur, eos in nidum reponunt.* 10. Summè amant, & impensè educant pullos, quos genuinos deprehendunt. *Præterquàm enim illis de esca, magnâ diligentiâ provideant, eosdem necdum volare valentes, in humeris suis inter alas portant.* Ut innuit scriptum Deutoronomij cap. 32. 11. Maximam curam suorum unguium gerunt. *Hinc cavent, ne obtundantur; hinc hebetatos rostro acuunt, aut ad lapides atterunt. Quoniam eorum beneficio prædam rapiunt.* 12. Testudines terrestres dum apprehendunt, ex alto cum impetu eas in saxa dejiciunt, ac frangunt, ut earum carne vesci queant, cui mirè afficiuntur, non tam ut cibo, quàm ut medicamento. 13. Dum ex alto in subtervolantes aves, non rapaces impetum faciunt, & primâ impressione non capiunt, quòd avis petitâ celeritate volatûs ictum evitaverit: non ampliùs easdem insequuntur. 15. Noctuam, ut aliæ aves, non invadunt. *Parùm id Regiam avem decere existimantes.* Falconum, variæ sunt species. *Quos tamen omnes Bellonius ad tres species redigit in migratorios, campestres, & riparios.* Albertus verò Magnus lib. 23. de animalibus cap. 5. *de falcone, ad nobiles, ignobiles, & mixtos reducit omnes.* 2. Optimum, & præstantissimum genus falconum recensetur, in & ex partibus Septentrionalibus, uti Svecia, Livonia, Russia, Moscovia, Tartaria. 3. Præferuntur alijs illi, quorum color pedum croceus est, multùm declinans ad albedinem. *Nam quò minùs uni albescunt pedes, eo ignobilior est falco.* 4. Laudatur in falconibus color oculorum admodùm flavus, ita ut ad rubedinem accedat, pupillâ nigricante. 5. Forma, & species corporis, magìs, quàm color plumarum, ingenium, seu complexionem falconum commendat. 6. Quò ad corporis figuram, omnibus falconibus in genere, convenit crassius habere caput, non tamen enorme, hoc enim accedit ad speciem avium nocturnarum, quæ timidæ sunt, ac magnitudine capitis potiùs materiæ abundantiam, quàm virtutis excellentiam indicant. 7. Neque tamen omnibus rotundum caput in falconibus probatur, *sed cujus superior cranij pars à rotunditate deficit.* 8. *Ingenui falconis collum brevius est, quàm aquilæ, aut*

nisi, nimia tamen brevitas colli, vituperatur in falconibus, phlegmaticam enim frigiditatem, aut melancholicam siccitatem significat, & ad proprietatem nocturnarum avium accedit. 9. *Crura brevia, si tamen* coxæ sint longæ, & bene pennatæ, in falconibus æstimantur, similiter pes patulus, digiti fortes, præcipuè in nodis articulorum, & ungues validi, magísque aliquantùm curvati, ad interiorem pedis partem. *Hæc enim signa sunt singularis fortitudinis, & generositatis falconis.* 10. Pectus latum natura largita est falconibus, illúdque triangulare, validum, cujus prominens pars desinit in angulum perquàm durum, & firmum. *Quoniam falconis, tota ferè vis est ictu pectoris prædam percutere.* 11. Hinc falconum præcipuus, & quasi proprius est modus aucupandi. *Nam cùm prædari vult, celeri volatu in sublime ascendit, deinde compositis ad pectus unguibus, quibus icturus est prædam, tanto impetu in avem, non recto, sed obliquo volatu descendit, ut strepitum aëris concitati descensu suo excitet, & inter descensum rapido motu prædam feriat.* Accipiter, qui ab accipiendo nomen habet, est animosa, rapax, & robusta avis. 2. Est venatui aptissima, ob citissimum, & velocissimum volatum, dociléque ingenium habet. 3. Non sunt ejusdem molis ubique accipitres. *Majores siquidem sunt in Regionibus aquilonaribus, quàm alibi, minores in Ægypto, quàm in Græcia.* 4. Universim loquendo de mole, major est fæmella, quàm mas. 5. Visu valent acutissimo, & volatu altissimo, ita, ut aliquando conspici nequeant. 6. Solem, ut aquilæ intentis aspiciunt oculis & irretortis. 7. Peculiare illis est, & cum sola noctua commune, resupinare se in aëre, & alas extendere, rostróque, ac unguibus contra fortiorem inimicum, v. gr. aquilam pugnare. 8. Prædâ conspectâ irruunt in eam cum impetu, sed si primo conatu frustrantur, persequi desinunt, & sibi indignantur. Post accipitres ponimus *nisos*, qui licèt minores sint, attamen sunt animosi, & alacres pro sua facultate, ac accipitres. 2. Sunt verò ad venandum, vel rectiùs ad aucupandum promptissimi, capiúntque omnes eas aves, quas accipitres, majoribus tantùm exceptis. 3. Citò mansvefieri possunt, & delicatum postulant nutrimentum. 4. In volatu sunt admodùm veloces. 5. Nidificant in abietibus, & quaterna, aut quina ova ponunt, ex quorum uno plerúmque minor cæteris nisis excluditur, qui tam ab Hungaris, quàm à Germanis Sprincz nuncupatur. 6. Porrò *Nisi* nomen veteribus Latinis erat ignotum. Hi enim antiquitùs, accipitres fringialarij vocabantur. Albertus Magnus putat, à nitendo nisum esse dictum, eò quòd aves etiam se multò majores, rapere nitatur. Nocturnarum avium rapacium multa sunt genera: & inter hæc species diversæ bubonum, & noctuarum. Vulgaris noctua magnitudine columlum-

lumbam vix superat. Bubo omnes alias nocturnas aves mole suâ excedit. Magis notæ sunt hæ aves à sua deformitate, quàm ut descriptione egeant. Has ubi interdiu comparuerint, aves minores circumvolant, ac alis, & rostris percutiunt. Aristoteles rejicit causam in admirationem, ob insolitam, & anteà invisam figuram avis, alij in antipathiam. Aucupes, ut aves alliciant, ac retibus, & visco capiant, easdem exponunt, ut jam suprà dictum est.

§ XVII.

De natura, & proprietatibus Avium, quæ per Aves prædatrices capiuntur.

HÆ potissimùm sunt: Ardeæ, anates sylvestres, anseres sylvestres, grues, picæ, perdices, coturnices, graculi, & oblectationis causâ, etiam corvi, ac cornices, & id genus aliæ. Ardeæ primò. Corporis mole ad accipitris quantitatem accedunt. 2. Rostrum habent longum, crassiusculum, robustum, & intùs cavum, in extremitate acutum, ac capiendis piscibus aptum. 3. Corpus est illis leve, & macilentum. 4. Digitos pedum habent ternos, & longos, membranis modicè junctos, quartum pro calce similiter longum, uti & crura longa. 5. Degunt numerosæ circa paludes, & stagna. 6. Volant altissimè, & quandóque etiam supra nubes. 7. Vescuntur piscibus. 8. Ingrediuntur aquas piscandi gratiâ. 9. Nidificant in sylvis, locis paludosis, alnis, & salicibus consitis. 10. Volant verò collô contractô, & pedibus retrò extensis. 11. A falcone depressæ, rostro sub alis condito, ac sursum elato, fortiter se defendunt. Anates sylvestres, non multùm differunt ab anatibus domesticis, nisi quòd sint feroces, mole majores, gustu sapidiores, volatu excellentiores. 2. Visâ aquilâ, simul dicuntur congregari in aqua, & in aquilam demerso capite aquam spargere, atque ita accessum illius cohibere. 3. Sunt admodùm voraces, & quæcúnque sibi occurrunt, ijs se ingurgitant. 4. Pulli earum, quamprimùm exclusi ex ovis fuerint, reconditâ quâdam naturâ, aquam petunt, & continuò à partu natant. 5. Cùm aquila in anates, earúmque pullos rapiendos involat, se intra aquam submersione abdunt, atque infra aquam natando, ex alio loco extra aquam eminent: Quòd si aquila illuc quoque incumbat, & instet, ij iterùm demerguntur, atque tamdiù sursum, deorsum commeant, donec aquila desperatâ prædâ discedat, & avolet. 6. Innumeræ penè sunt anatum species, *ex commixtione variarum specierum inter se, dum gregatim in aquis conveniunt.* 7. Gregatim volant, & rarò sola una invenitur.

Anse-

Anseres sylvestres, minoris molis sunt; quàm domestici. 2. Frequentiùs ex aqua, quàm ex terra sibi victum quærunt. 3. Sunt aves migratoriæ. 4. Volant ordine literario, ut grues. 5. Dum ex una Regione migrant in aliam, vociferantur altè volando, ne quæ earum remaneat. 6. Debiliores sustentantur, & fulciuntur à fortioribus; expectántque se invicem, quò minùs obnoxiæ sint ab insidijs avium prædatricum. 7. Volant verò secundùm flatum ventorum, quamobrem multi prædicunt ventos, frigora, & imbres, ad volatum illorum. 8. Vix à volatu cessant, nisi esurie coacti. 9. In tantùm delectantur volatu, ut raro dormiant. 10. Habent semper volandi duces, & somni custodes. 11. Cùm Taurum montem transvolant, ubi aquilas timent, lapillis ori missis, vocem continent, tanquàm non aliter sibi temperaturi. *Grues*, 1. Volant altissimè, & quidem secundùm ventum, & raro contrà impetum venti, nisi fugiendo nituntur. 2. In volatu formam triangularem observant. 3. Ducem in volatu sequuntur, & in eum, eligunt robustissimam. 4. Hæc fatigata, quia non habet, cui caput imponat inter volandum, ultimum agmen petit, & ut cæteræ, quiescit, proximâ interim succedente, atque hæc vicissitudo perpetuò est inter illas. 5. In extremo quoque agmine per vices, quæ acclament dispositas habent, & quæ gregem voce contineant. 6. Dum ex volatu defatigantur, quiescunt humi, excubitores habent nocturnis temporibus, lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno, & decidens, indiligentiam excubitorum arguit. 7. Cæteræ tunc dormiunt, capite subter alam condito, alternis pedibus insistendo. 8. Migraturæ lapidem deglutiunt, ut eò faciliùs ventorum turbini pondere resistant. 9. Teste Plinio, cùm Pontum Euxinum transeunt, lapillis in pedibus, & arenâ se in gutture onerant, ubi medium maris transiverunt, lapillos ex pedibus abjiciunt, cùm attigerint continentem, etiam è gutture arenam. *Picæ*, 1. Multos, & imperfectos, imò & cæcos excludunt pullos. 2. Ova sua interdum ex uno loco, vel nido ad alium transferunt. 3. Volatus illis est humilis, & brevis. 4. Frequenter vocem mutant. 5. Animalium voces imitantur, quin & hominum, si ad loquendum instructæ fuerint. *Perdices*. Perdicum pulli, etiamsi ab alijs perdicibus excludantur, & educentur, tamen proprios suos parentes agnoscunt, & ovorum suorum genitricem potiùs, quàm educatricem sequuntur. 2. Cursu plùs, quàm volatu valent. 3. Cùm propria ova desunt, aliena furto sublata incubant. 4. Nidos sibi more aliarum avium non extruunt, spinis tamen & frutice sic muniunt receptaculum, ut contra feras abundè vallentur. 5. Non solùm fæmellæ, sed & mares, quamvis diverso loco incubant. 6. Gregatim volant, & ad eum ferè locum, ex quo semel pulsæ sunt, iteratò redeunt. 7. In nivi-

nivibus observato aucupe, caput in nivibus abscondunt, putántque jam se esse tutas, dum interim auceps retia sua super easdem extendit, & captivas facit. 8. Jucundius tamen longè est, illarum aucupium per aves prædatrices, & nominatim accipitres. 9. Hinc Carolus IV. Galliarum Rex, non nisi nobilibus, idque cum certis limitationibus, perdicibus retia tendi licitum esse voluit. 10. Imò idem Rex, etiam nobilibus omnibus, nisi Barones essent, vetuit vivas capere, vel alio modo quàm prædatorio avium aucupio. *Coturnix* 1. Ad genus perdicum fortassis pertinet, cùm præter exiguitatem, & pressitudinem corporis, à perdice nihil differat. *Unde à nonnullis etiam perdix nana nuncupatur.* 2. Coturnices sunt migratoriæ aves, quæ quotannis ad nos vere advolant, & necdum elapsâ penè æstate discedunt. 3. Amant loca campestria, in segetibus viridibus primò, dein in earum stipulis latitant. 4. Volatûs debilitatem ijs natura velocitate pedum recompensavit. 5. Sunt fœcundissimæ. Nonnulli quater quotannis eas ova excludere scribunt, bis nempè in ijs regionibus, ad quas à nobis abeuntes migrant, item bis hîc apud nos, donec à nobis abeant. Pariunt autem ova pro singulis exclusionibus circiter sedecim. 6. Vescuntur præter milium alijs quoque granis, imò his deficientibus, etiam alia ijs in cibum cedunt. 7 Coturnicibus esus elebori peculiaris est, & hic quidem innoxius (licèt homini sit venenum) imò proficuus, pinguescunt enim ex ejus esu. 8. Coturnix bibens, reliquam aquam rostro, pedibúsque corrumpit, lutosámque reddit, pulvere etiam in eam ingesto. 9. Capiuntur retibus circa autumnum quidem promiscuè. In vere autem ubi ad nos primùm veniunt, segetésque etiamnum virescunt, soli masculi. 10. Jucundissima tamen earum est captura, avibus prædatricibus, ac potissimùm nisis. Trajiciuntur etiam minutis globulis ex fistulis ferreis explosis, dum præsertim turmatim avolant, à canibus sagacibus ad id instructis, ad evolandum compulsæ. *Graculi.* Graculorum aliquot sunt species, inter quas etiam monedula numeratur. 2. Minimè sunt solitariæ aves, sed gregales, hinc illa paræmia; semper graculus assidet graculo. 3. Nimiùm sunt garuli, & cicures, loqui articulariter discunt. 4. Monedula frumenti, aliorúmque granorum, ubi satiata fuerit, reliquias terræ condit, & spicas subsequentis anni ex ijs colligit. 5. Gaudet verò in capite fricari. *Ob innatum sibi in illa corporis parte pruritum.* 6. Mira est in his aviditas furandi. 7. Adeò cicurantur graculi, ut è caveis emissi redeant. Monedulæ verò multò magìs, nam non solùm eunt, & redeunt, verùm educatores suos ad sat longa spacia terræ sequuntur, & reduces domum comitantur. *Corvi.* 1. Licèt à natura nigri sint, visi sunt tamen in Septentrionalibus partibus, An-

glia, & Neapoli, apud Alphonsum Regem, albi. *Affirmant aliqui ob aspectum nivium, nivosis in locis fieri, ut animalia multa candida nascantur. In partibus enim Septentrionalibus, & in altissimis alpibus videre est, vultures, aquilas, accipitres, milvos, vulpes, ursos, corvos albos.* 2. Vescuntur frumento, pomis, cerasis, vermibus, piscibus & cadaveribus. 3. Post viginti dierum incubatum, pullos excludunt. 4. Exclusos pullos negligunt quoad atrorem induant. 5. Postmodùm agniti, pro legitimis in curam à parentibus suscipiuntur, donec firmiores evadant, posteà expelluntur. 6. Longævi sunt, & furaces. 7 Articulatè loqui condiscunt, si instruantur. 8. Vocem quoque sibi connaturalem multifariè mutant. 9. Odoratum habent sagacissimum. 10. Ælianus scribit, pullos corvinos alimoniâ destitutos, ipsos parentes invadere ac devorare, tum præsertim cùm senio confecti, neque aggredientibus resistere possunt. 11. In Lapponia aliisque regionibus, corvi, (qui tamen sunt nostratibus majores) etiam ad venationes perdicum, imò & lepusculorum, instruuntur. *Cornices.* 1. Cornix est avis generis corvini. 2. Versantur circa domos urbis, maris ripas, fluminum littora, sterquilinia. 3. Nidulantur in summis arborum frondibus. 4. Victitant frugibus nucibus, vermibus, & carnibus. 5. Sunt longæ vitæ, ita ut tres humanas ætates superare vulgò credantur. 6. Incubant ovis fœmellæ, tam impensè, ut ob assiduum incubatum, plumas exuant. 7. Si nucem perfringere nequeant, in altum sublatam, ad saxa, & tegulas præcipitant, idque tam diù iterant, donec quassata perrumpatur. 8. Parentes pullos suos, jam volandi potentes, diù prosequuntur, & avolantes subinde comitantur.

§ XVIII.

De natura, & proprietatibus Avium, quæ laqueo, visco, retibus, & cippo capiuntur.

AVes hæ, sunt potissimùm sequentes: phasiani, attagenes, turtures, turdi, merulæ, sturni, linariæ, alaudæ. urogalli, ficedulæ, pici, reguli, fringillæ, cardueles, luteolæ, parices, & id genus aliæ. Primò igitur phasianus, mas, nulli volucrum pulchritudine cedit. 2. Plerúmque loca paludosa quærit, & ab hominum consortio remota. 3. Vescitur baccis, granis, & seminibus, maximè tamen avenâ delectatur. 4. Tantæ stoliditatis est, ut capite in terram immisso, & abscondito totum se latere existimet. 5. Capiuntur phasiani retibus, non secus ac perdices, & coturnices, alicubi etiam accipitres instruuntur ad aucupium eorum. Capiun-

piuntur etiam laqueis, in vijs, per quas de sylva vadunt ad aquam, distensis. *Attagen.* 1. Montium acola est. 2. Inter phasianum, & perdicem medium tenet, tam in forma externa, quàm in sapore. 3. Frugibus, & granis vescitur. 4. Capti, non solùm non mansvescunt, sed ne vocem quidem amplius edunt, nisi denuò liberi permittantur. 5. Caro est illis candida, & tenera, ac consequenter melioris gustûs, quàm caro perdicum. *Turtur.* 1. Columbacei est generis. 2. Tam volatu, quàm pedibus plurimùm valet. 3. Singularem fidem conjugij turtures servant. 4. Si mori alterutrum contingat, dicunt alterum, à nuptijs abstinere, nec ramis frondentibus insidere, nec limpidam aquam bibere, sæpiùs autem gemere. 5. Turtures heleboro impunè vescuntur. *Turdi.* 1. Turdorum varia sunt genera. *Quæ tamen ferè solâ magnitudine, & aliqua ex parte plumis inter se differunt.* 2. Mutant juxta Aristotelem, & Plinium, plumarum colorem. *Adeò, ut Aldrovandus tribus diversis coloribus, ejusdem rationis turdos, diversis nimirùm temporibus captos, observaverit, & depinxerit.* 3. Intestinum turdorum appendices non habet, nec gula versùs stomachum dilatatur, nec superiùs ingluviem habet. 4. Rostrum omnibus est longiusculum, crassiusculum, rectum, 5. Pedes similes figurâ, sed colore, non in omnibus eodem. 6. Lingua omnibus lata est, & ad imitandum hominum sermonem non inepta. 7. Peculiaris omnibus turdis surditas adscribitur. 8. Potissimùm baccis, & imprimis juniperis vescuntur. 9. Singulari industriâ nidos construunt. Nidum enim more hirundinum in excelsis ædificant arboribus, ita, ut continuato opere, quasi catena quædam nidorum appareat. 10. Capiuntur, ut plurimùm visco, quandóque etiam laqueo. *Merulæ.* 1. Merularum genus cum turdis in multis convenit. In cantu enim turdis merula nihil cedit, humanum sermonem æquè docetur, victu eodem ferè utitur. 2. Coloris sunt nigri. Unde Plautus nigrum colorem, meruleum facetè vocabat. 3. Colorem hunc tamen nonnihil subindè mutant, *pro diversitate scilicet temporis.* 4. Imò nec in rostro eundem colorem semper servant, hunc enim cum ætate immutant, nam in anniculis, teste Plinio in colorem eboris transfiguratur, sed in maribus duntaxat. 5. Versatur in locis densis, consitis arboribus, & spinetis, ac in fissuris lapidum. 6. Merulæ amant se lavari, & plumas frequenter rostro purgant. 7. Nidum durum, & quasi glutino quodam firmum construunt. 8. Capiuntur tum visco, tum retibus, uti & laqueis. *Sturni.* 1. Sturni quoque in multis cum turdis, & merulis conveniunt. 2. In hoc tamen à merulis differunt. Quòd sturni habeant plumas albis maculis distinctas, merulæ verò nigris. 3. In arenis, & paludibus, hoc est pratis aquosis versantur assiduè, & armenta quoque vaccarum

sequuntur. 4. Sturnorum generi est proprium catervatim volare. 5. Sunt volucres maximè voraces. *Etenim nihil non in cibum recipiunt.* 6. Uvas non modò appetunt, sed earum esu etiam pinguescunt, & melioris, ac svavioris saporis evadunt. 7. In agros quoque miliô, & panico consitos involant. 8. Cicutam his avibus esse alimentum, passim ab omnibus scribitur, cùm ea alioquin homini præsens venenum sit. *Alaudæ.* 1. Alaudarum duo sunt genera. Nempè alterum cristatum, quod propriè galerita, à crista appellatur, alterum gregale. 2. Modò peculiari in summum aërem per rectam quasi lineam alis sese attollunt, & quoties altiùs tendunt eò svaviores frequentioresque cantus edunt. 3. Nidum humi construunt ex siccarum herbarum radicibus. 4. Ter in anno nidificant, ut est ab aucupibus observatum. 5. Ova pariunt quinque, plùs minùs. 6. Negligenter autem ovis incubant. Quin nidum suum auræ patere cupiunt, ut superincidentes solis radij parentum defectum suppleant. 7. Et si verò nidum auræ patere cupiant, eum tamen ita recondunt, ut accipitrum & prætereuntium oculis obvius non sit. 8. Postquàm ova exclusa sunt, matres de pullis admodùm sollicitæ sunt. Hinc adhuc implumes è nido in agros ad pastum educunt, ut eos avium prædantium injurijs citò eripiant. 9 Cuculus in hujus alitis nido, libenter ova sua ponit. Cuculus enim non nidificat, sed in nidis parit alienis. 10. Vescuntur libenter ovis locustarum, eáque diligenter scrutantur, & conficiunt. Arenam tamen communiter pro victu habent, vermes quoque deglutiunt. 11. Capiuntur certô modô ad id confectis retibus, idque noctu, vel sub vesperum. 12. Inveniuntur in omnibus ferè planis, & campestribus regionibus. Nullibi tamen copiosiores, & melioris saporis, quàm in Austria. *Urogalli* 1. Urogallus ex gallinaceo est genere, unde etiam Gallus sylvestris à quibusdam dictus est. 2. Duplex est urogallorum genus, unum majorum, alterum minorum. 3. Versantur urogalli in altissimis montium jugis. Hinc in partibus Septentrionem spectantibus, major est illorum copia. 4. Sunt aves vastæ molis. Ita, ut quatuordecim, & subinde etiam plures libras una ponderet. 5. Carnem habet optimi saporis. Ita, ut opinione aliquorum, nec phasianæ cedat. 6. Ajunt raró vivam capi. Capitur enim laqueo, ita, ut collô adstrictô suffocetur. 7. Caput habent nigrum, rostrum breve, supercilia, & pelliculam circa oculos, pectus & ventrem nigrum, alarum pennas longas nigricantes; poplites, & femora plumis albis, crura ad digitos usque fuscis vestita. 8. Exiguo auditu pollent, unde surdæ aves appellantur. *Ficedulæ.* 1. Avem, quam nos ficedulam dicimus, veteres perdicem rusticam dixêre. 2. Duplex est earum genus, unum aquaticum, alterum sylvestre. 3. Longo sunt

rostro.

rostro. 4. Crura quoque, & pedes pro proportione corporis longos habent. 5. Exquisiti sunt saporis, unde illud Martialis:

Rustica sum Perdix, quid refert, si sapor idem.
Gratior est Perdix, & sapit illa magis.

Pici. 1. Pici omnes babent rostrum rectum, durum, rotundum, & ad pertundendas arbores aptissimum. 2. Linguam acutissimam, & in extremitate quodam modo cartilagineam. 3. Crura brevissima, sed admodùm robusta. 4. Digitos pedum binos ante, & totidem retrò, eósque valdè conjunctos, ut inter scandendum, arborem firmiùs apprehendant. 5. Varia sunt genera picorum, Aristoteles tria recenset. Aldrovandus his, bina duo addit alia, quæ tamen omnia genera non differunt inter se aliter, quàm corporis magnitudine, & colore. 6. Picis omnibus cauda admodùm est brevis, eáque rigida, & duriuscula, cujus penna in extremitatibus fermè nuda, quibus haud aliter, quàm pedibus inter rependum innituntur. 7. Victitant vermibus, ut sunt culices, formicæ, & vermiculi sub corticibus, & medullis latitantes. *Ideò arbores rostro percutiunt, ex quarum corticibus subesse vermes ex sono conjiciunt, perforant, & vehementer excavant.* 8. Nidificant in excavatis à se arborum foraminibus. 9. Pullos septem, vel octo educunt. 10. Scandunt magnâ celeritate, & dexteritate per arbores, non solùm sursum reptando, sed deorsùm etiam, & sub ipsis ramis, pedibus & ventre sursùm, tergovè deorsum versùs conversi. *Reguli.* 1. Sunt minimæ aviculæ. 2. Hyeme degunt in foraminibus, reliquo tempore inter fruceta. 3. Vescuntur vermibus, & muscis. 4. Quantò hæc avicula est minor, tantò est velocior, & animosior, ut etiam contra aquilam aliquid conari audeat. 5. Hominem etiam ludit, nam cùm se proximè quasi manu capiendum obtulerit, casso hominis conatu, profugit, & avolat. 6. Solitaria volat: pullis fæcunda est. 7. Uno specu, vel antro in hyeme multi conduntur, ad augendum mutuò inter se calorem. 8. Aristoteles scribit, Regulum difficulter capi. 9. Ova dicitur tam parva ponere, quàm sit unum pisum. *Fringillæ.* 1. Fringillæ formam, sic describit Aldrovandus: magnitudine ferè passerem æquat, rostrum ei crassiusculum, & validum, carneíque coloris, sed in extremo subnigrum. Capitis, & colli pars, prona ad cæruleum vergit, quod hinc ad uropygeum usque interjacet, castaneum colorem refert, ipsum verò Uropygeum subvirescit. Pectus, & venter, inter rubrum, & spadiceum ambigunt. Alas geminæ maculæ albæ, veluti fasciæ intersecant, quas inter, alia fascia nigri coloris intercurrit, quod à secunda macula alba, ad extremum usque superest, totum nigrum est. Cauda longiuscula, duodecim pennis constat, ex quibus ge-

minæ utrinque totæ ferè albæ ſunt, reliquæ nigræ. 2. Vocem edunt canoram, & altam, eámque variam. 3. Nidum, neque terram proximè, neque ab ea diſtanter conſtruunt. 4. Facilè cicurantur. 5. Veſcuntur ſemine canabino potiſſimùm, præterquam quòd locuſtas, & vermes devorent. 6. Sunt & aliæ aviculæ ſimiles ferè fringillis, ſed magnitudine majores, nec ſvavis cantûs, multò tamen mitiores, minúſque providæ ac callidæ, facillimè ſiquidem tam viſco, quàm retibus capiuntur. Pauciores tamen, quia minori numero, & tardiùs ad nos veniunt. Atque hæ novam ſpeciem avium non conſtituunt, ſed ſub genere fringillarum continentur, & ad differentiam aliarum montifringillæ vocantur. *Cardueles*, ſeu *Acanthides*. 1. Non eſt, ut in deſcriptione hujus aviculæ laboremus, nota ſiquidem eſt omnibus, cùm vix ſit Regio, in qua hoc genus avicularum non generetur: Unde paſſim apud omnes nationes in caveis, ob amœnitatem, & ſuavitatem cantûs, aluntur. 2. Volant gregatim, & turmatim involant in retia & viſco illitas arbores. Sed ſi quæ à viſco ſe forte liberaverit, nunquam ampliùs impoſterum tali modo capi poterit. 3. Veſcuntur ſemine carduorum, & in eis repertis vermiculis, ſemine item rutæ, & canabis. *Luteolæ*, quæ & ligurini nuncupantur, ſunt minores *carduele*, mole, amœnitate tamen vocis ſuppares. 2. Color illis luteus eſt, præſertim in gutture, & collo. 3. Multò faciliùs quàm *cardueles* capiuntur, advolant enim ociùs ad ſui generis allectrices, & ſi ſemel, vel ſæpiùs etiam inſidias aucupum evaſerint, necdum tamen eaſdem devitant. 4. Nidantur in abſtruſis montium ſylvis. 5. Tempus ad eas idoneas aptum eſt autumnus. *Linariæ*. 1. Ad linum, & canabem advolant, ſicut & carduos *cardueles*. 2. Magnitudine ſunt paulò minores paſſere. 3. Colore teſtaceo, ſeu ferrugineo, ad cinerem vergente. 4. Suaviſſimum cantum edunt. 5. Semine lini, & canabis, panico item, & avenâ veſcuntur. *Parius*, ſive *parix*. 1. Eſt avis exigua, & vix *regulo* major. 2. Roſtrum ei eſt teres, breviuſculum, puſillum, & acutum. 3. Capitis vertex ceruleo colore decorus. 4. Collum medium albâ notâ majuſculâ tinctum. 5. Pectus ſupremum flaveſcit, venter infimus albeſcit. Quò ad cætera, notiſſima eſt avicula. 6. Apparet circa principium autumni, eſt avicula curioſiſſima. Facilè capitur cippo, ad quem, ad fiſtulam, vel vocem captæ unius, aliæ avidè convolant.

§ XIX.

De natura, & proprietate cæterarum Avium.

NAturam, & proprietatem avium, quæ commodè non poterant ad præmiſſas claſſes revocari, Paragraphô hocce, non tam examinabimus,

mus, quàm recensebimus, studentes brevitati, quam hæ Dissertationes exigunt.

Aves miræ magnitudinis. Marcus Paulus Venetus, in descriptione Insulæ Madagascar refert: reperiri in ea avem *Ruch* dictam ex genere aquilino, tam vasti corporis, tantique roboris, ut elephantem unguibus corripiat, atque in altum sublevet, ac deinde cadere sinat, ut mortui carne vescatur. *In Mexico*, teste Nierembergio, fuit aliquando tanta aquila inventa, ut vervecem uno prandio devoraret. Inter *Dresdam*, & *Misenam* Germaniæ oppida, anno 1550. ut Gesaerus scribit lib. 3. de avibus. In vastissimo aquilarum nido, tres juvenes aquilæ inventæ fuerunt, quarum ungues viri magni, & corpulenti digitis, nihilo erant inferiores. *In Thesauro* Sancti Leopoldi Claustro Neoburgi, in Austria, inter alias raritates ostenditur unguis volucrinus, ingentis prorsus magnitudinis, quem communiter dicunt esse unguem *Gryphis*, sed cùm gryphes in rerum natura dari negaverimus, necessè est prædictum unguem esse alicujus alterius maximæ avis, ex aliqua specie jam præmentionatarum aquilarum. *Bistarda*, Græcè *Otis*, circa quam variæ sunt apud Othinologos disceptationes, quoad ejusdem genus, formam, & locum, quem incolit. Cæterùm in Hungaria avis est, non infrequens. Primò igitur *Bistardæ* sunt aves magnæ, vastæ, & ponderosæ, ita, ut una etiam decem plùs minus libras ponderet. 2. Collum ijs, & caput, est cinereum. 3. Pectus, & venter, ac crura, quatenus plumis vestiuntur, sunt alba. 4. Alarum pennæ majores candidæ, circa finem nigræ. 5. Rostrum habent robustum valde. 6. Pedes admodùm crassos. 7. Linguam quasi seratam. Naturaliter in campis speciosis degunt. 9. Volatum admodùm brevem, & humilem habent, *propter corporis sui pondus*. 10 Hinc ad volandum tardè & difficulter se è terra erigunt 11. Sunt timidæ, & pusillanimes; adeò, ut vel leviter vulneratæ, ocyus moriantur. 12. Victitant granis, frugúmque maximè, si verò hæc desint, herbis famelicum explent ventrem. 13. Equorum præsentiâ delectantur, & rotarum rotationes fixissimè intuendo admirantûr. 14. Unde aucupes sic admirantes globis sclopeti impetunt, & trajiciunt. 15. Capiuntur quoque & retibus: capi etiam possunt falconibus, & accipitribus. *Ciconia*, avis est notissima apud nos, non item in Italia. 1. Est avis migratoria. 2. Abituræ è regione aliqua, congregantur in loco certo, velut ad condictam diem, ita, ut nulla sui generis in ea relinquatur. 3. Neminem unquam vidisse agmen discedentium, aut advenientium, in regionem ubi fuerunt æstate, aut hyeme futuræ sunt. testatur Plinius lib. 10. Natural. Histor. cap. 23. *Quòd utrúmque iter noctu conficiant.* 4. Vescuntur ranis, & serpentibus. 5. In summis ædium tectis, ac in ipsis etiam fumarijs, imò & turribus nidificant. 6. Primo adventu

ventu veteres nidos repetunt, salvos adhuc sordibus repurgant, tempestate læsos restaurant. 7. Tam impensè nidos fovent, ut incubationis assiduitate plumas exuant. 8. Dormientes uni tantùm pedi innituntur, & caput humero imponunt. 9. Parentes suos, senio confectos, alunt, & humeris gestant. *Columbæ.* Hæ primò, aliæ sunt domesticæ, aliæ sylvestres, quæ palumbi nuncupantur. 2. Omnibus columbis, est commune, utraque palpebra connivere. 3. Sunt naturâ fœcundissimæ. 4. Incubatio maris, & fœminæ operâ perficitur, hæc enim noctu, ille interdiu incubat. 5. Si locum apricum habeant, singulis quadragenis, aut tricenis diebus concipiunt, pariunt, incubant, & pullos enutriunt. 6. Longè domo avolant, & redeunt. 7. Volatûs pernicitate, cum quavis penè alite concertare possunt. 8. Mundiciei studio, nidos à fimo repurgant. *Cuculus.* 1. Cuculus, tam in unguibus, quàm in capite, potiùs columbis, quàm accipitribus est similis, licèt colore aliquando accipitres repræsentet. 2. In alienis parit nidis. 3. Hyeme se abdit, & toto tempore latet, quô etiam pennas mutat, ac deplumescit. *Cygnus*, seu *Olor.* 1. Avis est amphibia quidem, magis tamen aquis, quàm terrâ delectatur. 2. Major est ansere, tota candida. 3. Rostro est parùm turbinato, in extremitate obtuso, & falcis instar serato. 4. Collum habet longissimum, viginti octo vertebris constans. 5. Pedes nigros, notis partim rubris, partim cæruleis, partim albis distinctos. 6. Membranas digitis interjectas, squamulis minimis rotundis inæquales. 7. Longissimæ alarum pennæ, palmos septem cum dimidio æquant, cauda circiter tres palmos est longa. 8. Inter natandum, uno pede pro remo altero pro corporis sui gubernaculo utitur. 9. Vescitur herbis, segetum granis, & piscibus. 10. Cygni probè natant, tardè volant. 11. Vitæ verò sunt longissimæ, ita, ut vulgò sæculum, & ultra attingere credantur. *Halcyon*, sive *Alcyon*, 1. Avis est passere non multò major, colore cæruleo, & luteo, subpurpureóque mixto insignis. 2. Rostrum habet longum, femur subluteum. 3. Nidificat in ipso mari, aut verosimiliùs in saxo, aut littore, quod à mari aluitur. 4. Quo tempore fætificat, placatur mare. Hinc *Alciona tempora*, pro pacato, ac quieto tempore, per proverbium accipiuntur. *Hirundo.* Ubivis terrarum avis notissima, descriptione non indiget. Sunt verò 1. *Hirundines* variæ speciei. 2. In Ægypto perennant, apud nos mense Septembri, vel Octobri conduntur, vel ad calidiores regiones migrant. 3. Victitant muscis, culicibus, papilionibus, apibus, cicadis, alijsque his similibus. 4. Bis in anno pariunt. 5. Primi partus injuriâ frigoris plerumque corrumpuntur; posteriori, pullos, sed cæcos, procreant 6. Pullis chelidoniâ herbâ applicatâ visum restituunt. 7. Cicurari nequeunt. 8. Fætus educatio summâ

fide-

fidelitate, & æquitate peragitur à mare, & fœmella. 9. Rarissimè propter pedum debilitatem, ac brevitatem incedunt. 10. In pullorum primo partu exclusorum ventriculis, lunâ crescente dissectis, reperiri dicuntur lapilli *Chelidonij* dicti, coloris nigri, albi, rubentis, varij, ad diversos usus medicinæ utiles, ac idonei. *Luscinia* seu *Philomela.* 1. Pariter notissima nobis est avicula, non tamen in partibus montanis, sicut nec in regionibus frigidioribus. 2. Est avis canora, si quæ ulla alia, & ferè mille vocum, juxta illud Poëtæ:

Tu Philomela potes, vocum discrimina mille,
Mille potes varios ipsa referre modos.

3. Ambitiosa, gloriosáque est avis luscinia, neque tam sibi pavo ob caudæ pulchritudinem, quàm ipsa propter cantûs suavitatem sibimet applaudit. *Unde si in solitudinibus concinat, simplicem omnino cantum edit, & apparatu nullo, velut sibi canens tantùm: sin verò præstò sint auditores, perdulcem imprimis, variúmque multô apparatu compositum.* 5. Non omnibus autem in locis æquè vocales, & canoræ sunt: *Montanæ enim, eas, quæ in vallibus, & locis palustribus victitant, harmoniâ vincunt.* 6. Æstate adultâ non diù apparent, sed se se abdunt, ac latent, & sub autumno usque ad vernos dies conduntur, ut testatur etiam Philosophus, naturæ Historiæ lib. 10. cap. 19. 7. Nidificant aliquæ humi sub sepibus, & arborum truncis, nonnullæ in ipsis fruticibus viridibus, & densis: in dumis etiam, rubísque libentissimè latitant: sub quercuum pariter ramis, sub vitibus, & myrtis. 8. Victitant vermibus (& præsertim dum in caveis sunt vermibus farinaceis) ovis item formicarum. *Milvi.* 1. Milvi sunt ex accipitrum genere. 2. Tria sunt illorum genera, nigrum, album, & regale. 3. Est avis clamosa, & perpetuò obstrepens. 4. Volat valde sublimè, præsertim falconem fugiens. 4. Tonicum sæpè in sublimi, caudam huc illuc movendo volatum dirigit. 5. Dum prædam speculatur, in orbem circumvolat, dum in prædam irruit, rectè, & unico impetu se dimittit. 6. Ubique ferè gentium sunt milvi: sed tamen loca mutant, modò frigus, modò nimium æstum evitaturi. *Pavo.* 1. Inter pavones, mas toto cælo à fæmella discrepat pennarum pulchritudine. 2. Capite, collo, & pectoris initio, coloris est intensè cærulei. 3. Caput pro corporis mole exiguum, duabus oblongis maculis candidis ornatum. 4. In vertice habet apicem, plumulis tenerrimis viridescentibus, ac in summitate ejusdem coloris, veluti liliorum flores ferentibus conspicuum. 5. Collum longiusculum, & admodùm tenue. 6. Rostrum candidum. 7. Caudam ita dispositam, ut quasi in duas dividatur, cujus pennæ extensæ longiores, omnes castanei sunt coloris, lineis

neis aureis elegantissimis sursum repentibus decoratæ. 8. Harum pennarum oculi, ex viridi quasi chrysolythi splendore, & auri, ac sapphyri coloribus distinguuntur. 9. Hujuscemodi verò oculi quatuor circulis constant, primô aureô, secundô castaneô, tertiô viridi, medium locum cæruleus, seu sapphyrinus obtinet. 10. Sub his pennarum oculis modò viridis, modò castaneus est color. 11. Hi autem omnes colores mirè ad solis splendorem variant, paulatim in alios, atque alios transeuntes. 12. Coxæ, tibiæ, atque pedes cinerei sunt, maculis nigris conspersi, & calcaribus armati. 13. Venter ex superiori parte nigrescit, aut saltèm fuscescit. 14. Loca edita amant. 15. Mundiciei singulariter sunt amantes. 16. Usitatissimum est ova pavonia gallinis incubanda subdere. *Idque ex eo, quoniam pavo mas, dum fœmella incubat, advolans, ova frangere solet.* 17. Vescuntur omnis generis frumento, sed hordeo maximè oblectantur, in summa tamen frumenti inopia herbas etiam devorant, aliqui & serpentes ab eis edi dicunt, pyrorum quoque, & pomorum granis, ac fœcibus in primis gaudent. *Struthio Camelus.* 1. Avis est maxima, partim anseri, partim camelo similis. 2. Rostrum habet exiguum, sed acutum. 3. Caput parvum exiguis pilis præditum. 4. Palpebras utrinque habet, ut homo. Collum longissimum. 5. Dorsum latissimum, cujus pennæ lanæ quandam substantiam suâ mollitie efficiunt. 6. Alarum pennæ ejusdem coloris sunt cum dorso, nempe in mare nigerrimæ; in fœmella fuscæ; in superiori tamen parte candidissimæ. 7. Coxæ prægrandes. 8. Femur humano non absimile. 9. Crura, camelorum cruribus similia, frequentibus squamis, ijsque durissimis firmata. 10. Pedes more boum bifidi in binas ungulas dividuntur. 11. Vorant fructus, ossa, lapides, ferrum, & quidquid ferè attingunt.

§ XX.

Descriptio Avium peregrinarum.

Peregrinarum avium nomine hìc intelligo, eas, quæ in novo orbe, seu America, ac India potissimùm reperiuntur. Prima igitur sit avicula quædam minima, quam Indi *Hojtzitziltotolt* vocant. Plumis variorum picta colorum, cui ea est natura, ut non diutiùs vivat, quàm flores herbarum, quarum alitur melligine, durent superstites. *Nam postquàm herbæ marcescunt, àvicula hæc ad pinus aliásque arbores se confert, eísque rostro affixa, manet appensa, donec transeuntibus brumalibus mensibus, ac amicis herbis rursus ortis, atque florentibus denuò revivifcat, similes vices plu-*

pluries subitura. 2. In *Insulis Magellanici* freti, reperiuntur aves ex anserum genere, alarum expertes, sed earum locò binas parvas coriaceas pinnas habentes; in latera, tanquam brevia brachia propendentes, angustis, & rigidis pennis confertim tectas, minimè quidem ad volandum aptas, sed quarum adminiculo velociter natant. Hæ non nidificant, ut aliæ aves, sed scrobes valdè profundas in littore cuniculorum instar fodiunt, vix aliquando è pelago prodeunt, & terram nonnisi fætificationis, vel pullationis tempore petunt. Piscibus duntaxat vescuntur, non ingrati tamen sunt saporis. 3. *Avium genus quoddam apud Indos est, quod passeris stulti nomine Europei indigitârunt, ob nimiam simplicitatem.* Hæc enim avis manus apprehendentium non fugit, neque timet, admiratur solùm, ac stupet, appetentibus nautis, perindè insidet, ac arboribus, ac capi se sinit, imò spontè accedit, ac subit manus. 4. Avis ovi magna *Daye* dicta, celebris est ob ovorum, & pullorum insolentiam, hæc enim licèt magnitudine columbam non superat, ova tamen anserinis majora ponit, eáque numerosa, quinquagena, & plura quandóque, quæ in locis sabulosis in profunda scrobe collocat, ex quibus citra incubantis parentis opem, per radiorum solis, ac terræ tepo-rem pulli excluduntur, & exclusi statim evolant. 5. Minima quædam avicula est, quam Indi *Guitguit* appellant, regulo est similis, viridi colore, & svavi nutrimento. Hæc tantula avicula, tantæ est audaciæ, ut corvorum examina audeat persequi, eósque cogat ubilibet latitare, & se adversùs illam in arundinetis tueri. 6. *Passer longirostri*, sic dictus, quòd portentosæ magnitudinis rostrum habeat, utpotè, quòd universi reliqui corporis longitudinem penè adæquet. Domestica est avis, salices insidet, alitur quovis nutrimento, & quibúsque etiam in regionibus, ad quas deportatur, vivit. 7. *Manucodiæ*, seu *Paradisiacæ Aves*, veteribus omninò erant incognitæ, successu temporis, reperto novo orbe, venerunt etiam Europeis in notitiam, sed non sine cognitionis errore. Credebantur siquidem hæ aves carere pedibus, & in aëre semper manere suspensæ, neque nidificare, sed fœmellam in fovea dorsi maris ovis imposita, incubare, atque sic pullos excludere. Novissimis tamen navigationibus deprehensum est, has quoque aves pedes habere, sed exiguos planè & tenues, ac consequenter subinde saltèm arboribus quoque insidere, & more aliarum avium nidificare, ac ovis incubare, & pullos excludere. Sunt autem hæ aves corpore omninò exiguæ, longissimas tamen, easque elegantissimas varij, & exquisiti coloris plumas habentes, magnam sanè venustatem toti aviculæ corpori addentes. De quibus, cùm jam suprà Paragrapho 13. aliqua dixerimus, plura hîc addere supervacaneum esset. 8. Admirandi opificij est avis (ut ait Nie-

rembergius) quam Indi caput nocturnum, seu *Chilli*, nostrates avem cornutam appellant. Assurgit illi à rostri exortu corona quædam, aut orbis in tres divisus cuspides, ab anteriori verò alarum bini aculei contorti exoriuntur, atque his armis avicula imbellis, adversùs fortiores se defendit. 9. Est alia avis apud Indos non infrequens, ridibunda dicta, eo, quòd risûs humani sit imitatrix, & æmula. 10. Alia nuncupatur *Avis barbata*. Est hæc passere minor pilis quibusdam ad rostri radicem circumcirca propendentibus, barbæ instar, unde & nomen usurpavit. 11. Invenitur in India *Corvus candidis aliquibus pennis investitus*. Sed & Insula *Cirne* alit corvos triplici colore variegatos, & duplò majores, quàm sunt in Europa. 12. Mexicano pelago indigena est avis *Corvus aquaticus dicta*, versatur ea circa lacus, ac piscibus victitat, miræ colorum varietatis plumis à natura donata. Plumas enim internas habet fuscas insertas rubris, superiores verò promiscuè purpureas, subnigras, virides. Alæ quoque viridi splendentíque subtus pellucent colore, qui pro varijs solis repercussionibus variat, atq; mutatur. Supernæ autem propè exortum passeæ sunt, deinde verò viridi, atque pavonio spectabiles colore. 13. In Asia quoddam genus est anatum, quod voce cornuum sonitum, quæ inflare solent per dispositos equos iter facientium Duces, seu postarij, ad amussim imitari dicitur. 14. Sunt, & *Aves non consistentes* dictæ, quas Indi *Aves varij capitis* vocant, de anatum genere. Sunt hæ aves universo penè corpore candenti, nigro atque cinereo. Sed circa collum, & caput, purpureo, albo, cyaneo, viridi, atque ad solis repercussionem vario, ac pavonio. Heliotropiæ vestis instar. Non egreditur ex aqua hoc genus anatis, sed perpetuò natat, cui crura natatûs idonea tantùm, miniméque ad incessum natura concessit. 15. Circa *Ferrensem Insulam*, quæ est inter *Norvegiam*, & *Islandiam* sita, avis est Mergus marinus à Gesnero nuncupata, quæ pariter terram nunquam attingit, nec ad volandum usum alarum habet, nec pedes ad incedendum, quò fit, ut non nisi capite ex aqua extet, quando se prospiciendam præbet. Fœtum in undis educat, nec non nisi procelloso mari, ac circa autumnum, hyemísque initium conspicitur. 16. Venustum genus aquilæ, ac insignito capite *Regium*, reperitur apud Indos, magnitudinem circiter vulgaris arietis æquans, & audaciam ferocium etiam animalium superans, mitescit tamen, & cicurari potest, ac aucupio, & venationibus non minùs, quàm reliquæ aquilæ, vel accipitres, inservire solet. 17. Insulam novi orbis, cui *Hispaniolæ nomen impositum est*, ajunt svavissimi concentûs aviculam incolere? Tribus hæc vocibus canit, seu tribus quasi indivisibilibus modulis variat cantum, ita ut uno spiritu multos formare videatur tonos, tanquam

si à tribus prodirent gutturibus. Nulla hâc ave alia putatur jucundioris cantûs, & inexplicabili propemodum dulcedine, longè præstare Lusciniæ cantui. 18. Minus quidem grati, sed pertinacioris cantionis est, avis mas, *Passer aquaticus nuncupata*, quæ non minùs occinit, quàm sol pergit, ab exortu enim usque ad occasum solis contumaci sonitu garrit. 19. Avicula *florida* nuncupata, amœna tam auri, quàm palato est; cantat, & editur svaviter, vermiculis, & seminibus vescitur; multicolor est, pennâ pallet, nigrescit, candet, ex parte quoque est fusca. Ubique in Indijs est incola. 20. Hanc adhuc superat varietate colorum *Avis pulchra* dicta, huic enim nullus negatus est color, unde varietas colorum dedit ei pulchritudinem, pùlchritudo autem nomen. 21. *Chiappa* Regio quosdam accipitres fluviatiles nutrit, monstrosis pedibus, quorum alter est anserinus, alter aquilinus, unô innatat, alterô raptat prædam. 22. Famosæ, & fœdæ ingluvie sunt aves dictæ *Auræ*, accedunt ferè ad magnitudinem aquilæ, morticina, & stercus humanum, ac aliæ sordes earum serviunt gulæ, pernoctant in arboribus, & rupibus, manè advolant ad oppida & urbes, speculantur ab editioribus locis plateas, & quidquid immundum est, aut exanime devorant, & à sordibus plateas repurgant. Unde in aliquibus Provincijs lege latâ, pœna infligitur occidenti has aves. Alarum insigne commendat certas aves Indicas humerorum rubeorum, qua ex causa Hispani honorifico nomine *Aves commendandorans* vocant, quòd æmulentur equitum militarium insignia, simili rubore, ad latus fulgentia. In caveas conjectæ, voces reddunt humanas, & lepidè garriunt, cantant, ludúntque sive caveis includantur, sive liberè per domos, incedere permittantur. 24. Ex moluccanis Insulis, avis *Nogra* dicta deportatur in Indiam, quæ Psitaci faciem universim exprimit, & cantu quoque ad amussim eundem æmulatur, imò jucundâ viriditate coloris etiam exsuperat, hoc sibi tantùm peculiare vendicat, quòd educatorum suorum, aliorúmque adstantium, capita & barbas, utì & aures, dentésque linguâ suâ blandè difricet, aut colliniat, emungat, & emundet, adeò ut illarum altoribus ex his gesticulamentis, oblectationis haud parùm emergat. 25. In Provincia *Tecolothlani*, summè æstimantur aves pennipulchræ dictæ, utpotè quarum plumæ ipsi auro præferuntur, ob admirabilem pulchritudinem, ac colorum elegantiam, ac varietatem, usúmque maximum, longiores etenim adhibentur ad cristas, & alia capitis, ac universi corporis belli, pacísque ornamenta, cœteræ verò ad diversa textilia opera, & rerum quarumvis, sed præcipuè Divorum exprimendas formas. Unde ibidem magnâ cavetur curâ, ne quisquam eam occidat, tántùm licet eas plumis exuere, ac deplumes dimittere, nec omnibus,

bus, sed tantùm Dominis: sunt enim optimorum prædiorum locò, & transeunt ad hæredes, ut testatur *Franciscus Hernardus.* Incolæ easdem vocant *Quictzaltototl.* 26. His ferè suppares sunt aves *Tzinitzian* dictæ. Vivunt hæ in calidis juxta oceanum australem regionibus, plumis multorum colorum vestitæ, quibus imagines miræ subtilitatis intexunt indigenæ, quô opificiô, universo orbi jam innotuêre. Pulcherrimæ hæ aves sunt, si quæ aliæ. Occisor quoque hujus avis, capitis pœnâ censetur, quare deplumant illas duntaxat, atque sic dimittunt. 27. De Rhinocerote ave, hæc scribit Aldrovandus in Bisulcis. *Rhinoceros avis* volatu admodùm pernici, & incitato fertur esse, corporis magnitudine superare aquilam, rostro incurvo, quatuor pedes longo, inter oculos cornu extante. Est autem hæc avis crudelis, & inmansveta, sequitúrque exercitus, & cadaveribus pascitur. 28. Huic opposita est avis Montana *Tepitototl* dicta, anseris magnitudine, hæc enim adeò fit mitis, ut cibum apprehenso domesticorum pallio exigat, pulsétque rostro clausam januam, ubi aliquo ei intrare opus est. Herúmque sequatur, si libera est, venientémque alacriter, applaudénsque excipiat. 29. *Hejtlallotl* est avis humipeda, ac modici volatûs, sed adeò pernici cursu, ut equorum velocissimorum agilitatem longè superet. 30. In Insula Indiæ *Hapti*, à nostris verò Hispania dicta, sunt aves, quæ vultures aquatici nuncupantur, diversi generis pedes habentes, sinistrum quidem anatum, aut anserum, ac aliarum avium in mari degentium instar, dextrum verò curvum, & ad capiendam prædam idoneum, ut vultures, falcones, aut aliæ aves curvis unguibus præditæ. Itaque, & pisces in mari, & aviculas minimas in aëre, & lacertas in terra venantur, ac prædantur. 31. Est avicula magnitudine parva, quæ voce, ac cantu omnes alias aves superat. Inde eam à concentu multiplici Indi, *Cenconthatolli*, hoc est quadringentæ linguæ vocis. Vincunt omnes aves svavitate cantûs, & arbitrio gutturis nullius non imitatur, nullius non superat. Philomelæ longissimé præstant. In caveis ad blandities auditûs, ad portentum, & miraculum naturæ servantur. 32. Insulæ *Farræ* nuncupatæ ab avium variarum, earúmque peregrinarum nobilitate sunt insignes. Has inter sunt aliquæ, quæ terram nunquam ingrediuntur, utique pedibus, ad incedendum inutilibus præditæ: sunt & aliæ, quæ nec volare nec incedere unquam visæ sunt: aliæ sunt, tempestatum prænunciæ, & in alto oceano solùm versantur; quas ubi conspexerint piscatores, exhorrescunt illicò, & littora legunt magnâ celeritate, certi, tempestatem in propinquo esse noxiam. 33. Agmen hujus Dissertationis claudat minima quædam avicula Peruana, de qua Ferdinandus Oviedus sic scribit. *Reperiuntur (in Regno Peru) quædam aviculæ adeò exi-*

gua,

guæ, ut extremi pollicis articuli magnitudinem non æquent, & pennis evulsis, ejus dimidiam partem, vix excedant. Hujus aviculæ volatus adeò celer, & præceps est, ut alarum motus, non magìs conspici queat, quàm crabronis, (vel ut Lerius *in historia Americana ait, scarabei) neque quisquam prætervolantem videat, quin crabronem (vel scarabeum) esse existimet.* Cujus aviculæ plumæ elegantibus coloribus sunt præditæ, aureo, viridi, & alterius generis. Rostrum habet pro corporis proportione, illúdque adeò tenue, ut acus, quâ vestes sartiuntur, magìs exilis esse nequeat, in tantùm autem est in cantu assidua, ut nemo qui non audiret, conspiceret, ex tanto corpusculo, tam svavem, & sublimem cantum prodire posse sibi persvaderet, sic, ut Lusciniæ nostræ cantui non cedat. Ita *Lerius* citatus in sua historia Americana.



DISSERTATIO VI.
PISCATIO PHILOSOPHICA.
SEU
DISSERTATIO PHYSICA CURIOSA
DE PISCIBUS.

AUcupio Philosophico, in nuperis Ephemeridibus instituto, si in præsentibus succedat Piscatio Philosophica, haud incongruum fore puto. Non minùs enim jucundam, nec minùs curiosam, hæc, ac illud, intellectui, serijs studijs lasso & fatigato, relaxationis & recreationis præbebit materiam. Quare eâdem ferè servatâ Methodo hanc de Piscibus, eorúmque natura & proprietatibus, internâ & externâ corporis constitutione, Antipathia & Sympathia, diversitatéque generis ac specierum, alijsque in ijs mirandis, singula examinando, rimando, & ad rationes naturales seu Physicas (quantum fieri poterit)

terit) reducendo, breviter ac compendiosè inſtituemus præſentem hanc Diſſertationem. Sit igitur:

§ I.

De ijs quæ ad Generationem Piſcium Oviparorum pertinent.

1. PIſces inter Ovipara numerantur. *Patet id experientiâ, Piſces enim fœmellæ ovis turgent, ováque ſua deponunt, ex quibus dein piſciculi generantur.* 2. Piſcium Oviparorum uterus quodam modo bifurcatus eſt. *In duos ſiquidem dividitur ſinus.* 3. Ovum Piſcium eſt Arenidum, ita ut appareat quaſi unum, quod tamen fit ex pluribus alijs, velut ex parvis arenis compoſitum. *Quod inde provenit, quia uterus piſcium eſt ovis innumeris ſtipatus, igitur ova conſtipantur, quodammodo in unum ovum arenidum ac diſſolubile in plura alia parva ova.* 4. In parvis tamen piſciculis nihil aliud apparet niſi duo ova arenida, *quia membrana citerior propter ſuam ſubtilitatem effugit viſûs aciem, adeòque nihil aliud apparet, niſi duo ova arenida.* 5. Piſces itaque dum parturiunt effundunt ſua ova. *Quæ ubi mas Piſcis aſperſerit ſuo lacte ſeu ſemine genitali, fœcundantur, ac ſic ex ijſdem, piſciculi generantur*, ut opinatur Ariſtoteles lib. 6. Hiſtoriæ Animalium cap. 13. 6. An verò plura ova Piſcium requirantur ad unius Piſciculi generationem, dubitant aliqui. *Sed verius eſt ad unius Piſciculi generationem ſufficere unum duntaxat ovum piſcis, cùm nec experientia aliud probet, nec ratio aliud dictet.* 7. Sed an ex omnibus & ſingulis ovis generentur piſciculi? Reſpondetur negativè. *Sic enim immenſa fieret piſcium multitudo, cùm ova piſcium videantur eſſe innumerabilia.* 8. Plurima proinde ova Piſcium etiam jam ab ijs depoſita diſpereunt ſine fructu. *Magna ſiquidem eorum pars devoratur ab alijs piſcibus, imò etiam ab ipſis matribus, ſed præſertim à maribus ejuſdem generis, tunc fœmellas Piſces cùm ova ſua ponunt in magno numero ſequentibus, magna quoque pars eorum perit in aqua ac diffluit.* 9. Sola igitur eorum pars illa ad fœtum diſponitur, quæ in locis opportunis editur, ac deponitur. *Imo juxta Ariſtotelem nec hæc omnia, ſed ea tantùm, quæ mas Piſcis ejuſdem generis genitali ſuo ſemine ſeu lacte aſperſit.* 10. Hinc tempore illo quô fœmella Piſcis, ovis plena eſt, mas lacte ſeu geniturâ maximè abundat. *Ac proinde inde ſuam ſententiam Ariſtoteles proximô numerô adductam, confirmat.* 11. Hanc nihilominus opinionem Ariſtotelis, de maribus piſcibus, ſuper ova, à fœmella Piſce depoſita, genitali ſuo ſemine ſeu lacte ſuperinfuſione, recentiores ali-

qui

qui rejiciunt. *Tum quia frustrà aliàs coirent pisces, tum quia ova, lacteo illo liquore in aqua, vix aspergi possent, ille siquidem liquor, illicò commiscetur aquis.* 12. Ajunt hi præterea, Aristotelis hac de re opinionem, propterea non contemni temerè. *Dicunt enim hac in parte Aristotelem non suam sententiam aliquo experimento probatam, sed vulgi opinionem allegâsse, quandoquidem lib. 3. Historiæ Animalium Cap. 7. ipsemet dicat: De his nondum quidpiam exploratum haberi.* 13. Cur ergò pisces mares tunc, cùm fœmellæ ova sua deponunt, tanto numero easdem sequantur? *Non quidem ut edita ova lacte suo aspergant, sed ut novo coitu, ova illa quæ proximè ad partum accedunt, fœcundent.* Cæterùm propter infra dicenda, maneat sua opinionis Aristotelis authoritas. 14. Porrò pisces fœmellæ, non universa sua ova simul, sed successivè deponunt. *Quia & hæc, solùm successivè ad fœtum producendum maturescunt. Quod ipsum videre est in gallinis & avibus.* 15. Licèt autem pisces conveniant cum avibus in eo, quòd generentur ex ovis, adhuc tamen in generatione disconveniunt. *Quia scilicet aves duplicem habent meatum, seu umbilicum in sua ova, quorum alter tendit ad membranam, quæ subest cortici ovi, alter verò, tendit ad luteum ovi; at pisces habent unicum duntaxat meatum, seu umbilicum tendentem solùm ad luteum ovi.* 16. Est insuper alia differentia, inter ova avium & piscium. *Ova enim avium etiam quoad internam constitutionem, sunt prædita duplici colore, albo nimirum & luteo; atverò ova piscium, unicum tantùm colorem habent, medium inter candidum & luteum.* 17. Hic tamen medius color inter candidum & luteum, potiùs accedit ad candidum. *Ex eo nempe, quòd majorem humoris habeat copiam.* 18. Atque hunc colorem ova piscium retinent, tum antequam incipiant maturari in fœtum, tum etiam postquam maturari incipiunt in piscem. *Neque enim est ulla causa alicujus mutationis quoad colorem, respectu generationis pisciculorum.* 19. De cætero, generatio piscium oviparorum, similis est generationi avium. *Nam primò tam aves quàm pisces nascuntur in suprema parte ovi, deinde in utrisque apparet, ante efformationem aliorum membrorum cor, & venæ, quæ ab ipso corde oriuntur.* 20. Similiter ut in avibus recenter genitis, ita & in pisciculis partes superiores & præsertim caput & oculi, sunt majores & excedentes proportionem aliarum partium. *Quia hæ sunt principaliores partes in illis, quibus successu temporis reliquæ quoque proportionantur.* 21. Pari ratione sicut in avibus, ita & in piscibus crescente fœtu decrescit ovum. *Quia totus humor ovi sensim ingreditur in alvum pisciculi, sicut in avibus, totus vitellus in alvum aviculæ.* 22. Præterea tam in avium quàm in piscium ovis, duæ sunt membranæ, quarum una, exterior scilicet, ambit fœ-

cum simul & ovum, altera interior solum fœtum. *Atque hæc altera separat fœtum ab humore ovi, qui intercipitur inter dictas duas membranas.* 23. Demum eodem modo, quo trahunt avium fœtus ex alimento luteo, piscium fœtus trahunt alimentum ex albo, à quo nutriuntur. *Pisces siquidem sunt magìs humidi, quàm aves, & hæ magìs carnosæ: album autem in ovis utpotè magìs humidum, magìs subservit humiditati, & luteum in ovis, magis carnositati.* 24. Sæpiùs ova piscium, videntur ad instar uvæ conglutinata. *Quæ conglutinatio fit per uliginem ovis obductam, atque hæc uligo producitur vel ab ipsa fœmella pisce, parturiente*, vel ab aqua. 25. Accidit autem, quòd quandóque etiam ipsis ovis jam editis adhæreat aliqua uligo: *Quæ tamen non est alimentum ovi, sed potiùs illius tegumentum, quô contegitur, nec ab ambiente humore subigatur, & maceretur.* 26. Aliqui existimant ova à piscibus edi imperfecta, & postquam edita sunt, crescere & perfici. *Atque hæc sententia fuit, ipsius etiam Aristotelis.* 27. Alij tamen ajunt, nullam rationem esse id asserendi. *Est siquidem in ipsis ovis piscium, statim ac eduntur, sufficiens materia ac dispositio ejusdem, ut ex illis oriatur pisciculus ad instar ferè pili ab initio.* 28. At unde tot ova in fœmellis piscibus formantur? *Inest siquidem illis fundamentum ovarij, ex quo tanquam ex planta pendent, pullulant, ac vegetantur, non secus ac in gallinis, & alijs altilibus, vitelli nascuntur ex vitellario.* 29. Quin etiam in maribus piscibus ingens copia est lactis, seu genituræ. *Vix enim in maximis animalibus tanta invenitur genituræ copia, idque eo tempore, quo fœmellæ pisces plenæ sunt.* 30. Hinc clarum est inter pisces quoque dari, differentiam sexûs: *Alij siquidem ovis turgent, alij his carent, sed lacte, quod in illis est ipsum prolificum semen, abundant.* 31. Nonnulli tamen inter rubelliones & passeres pisces, differentiam negant sexûs. *Quia quotquot capiuntur hujusmodi generis pisces, ijsdem ova insunt, adeóque omnes parere concluduntur.* 32. Hanc tamen identitatem sexûs, etiam in prædictis piscibus, alij constanter negant. *Ajunt enim & rubelliones ac passeres pisces sine ovis quandóque reperiri, atque hos esse mares.* 33. Pari ratione omnia Testacea, Aquea, sine differentia sexûs esse dicuntur. *Quia scilicet circa coitum simile sibi generant, & suo modo pariunt, sed id quoque alij ex opposita ratione negant.* 34. Sic etiam anguillas, Aristoteles opinatur nullius esse sexûs. *Verùm nec hoc est omninò certum, cùm enim quasi capillares anguillæ reperiantur, ab insensibili ferè primordio, ortum ducere possunt. Adde quòd serpentes, seu potiùs angues, cum anguillis coire dicantur (nisi fortè fabula sit) igitur sexu omni non carent.* 34. Meritò autem ab Aristotele, rejicitur eorum error, qui dixerunt omnes pisces non Cartilagineos esse fœminas,

minas, nullum autem marem, sed fœcundas dici fœminas, infœcundos dici mares, eo pacto, quo plantæ fœcundæ, ut olea dicuntur fœminæ, steriles ut oleaster dicuntur mares; *Idque ex eo, quòd non minùs in piscibus non cartilagineis, dantur partes seminales, quàm in cartilagineis, nec minùs in his aliqui pisces habent uteros, alij non habent, sed ex hac ratione in illis alij sunt mares, alij fœmellæ, ergo & in his.*

§ II.

De generatione Piscium Viviparorum.

1. NOn omnes autem Pisces sunt ovipari, hi enim qui vocantur Cartilaginei, sunt vivipari. 2. Hi tamen ipsi ab initio concipiunt ova, *Sed ijs intra uterum auctis & perfectis, atque exclusis, pariunt vivum animal.* 3. Unde ovipari & vivipari diversos habent uteros. *Ovipari enim habent uteros inferius constitutos ac divisos in duos sinus: At pisces vivipari uteros habent uteris avium similes.* 4. Licèt autem verum sit de omnibus piscibus cartilagineis quòd non sint ovipari, sed vivipari, excipitur tamen rana marina. *Hæc enim esto sit cartilaginea, non parit tamen animal, sed ovum.* 5. Hoc item peculiare habent inter pisces cartilagineos, ij qui sunt ex genere Mustellino, ut filios jam editos iterum intra se recipiant, ac cùm libuerit emittant. *Unde si tali tempore capiantur similes pisces fœmellæ, inveniuntur complures ex fœtu in earundem utero, & jam editi, sed rursus recepti pisciculi.* 6. Ex piscibus tamen Mustellinis Spinax seu Spinus piscis, non recipit intra se fœtus ampliùs, postquam semel eosdem ediderit. *Quia nimirum impeditur à spinis ipsiusmet fœtûs.* 7. Ex piscibus item latis cartilagineis neque Raja, neque Pastinaca (sic dicti pisces) suos intra se fœtus suscipiunt. *Impediuntur siquidem ab hac receptione prolium, caudæ ipsarummet asperitate.* 8. Rana quoque marina licèt sit cartilaginea, non recipit ampliùs fœtus. *Inhibentibus nempe spinis filiorum, nec non capitis eorundem magnitudine.* 9. Omnia autem cartilaginea, simul & ova parte superiore circa præcordia continent, eaque plura, atque ex his alia majora, alia minora; & ex parte inferiore fœtum seu animalia, jam ex ovo exclusa. *Unde fit ut hoc genus piscium sæpiùs per annum pariat, quippe quòd non universa simul ova edere solet quæ concipit, sed particulatum partum repetere, diùque eundem peragere, ut dum superiùs ova contrahit, inferiùs eadem excoquat, & fœtum perficiat, ut scribit Aristot. lib. 3. cap. 10. Histor. Animal.* 10. Illud speciale est inter pisces viviparos, in Delphinis, quòd fœmellæ

mammas habeant. *Fœtus enim suos lactando nutriunt.* 11. *Hæ tamen Delphinorum mammæ papillis carent.* At illorum loco, duos quasi alveos ex utroque latere habent, quibus lac fluit. 12. Illud demum notat Aristoteles lib. 6. Histor. Animal. cap. 12. Delphinum, Balenam, & alia Cete, quæ non habent branchias, sed fistulam, quâ respirando aërem trahunt, non ovum, sed statim ab initio animal gignere. *Quod inde ait colligi, quia in nullo horum unquam inventum est ovum, sed statim ab initio inventus est fœtus*: ex quo paulatim formato generatur animal, non aliter quàm homines, & quadrupedes, concipiunt ab initio fœtum, qui deinde paulatim formatur in animal.

§ III.

De alijs modis Generationis Piscium.

1. SUnt aliqui Pisces, qui licèt primordio ex ovis generentur, nascuntur tamen etiam ex terra, limo, arena, in locis palustribus. Nam ut testatur Aristot. lib. 6. Hist. Animal. *Stagnis sub Canis stellæ ortu exsiccatis, & limo jam arido, ubi primùm restagnant, talia loca, prodeunt non rarò pisciculi generis mugilum.* 2. Imò sunt qui putant omne genus mugilum sponte nasci, *Sed non rectè, nam & ova eorum fæmellæ, & mares lac, seu semen genitale, communiter habent.* 3. Est tamen aliud genus pisciculorum juxta opinionem Aristotelis, (quod ipse Apuas vel Aphyas vocat) quod asserit præcisè ex limo nasci. *Id enim nec ova habet, nec alium sui generis pisciculum parit.* 4. Hoc autem genus pisciculorum non nisi tempore tepido capitur. *Utpote quando de humo ad superiorem partem aquæ, teporis causâ prodeunt.* 5. Quin per solam agitationem terræ vel limi, detractâque ejus colluvie, major eorum copia prodit. *Atque hinc Aristoteles eos ex limo præcisè nasci, majus argumentum sumit.* 6. Id ipsum tamen non præstat omnis terra vel limus. *Sed in certis tantùm locis, ad hanc generationem à natura dispositis.* 7. Quin & ex spuma maris, cùm ea admisso imbre incaluerit, oritur pisciculus, qui in spuma fluitat, ut vermiculus in fimo. *Ac propterea etiam hic pisciculus spumæ nomen accepit.* 8. Gobiones quoque parvos & ignobiles pisces, ex terra nasci aliqui existimant, uti & membradas, ex quibus sardellæ pisces oriuntur. *Et hoc asserit ipse quoque Aristoteles.* 9. Sic & Anguillæ secundùm eundem Aristotelem, nec per coitum generantur, nec pariunt ova; *Nec enim ulla capitur, quæ vel habeat ova, vel genitale semen.* 10. Atque hoc unicum genus inter sanguinea

guinea

guinea sinè coitu generatur, quod inde colligitur: *Quia in nonnullis fæculentis stagnis aquâ omni exhaustâ & limô detractâ, anguillæ de novo generantur, ubi aqua pluvialis accesserit.* 11. Videntur tamen anguillæ quoque habere aliquam virtutem gignendi. *Ex eo quòd in aliquibus inveniantur lubriculi, ex quibus anguillas generari existimant nonnulli.* 12. Verùm Aristoteles opinionem hanc pro errore computat. *Dicens lubriculos illos non ex anguillis ipsis, sed spontè ex luto humescentéque humo provenire, esséque mera intestina terræ, sícque dici debere.* 13. Dicta autem intestina terræ, ait oriri in stagnis putredini obnoxijs, in mari verò ex algis, in fluvijs ex limo juxta ripas. *Calor enim ampliùs has partes subiens, faciliùs easdem facit putrescere, sícque ad generationem eorum, illas rectiùs disponit.* 14. Hinc si sicca anguilla, vel ejusdem pellis conscindatur in frustilla, & hæc in aquam putridam injiciantur, successivè ex ijsdem anguillæ generantur. *Quod signum est eas habere omnes sui corporis partes seminali virtute præditas.* 15. E contra verò recentiores, ex hoc ipso argumento ajunt, nec anguillas, nec ullum aliud vivens (saltèm perfectum) præcisè ex putri vel luto nasci. *Verùm in omnibus genituris viventium, præcedere, & intervenire, aliquam partem seminalem, ejusdem speciei viventis, cujus est de novo generatum vivens.* 16. Hinc à fortiori deducitur, Lampetras Hungaricas, ex putri vel limo, minimè nasci, licèt palustribus delectentur locis. *Nam aliæ ex ijs ovis turgent, aliæ lac continent.*

§ IV.

De Tempore & Loco Generationis Piscium.

1. NOn omnes Pisces eodem tempore pariunt. *Pleríque tamen pariunt mensibus, Martio, Aprili, & Majo. Autumno pauci ídque paulò post æquinoctium.* 2. Etiam ejusdem speciei pisces, alicubi prolem copiosiorem, eámque frequentiùs pariunt, quàm alibi locorum. *Nam ut observat Aristoteles lib. 5. Histor. Animal. cap. 1. Ut stirpium & quadrupedum animantium generi, regionis & climatis, ubi sunt, constitutio, ita & generi piscium subservit, illúdque adjuvat.* 3. Pisces fluviatiles & lacustres, ut plurimùm quinto suæ ætatis mense concipiunt, & intra annum omnes pariunt juxta Aristotelem. *Id quod verisimile esse videtur, cùm antequam ad justam magnitudinem perveniant, jam reperiantur ovis turgere.* 4. Sed neque omnes pisces in ijsdem locis ponunt sua ova. *Nam ex marinis alij ea ponunt in alto mari seu gurgite aquarum, alij in scopulis &*

saxis, alij sub littoribus, alij in arena vel limo, juxta specierum suarum rationem. 5. Eadem ratio est de piscibus fluviatilibus. *Nam & hi alij ova sua in arundinetis, alij in arena, alij in lapidibus, alij in arborum radicibus.* 6. Plures tamen pisces, præsertim ex gobiorum genere, propè terram pariunt, & ova sua ponunt. *Quia videlicet loca propè terram sunt tepidiora.* 2. *Quia loca propè terram escam præbent uberiorem.* 3. *Quia proles propè terram est tutior, ne à piscibus majoribus devoretur.* 7. Sic & cartilaginei pisces, vada & littora petunt, dum tempus pariendi instat. *Ut neque debito tepore careant, & fœtum securiùs deponant.* 8. Omnes autem pisces crescunt celeriter. *Sunt siquidem naturæ valde humidæ, humor autem ad incrementum plurimum conducit.* 9. Sunt verò pisces naturæ fœcundissimæ. *Unde ab Aristotele dicuntur esse in fœcunditate similes plantis: nam sicut plantarum corpus est, ut edant plurima semina, ita & piscium, ut edant plurima ova.* 10. Ad hanc verò fœcunditatem conducit terræ quoque & aquæ qualitas. *Unde aliqui fluvij sunt longè magis piscosi, quàm alij; imò & ejusdem fluvij aliqui tractus præ alijs. Sic Tibiscus incomparabiliter est piscosior, Savo, Dravo, & ipso danubio, adeò, ut tertia pars Tibisci dicatur, piscium esse, & duæ aliæ aquarum, licèt hoc hyperbolicè sit dictum. Sic trutæ majores, quas nos Galoczas nuncupamus, in certis tantùm tractibus Vagi, & Husones solùm in certis stationibus Danubij reperiuntur & capiuntur.*

§ V.

De peculiaribus & potioribus partibus, constitutionis externæ Piscium, nempe Branchijs & Pinnis.

1. Pisces carent quibusdam partibus, quas habent alia animalia. *Carent siquidem collo, brachijs, & cruribus.* 2. E contra præditi sunt quibusdam partibus peculiaribus, quibus carent alia animalia: *Cujusmodi sunt branchiæ & pinnæ.* 3. Branchiæ autem piscium, sunt quædam veluti alæ rubræ, propè maxillas. *Atque his utuntur, ad aquam quâ refrigerantur, accipiendam, ac vicissim reddendam. Sicut enim alia animalia terrestria & aërea, aërem attrahendo & remittendo respirant, ita pisces loco aëris aquam attrahunt, eámque rursus emittunt.* 4. Plurimùm autem Branchijs, inter se pisces differunt. *In situ nempe, & qualitate, ac forma & numero.* 5. Alij namque pisces habent branchias tectas, alij detectas, & patentes. *Sic pisces spinati habent branchias tectas, quodam velut operculo, cartilaginei verò habent branchias apertas.* 6. Cur verò pisces spi-

nati habent branchias tectas operculo? Ratio est. *Quia cùm sint in motu celeres, possunt illas celeriter aperire, ac celeriter quoque claudere, atque sic celeriter respirare, quâ celeritate non solùm aperiunt & claudunt operculum, sed etiam meatus branchiarum, ut celeriùs aquam attrahendo, atque emittendo, refrigerentur.* 7. Cur autem pisces cartilaginei branchias habent detectas & patentes? Ratio est. *Quia talium piscium tam branchiæ quàm spinæ, quibus deberent tegi, constant ex cartilagine, tegi ergo his non possunt, cùm æquè sint patentes ac branchiæ.* 8. Rursus aliqui ex piscibus sunt nullis branchijs præditi, alij paucis, alij simplicibus, alij duplicibus. Ratio est. *Quia aliqui pisces sunt calidiores, ideóque indigent crebriori respiratione ad calorem refrigerandum; alij sunt minùs calidi, adeóque indigent minùs crebrâ respiratione. Sed crebrius potest respirari pluribus & duplicibus branchijs, quàm paucioribus, & simplicibus. Ergo.* 9. Quidam autem pisces carent omninò branchijs: *Atque hujusmodi sunt Delphini, Balænæ, & omne Cetorum genus, quòd locò branchiarum, fistulam in anteriori corporis parte habet.* 10. Porrò hujus fistulæ finis est, ut tales pisces aërem respirent. *Soli siquidem hi pisces pulmonem habent: animalia autem, quæ pulmonem habent, aërem respirant, non aquam.* 11. Per hanc tamen fistulam hi pisces aquam quoque eructant. *Quia cùm cibum capiunt, necesse est, ut cum cibo simul multùm aquæ hauriant. Ergo necesse est, ut habeant aliquod instrumentum, per quod aquam superabundanter haustam revomant: hoc autem instrumentum est dicta fistula. Ergo.* 12. Cur autem hoc genus piscium, licèt in aqua degat, pulmones tamen habeat? *Ratio est, quia animalia aquatica majora, debent esse calidiora, ut possint movere corpus tam vastum. Ergo debent habere pulmonem calidum & sanguineum, talia autem animalia indigent refrigeratione aëris. Ergo.* 13. Pinnis verò utuntur pisces alarum locò. *Nam sicut aves, dividunt aërem alis, sic pisces aquam pinnis.* 14. Plerique autem pisces quatuor pinnis sunt instructi. *Non desunt tamen pisces, qui duas solùm habent pinnas.* 15. Imò ex piscibus longioribus, nonnulli, nullas videntur habere pinnas: *Supplente hunc defectum longitudine, agilitate, & lubricitate, residui corporis.* 16. Porrò pinnæ piscium in obliquum, seu ad latera eorundem, sunt situatæ. *Ut scilicet commodius ijs uti possent, sic enim validissimè ac celeberrimè valent rumpere medium liquidum, eo modo, quo ut navigia possint pellendo aquam promoveri, debent habere remos, ex utroque latere egredientes.*

§ VI.

§ VI.

De Squammis Piſcium.

1. PIſces non ſolis pinnis & branchijs, ſed etiam tegumento differunt, ab alijs animalibus. *Non enim teguntur pilis, aut plumis & pennis, aut ſqualidâ cute, ſed plerique ſquammis.* 2. Hinc plurimi piſces ſunt ſquammei, pauci quidam ſunt ſcabri, pauciſſimi verò læves. *Porrò his qui ſunt ſinè ſquammis, de alijs natura providit, ab ingruentibus injurijs, remedijs.* 3. Cur autem plures piſces ſquammis inſtructi ſint? Ratio eſt. *Quia cùm humido innatent, & humor facilè ſubire carnem queat, nec non molliorem carnem ſubigere, ac macerare, ſolers natura ijſdem tribuit hoc munimentum, contra hujuſmodi incommodum.* 4. Eſto autem ſquammæ hæ, ſint duriores, inflexionem tamen corporis, in piſcibus, minimè impediunt, quæ reverâ ad motum corporis in piſcibus, neceſſaria eſt. *Hæc enim ſquammarum forma & ſeries ita diſpoſita eſt, ut quamvis eæ oſſeæ ſint ſubſtantiæ, rigorem tamen piſci non concilient.* 5. Porrò hæ ſquammæ, naturam plantæ habent, imò re ipsâ plantæ ſunt, *Creſcunt enim & nutriuntur proportionaliter, igitur ab intrinſeco.* 6. Hinc dum adhuc minor eſt piſcis, minores quoque ſquammæ ſunt. *Quæ deinde cum ipſo piſce creſcunt, & reliquæ partes corporis.* 7. Habent autem ſquammæ in ipſo piſce radicem, oſſeum quaſi nodum. *Quo ſcilicet piſci adhærent, & ex eo ſuccum alimentitium ſugunt.* 8. Unde ſine aliqua vi ſquammæ à piſce non avelluntur. *Adhærent ſiquidem firmiter piſci in illo oſſeo nodo.* 9. Succus autem ille ex quo ſquammæ excreſcunt, ſolùm excrementitius eſt. *Sicuti eſt ille, qui in alijs animalibus, in pilos, lanam, ſetas, & ſpinas abit.* 10. Latioris figuræ ſunt ſquammæ. *Latam ſiquidem oportuit eſſe ſquammam, ut melius tegeret piſcem, & una alteri commodiùs incumberet.* 11. Oritur autem ſquamma non ex poro, ſed ex rima, ſeu ruga piſcis; *Atque idcircò non ſine piſcis ſenſu avellitur.* 12. Cur autem ſquammæ non tantùm in longum, ſed ſtatim etiam in latum ſe extendant? Ratio eſt. *Quia ex lata quoque radice prodeunt, & ideò pili, qui ex orbiculari poro naſcuntur, teretes ſunt.* 13. Hinc ſquammarum uſus perſpicuus eſt; *His enim piſces velut loricâ armantur & teguntur, ut humoris ambientis vim retundant.* 14. Squammarum verò materia durior eſt; *Eſt ſiquidem terreſtris & oſſeæ naturæ.* 15. Un-[illegible] piſces ſquammei pro corporis mole non multa, eáque ſubtilia habent [illegible], vel ſaltèm ijs oſſibus carent, quibus aliorum animantium membra &

corpo-

corpora formantur; *Quòd scilicet durior alimenti portio squammis, mollior autem carni cedat.* 16. Et estò squammæ duriores sint, ac osseæ, curvari tamen possunt; *Quia duritiei adjunctam sibi habent subtilitatem, adeóque & flexibilitatem.* 17. Non omnium autem squammarum in piscibus est idem color; *Quæ diversitas coloris squammarum oritur ex diverso plexu fibrarum, & ex hac succi diversa percolatio, & præparatio; ex ista demùm diversus color.* 18. Hoc postremùm squammis piscium peculiare est, quòd de nocte præsertim vel in obscuro loco luceant. *Cujus rei eadem est ratio, ob quam agaricum, putridum lignum, luceola, cicindela in nocte aut obscuro loco luceant. Etenim in illa uligine, quæ superficiem squammæ obducit, multæ particulæ ignis insunt, licèt rarissimæ: lux autem ab igne inest.*

§ VII.

De alijs Partibus externæ constitutionis Piscium.

1. OMnes Pisces acutos dentes habent. *Quibus etsi cibum secent, malè tamen eundem secant, cùm non possint cibum diutiùs in ore retinere, sed debent illum celeriter vorare.* 2. Unde pisces carent dentibus planis. *Nam cùm non possint cibum diù in ore retinere, prout requiritur ad eundem molendum, frustrà haberent dentes planos ad cibum molendum institutos.* 3. Omnes penè pisces præditi sunt dentibus serratis; *Ita ut dum claudunt os, dentes superiores interserrantur inferioribus, excepto Scaro pisce.* 4. Imò nonnulli pisces plures habent dentium ordines. *Cuncta hæc à primis organizationis rudimentis consequuntur, juxta tamen intentum naturæ piscium talium.* 5. Quin aliqui pisces etiam linguam dentibus armatam habent; *Ex eadem ratione.* 6. Pisces linguam habent duram ac spineam. *Duriore ac asperiore materiâ ad eam efformandam concurrente.* 7. Aliqui autem pisces videntur linguâ carere; *Quia nimirum adhæret & affigitur inferiori parti oris.* 8. Quidam ex piscibus habent oris hiatum vastum, alij magis arctum; *Juxta indolem uniuscujúsque speciei, & proportionem ad escam, quâ vescuntur.* 9. Audiendi & odorandi instrumenta non sunt conspicua in piscibus; *Carent siquidem auribus & naribus.* 10. Licèt autem pisces circa loca narium habeant quosdam meatus, qui possunt censeri odorandi organa, adhuc tamen meatus illi non sunt organa odorandi. *Quia tales meatus in piscibus non deducuntur ad cerebrum, sed in quibusdam sunt cæci, atque exitu carent, in alijs autem ad branchias feruntur. Sed ut tales meatus essent organa odorandi, deberent ad cerebrum ferri.*

Ergo non sunt odorandi organa. 11. Nihilominùs pisces olfaciunt, adeóque sensu odoratûs sunt præditi. *Quia experientiâ habetur pisces, ut plurimùm nonnisi recenti escâ capiuntur, alliciuntur nidore escarum assatarum; à quibusdam odoribus fugiunt, ergo olfaciunt.* 12. Pari ratione, estò pisces careant auribus, audiunt tamen & sensum auditûs habent. *Habetur id quoque experientiâ, ad minimum siquidem strepitum, illicò diffugiunt.* 13. Imò aliqui existimant, pisces præditos esse auditu omnium animalium acutissimo: *Idque confirmant authoritate eorum, qui assiduè in mari versantur, qui asserunt frequentissimis experientijs, id se deprehendisse.* 14. Eodem modo pisces habent etiam sensum gustûs; *Nam delectantur quibusdam saporibus, & ad percipiendos sapores, linguam habent.* 15. Non desunt tamen pisces, quibus palatum carneum est linguæ locò; *Uti accidit in pisce cyprino, unde multi palatum illud carneum, eorum linguam putant.* 16. Oculi piscium carent palpebris; *Quia his non indigent: in aqua enim non volitant corpuscula, sicut in aëre, quæ ne in oculos incidant, indigemus palpebris.* Estò autem palpebris careant, oculos tamen habent, non duros, sed molles; *Quia cùm subinde ad longiora loca debent moveri, ut cibũ quærant, debent habere visum acutum, ideóq; oculos molles.* 18. Vocem propriè pisces non edunt; *Carent siquidem pulmone, arteriâ vocali, & gutture, quæ sunt instrumenta ad vocem formandam.* 19. Nonnulli tamen pisces edunt aliquos sonos: *Nempe vel attritu branchiarum, quas habent rigidiores, vel attrahendo spiritum, seu aërem, quem in cavitate ventris continent.* 20. Alij etiam stridere videntur. *Hic tamen stridor non est vox, non secus, ac ab avibus volantibus cum impetu sonus editus motu alarum, non est vox.* 21. At Delphini dum in aërem prodeunt vel extrahuntur, gemunt. *Quia de his est alia ratio, quàm de alijs piscibus, hi siquidem habent pulmonem & guttur, seu apertam arteriam, ergo possunt gemere, & quasi aliquam inarticulatam vocem edere.* 22. Pisces quoad partes exteriores corporis, sunt imperfectiores & mutilatiores, quàm aves; *Sunt enim corpore simpliciore, & à capite ad caudam eodem ferè tenore porrecto.* 23. Non omnes autem pisces sunt præditi simili & ejusdem rationis caudâ; *Nam alij habent caudam carnosam & mollem, alij spinosam, & magis duram.* 24. Et quidem pisces cartilaginei & plani, ac lati habent caudam longam, sed non carnosam, quin potiùs spinosam; *Quia in his totum penè alimentum convertitur in cartilaginem & latitudinem corporis; Ergo cùm parùm alimenti supersit pro cauda, eam necesse est, longam quidem, sed non carnosam aut corpulentam, sed potiùs spinosam.* 25. Nonnulli verò ex piscibus latis, caudam quidem carnosam habent, sed tenuem;

Ob

Ob eandem rationem, unde si sit carnosa consequenter brevis debet esse. 26. Plerique pisces habent os in parte anteriori illúdque expositum; *Ut sic facilius prædam ad vescendum acquirere valeant.* 27. Aliqui verò, os habent in parte supina & inferiori, & nimis expositum. Cujus rei Aristoteles lib. 4. de partibus Animalium cap. 13. hanc assignat rationem; *Quia cùm tales pisces (marini utique) sint voracissimi, & vivant venatu piscium, si os haberent in parte anteriori, ingentem stragem facerent in alijs piscibus; cui incommodo natura providit, tales siquidem pisces, non possunt quosdam corripere, nisi conversi resupinentur; interea autem cùm resupinantur, dant piscibus, quos insectantur, majori saltèm ex parte diffugiendi tempus.*

§ VIII.

Interna Piscium constitutio.

1. PIsces gulam vel nullam, vel valde brevem habent. *Ideóque venter piscium vel immediatè, vel penè mediatè connectitur ori eorum.* 2. Aliqui pisces, ut exempli gratiâ mugiles, ventres habent carnosos & nimis calidos; *Quia non possunt cibum in ore præparare, in ventre igitur debent habere majorem calorem, qui juvet ad cibi concretionem.* 3. Plerique autem habent quasdam appendices ventri adjunctas; *Ut in iisdem quasi lacunis quibusdam, cibum conditum diù detinentes, macerare possint, ac concoquere.* 4. Has verò appendices, habent pisces in suprema parte, quâ intestina connectuntur ventri. *Cùm tamen Aves, & etiam aliquæ quadrupedes animantes, similes appendices habeant in extrema parte intestinorum.* 5. Pisces ut plurimùm egerunt cibum crudum. *Quia non semper eundem valent concoquere.* 6. Hinc nimiùm sunt voraces & valdè gulosi; *Quia cibum citò egerunt, adeóque brevi tempore eo fruuntur; Ergo non est mirum, si cibo statim egesto, iterùm cibi aviditate laborent.* 7. Pisces vesicâ carent; *Nempè illâ, quæ in alijs animalibus datur, ad urinam ex sanguine attrahendam, hæc enim esset in illis superflua.* 8. Consequenter lienem valdè exiguum habent; *Uti & omnia animalia, quæ hâc vesicâ carent.* 9. Pisces plerique, ac ferè omnes carent etiam pulmonibus; *Quia non respirant aërem, in quem finem sunt pulmones.* 10. Alij pisces habent longiora, alij magìs contorta intestina; *Quia diversa etiam habent corpora, viscera autem debent conformari corpori, quasi cuidam modelæ.* 11. Ut in alijs animalibus, ita & in piscibus natura, quos voluit minùs voraces ac minùs famelicos, dedit ijs intestina angustiora, & pluri-

bus circumvolutionibus, & anfractibus implicata. 12. Quibus verò dedit intestinum magis rectum & amplum, ij aut cibum copiosiorem capiunt, aut sæpiùs cibum sumunt. Cujus utriusque ratio est; *Quia intestinum exigit compleri, quò autem magis involutum & tortuosum est intestinum, eò tardiùs cibum sumptum consumit, & quò rectiùs, eò citiùs, & consequenter famem inducit.* 13. Fel in piscibus est annexum intestinis. *Quia fel non solùm est excrementum jecinoris, sed etiam intestinorum, ergo non est mirum, si in piscibus annexum sit ipsis intestinis.* 14. Hinc jecinora piscium sunt optimi saporis; *Quia fel est etiam excrementum jecinoris, adeóque per emissionem fellis purgatur etiam jecur.* 15. Pisces cor habent, cuspidè obversum capiti; *Quia cor debet esse obversum illi parti, versùs quam animal maximè movetur, pisces autem semper moventur versùs caput; Ergo.*

§ IX.

De modo natandi, latendi, & migrandi Piscium.

1. NAtatus Piscium duo dicit: *Nempè, ut piscis natans & in aqua sustentetur, & in ea movere se queat.* 2. Qualiter autem piscis in aqua, & infra aquam situare se queat, id hâc ratione explicatur: *Quia inter piscem & aquam ejusdem quantitatis modica est gravitatis differentia, unde si superet gravitatem aquæ, piscis gravitas, facilè illam modicam differentiam piscis, corpore suo explicato, & pinnis ac branchijs extensis compensare potest, atque sic supernatare. Si verò sustinetur ab aqua, & gravitas aquæ superet gravitatem piscis, pari ratione impetu sibi impresso adjuvante, & corporis flexu (qui est quoddam reptationis genus) illam penetrare poterit.* 3. Adde quòd magna pars piscium folliculos habeat, quibus halitus, & aër continetur; *Atque hic pro majori vel minori compressione, gravitatem piscis auget, aut minuit.* 4. Pisces quoque non secus ac aliquæ aves & insecta, latent aliquibus temporibus, séque occultant; *Siquidem aliqui pisces certis duntaxat temporibus capi possunt, neque alijs, igitur temporibus illis latent, séque occultant.* 5. Sic Thunni tempore hyemis abscondunt se in profundo maris. *Tempore enim hyemis nullibi deprehenduntur, unde etiam, ubi è latebris emerserunt, evadunt pinguiores.* 6. Unde captura Thunnorum in mari incipit ab exortu Vergiliarum, seu Plejadum, quæ oriuntur vere, & durant usque ad occasum Arcturi, qui occidit in autumno; *Quia reliquis temporibus hi in latebris suis quiescunt.* 7. Subinde tamen aliqui latentes pisces capiuntur,

etiam illo tempore, quô latere solent; *Nempè dum accedunt ad loca tepidiora, vel cùm præter morem, tempus tepidum durat diutiùs.* 8. Alij rursus abscondunt se in cœno, quidam in limo, alij in arena; *Unde non omni tempore capiuntur, & si qui eorum prodeant, & capiantur, videntur gestare tergum limosum, vel arenosum, & pinnas habere, limo, cœno, aut arenâ obductas.* 9. Sicut autem pisces discrepant locis, in quibus se abscondunt, sic etiam discrepant temporibus; *Alij enim se abscondunt in æstate, alij, & plerique in hyeme.* 10. Imò aliqui pisces non capiuntur in mari, nisi certis syderibus exorientibus, ac mare subvertentibus; *Quod præsertim accidit in exortu Caniculæ, siquidem tunc mari subverso, limus ex fundo maris ascendit, & cum eo pisces.* 11. Jam quod ad migrationem piscium attinet; nonnulli ex alto mari, migrant ad littora, & vicissim subinde à littoribus, migrant in altum mare: *Fugientes, scilicet excessus caloris & frigoris.* 12. Alij ex mari ascendunt, & migrant in flumina & lacus; *Dulcedine aquarum allecti.* 13. Postquam Thunni (Husones) in Ponto Euxino pepererint & fœtus aucti fuerint, exeunt ex Ponto, statim post ortum Vergiliarum, & per Danubium ascendunt, usque in Hungariam, per 150. milliaria. *Quod accidit in Novembri ordinariè.* 14. Nam si hyems sit Austrina, ita ut flent venti Australes, egrediuntur tardiùs; si autem hyems sit Aquilonaris, egrediuntur maturius. *Venti siquidem Aquilonares eos adjuvant, ad aggrediendum; Australes verò impediunt.* 15. Rursus verò Thunni sive Husones fœturâ prægnantes, initiô veris remigrant in Pontum Euxinum, ibique Æstatem traducunt; *Faciunt id fœtûs & victûs gratiâ, siquidem in Ponto sunt loca aptiora ad pariendum, & aqua potulentior, ideóque aptior ad prolem educandam.* 10. Tempore quo egrediuntur Thunni ex Ponto Euxino, capitur proles Thunnorum adhuc parva; *Quia non diù mansit adhuc in Ponto Euxino.* 17. E contra, in Hungaria proles Husonum seu Thunnorum non capitur; *Quia Thunni in Ponto, non verò in Danubio fœtus suos deponunt.* 18. Thunni cùm remigrant in Pontum, tangunt terram ex latere dextro, respectu nostri; cùm verò ex Ponto ascendunt, tangunt terram ex latere opposito, quod nobis sinistrum est: *Rationem hujus dant aliqui apud Aristotelem lib. 8. Histor. Animal. cap. 13. Quia cùm Thunni seu Husones melius videant oculo dextro, oculo autem sinistro minùs videant benè, ita iter suum instituunt, ut tam in ascensu quàm in descensu, dextrum oculum terræ obversum habeant.* 19. Pisces Fusanei (hoc est, qui non nisi gregatim vadunt) solent iter facere per diem, & noctu quiescere, dum migrant; *Hoc enim tempore pascuntur, etiam lunâ non lucente.*

§ X.

De bonâ vel mala habitudine, ſeu conſtitutione Piſcium, deni-que eorum eſcis.

1. PIſces annis pluvioſis optimè ſe habent, & proſperâ utuntur valetu-dine; *Tum quia annis pluvioſis, plus cibi inveniunt; Tum quia ſi-cut plantis, ita & piſcibus plurimùm proſunt pluviæ.* 2. Illis an-nis, quibus homines bonâ utuntur valetudine, etiam piſces ſe benè habent. *Tum enim piſces ſe benè habent, quando ver, æſtas, autumnus, frequenter ha-buerint pluvias; & hyems fuerit ſerena: Hæc autem conſtitutio anni, etiam hominibus ſalubris eſt. Ergo.* 3. Aliquibus tamen piſcibus nimij imbres nocent; *Sunt ſiquidem piſces (quos enumerat Ariſtoteles lib. 8. Hiſtor. Ani-mal. cap. 19.) qui in pluvijs, ſi multæ fuerint, excœcantur.* 4. Piſces mari-ni in dulcibus aquis meliorantur, & melius ſe habent. *Plurimùm namque delectantur dulcibus aquis, hinc ex mari ad fluvios, qui in mare influunt, avidiſſimè convolant.* 5. Sicci anni conducunt plus coriaceis piſcibus, quàm alijs; *Quia anni ſicci, ſolent eſſe tepidiores, tepor autem talibus pi-ſcibus proficuus eſt.* 6. Piſces non ſolùm ratione temporum, ſed etiam ra-tione locorum, meliùs aut deteriùs ſe habent. *Nam piſces marini, qui ex natura ſua, appetunt loca propinqua terræ, meliùs ſe habent propè littora, quàm in altiori mari: & viciſſim alij, meliùs in alto mari, quàm penes lit-tora.* 7. Dantur etiam quædam ſpecialiora loca, quibuſdam ſpecialibus pi-ſcibus commodiora: *Sic univerſim loca algoſa, ſunt piſcibus commodiora, in ijs evadunt pinguiores, in ijs enim piſces qui paſcuntur algâ, abundant pro-prio cibo; qui verò paſcuntur piſcibus, plures piſces quibus veſcantur, in-veniunt in loco algoſo.* 8. Sic etiam piſces fluviatiles v. gr. Truttæ in re-centibus fluvijs vegetiores ſunt, & ſapidiores, quàm in fluvijs tepidioribus, vel in piſcinis. 9. Imò & inter ipſos lacus maxima eſt differentia; Ita in Hungaria Lacus Fertő, Germanis Neiſidl, longè deterioris conditionis pi-ſces profert, quàm Lacus Balaton; *Propter meliorem & copioſiorem paſtum.* 10. Quæ differentia etiam inter ipſas piſcinas reperitur; *In quibuſdam e-nim, ejuſdem etiam generis piſces nec in quantitate ſeu magnitudine, nec in qualitate adæquant, aliarum piſcinarum piſces, partim uberioris alimenti, partim melioris aquæ defectu.* 11. Ad meliorem vel deteriorem conſtitu-tionem piſcium confert, utrùm loca in quibus conſervantur, ſint aquilo-naria vel Auſtrina. *Piſces enim longiores meliùs ſe habent in locis Aquilonarijs,*

quàm

quàm in locis Austrinis. 12. Pisces tam marini, quàm lacustres & fluviatiles sunt immunes à morbis pestilentibus & universalibus; *Quibus tamen laborant non rarò alia animalia, præsertim quadrupedia.* 13. Quidam tamen eorum laborant morbis sibi proprijs; *Sic Chilus piscis laborat aliquando morbo pediculari, pediculi enim aquatici sub branchijs illius orti, eundem interimunt, licèt nullus alius piscis tali morbo vexari soleat.* 14. Pisces omnes, postquam conceperunt ab initio sunt boni, & procedente tempore, alij sunt boni, alij mali, teste Aristotele, lib. 8. Histor. Animal. cap. 30. *Sic exempli gratiâ Haleces, dum uterum gerunt, meliores sunt & sapidiores; è contra Mugil & multi alij pisces sunt deteriores.* 15. Communiter autem pisces mares, melioris sunt saporis, quàm fœmellæ; *Solidiorem siquidem, & vegetiorem carnem videntur habere.* 16. Marini pisces sunt salubriores quàm fluviatiles; *Quia aquæ marinæ suâ salsedine, humiditatem & frigiditatem omnibus piscibus communem quodammodo attemperant.* 17. His proximi sunt fluviatiles tam sapore quàm carnis salubritate; *Tum quia ferè in continuo motu sunt, cursu per flumina, ac sæpè etiam adversùs se se exercent; Tum quia cibum, ex limpidissimis aquis capiunt.* 18. Illorum demùm, qui in stagnis aut lacunis degunt, pessima conditio est; *Nam & motûs exercitiique & cibi ratione, à marinis & fluviatilibus degenerant.* 19. Inter ipsos autem pisces marinos præstant littorales illis, qui profundum pelagus incolunt; *Quippe qui cibo copiosiore, melioréque potiuntur.* 20. Porrò inter pisces, fœmellæ solent esse diuturnioris vitæ, quàm mares; *Patet id experientiâ, quia ordinariè à piscatoribus peritis ex certis signis fœmellæ deprehenduntur majores natu, quàm mares.* 21. Omnes pisces tempore quo pariunt, vescuntur suâ fœturâ; *Exceptis ijs, qui non sunt carnivori.* 22. Alij verò solis carnibus, seu piscibus se minoribus vescuntur, alij algâ, alij cœno, aut limo, alij musco, & radicibus, alij arenâ; *Juxta uniuscujúsque speciei instinctum, ac indolem.*

§ XI.

De Generica & Specifica Differentia Aquatilium, sed præsertim Piscium.

1. AQuatilium Animalium alia sunt sanguinea; alia exsanguia. *Illa sunt, quæ saltèm aliquid sanguinis habent; hæc verò, quæ sanguine penitùs carent.* 2. Alia item sunt merè aquatilia, alia amphibia. *Illa sunt, quæ semper in aqua degunt, victúmque inde quærunt;*

hæc verò licèt in aqua degant, victúmque inde quærant; in siccum tamen exeunt etiam, & in terra more terrestrium animalium pariunt. 3. Verè Aquatilium sunt duo genera; *Unum cui natura branchias, alterum cui dedit pulmones.* 4. Branchiatis sola aqua ad refrigerationem, & respirationem sufficit: Non branchiatis autem aërem attrahere, aliorúmque sanguineorum more spirare necesse est. *Quia scilicet branchiata sunt pauciora, non branchiata autem uberiora, sanguine prædita, adeóque hæc majori respiratione indigent, ad quam sola aqua, non sufficit, sed necessarius est aër.* 5. Hinc illa, diutissimas sub aqua moras trahunt, sine suffocationis periculo; hæc diù sub aqua, vi detentâ suffocantur; *Atque ideò subindè fluitant, per superficiem maris, ut sic in respirationem, aërem capere possint.* 6. Pisces autem ipsi differunt inter se primario corporis tegumento; *Alij siquidem teguntur squammis, & tales sunt plurimi; alij cute, hácque vel asperâ, qui pauci; vel lævâ, qui paucissimi.* Differunt dein ratione loci, quem incolunt; *Hinc alij sunt marini, qui salsâ aquâ delectantur, alij fluviatiles & lacustres, qui dulcem aquam appetunt, & in lacubus ac fluvijs degunt.* 8. Alij verò promiscuè, nunc in salsâ, nunc in dulci aqua vitam agunt. *Atque horum iterum sunt duo genera: unum quòd relicto mari dulces aquas subit; alterum quòd relictis dulcibus, ad mare descendit.* 9. Ex marinis piscibus alij rursus, simpliciter marini dicuntur; alij saxatiles, alij littorales: *Primi generis sunt, qui in mari alto degunt; secundi circa saxa versantur; tertij littora & loca proximi terræ incolunt.* 10. Saxatilium marinorum iterum duplex est genus; *Unum, quod in saxeis tantùm promontorijs, & ubi saxa sunt, nascitur, vitámque omnem traducit, nunquam vel locum, vel alimentum mutans; Alterum, quod licèt juxta saxa perlibenter observetur, nihilominùs modò huc, modò illuc, per mare vagatur.* 11. Ex marinis rursus sunt alij ovipari, alij vivipari; *Illi sunt, qui ova sua deponunt, ex quibus dein fœtus excluditur: isti verò, qui ex ovis in se fœtum excludunt, & vivam prolem pariunt.* 12. Alij demùm sunt gregarij, qui semper gregatim simul vadunt; alij non gregarij, qui hanc conjunctionem amicitiæ, cum sui generis piscibus non habent, sed solitariè pro impetu suo, huc, illuc, feruntur.

§ XII.

De Natura & Proprietatibus Piscium Marinorum.

NOn omnium Piscium marinorum proprietates & naturam, sed præcipuorum duntaxat hîc adducemus. Primò igitur *Acus*, sic dictus piscis ab acu Sutoria (eò quòd sit longus ac tenuis) hoc habet

pecu-

peculiare, quòd natura eidem dederit, utrinque in lateribus rimam cuticularem, quâ tempore partûs utero dehiscente fœtum emittit, quæ post partum iterum coalescit. 2 Oculos habet tam parvos, ut vix milij magnitudinem æquet; Cor pariter vix milio majus est. 3. Dentibus caret, & vix ullam scissuram oris habet, sed solùm loco oris, exiguum foramen, quô per fistulam quandam ex humore alimentum trahit.

Alosa. 1. Squammis tegitur magnis, tenuibus, & facilè deciduis. 2. Spinis scatet innumeris. 3. Rostrum acutum habet, & os admodùm patulum, cùm hiat. 4. Supra oculos utrinque cutis partes, instar gemmæ smaragdinæ relucentis.

Amia. 1. Thunnis est minor magnitudine, rostro acuto, ventre crasso, caudâ tenui, dorso cæruleo, atque splendente, ventre coloris argentei. 2. Oculos habet parvos auri æmulos, cutem levem, demptâ eâ parte, quæ circa branchias est, dentes serratos, acutissimos, & in os recurvos. 3. Est piscis gregalis. 4. Magna ex parte pisciculis vivit, subinde tamen & alijs.

Anthias. 1. Piscis cujus formæ & magnitudinis sit, non convenit inter Authores; hoc tamen peculiare est in illo observatum, quòd, quô locô Anthias est in mari, ibidem nulla bestiarum marinarum inveniatur. 2. Quòd si unus ex hoc genere hamo teneatur, cæteri ejusdem generis eidem succurrere, eúmque liberare conantur, rejectum in tergum funiculum surrectis aculeis, spinæque asperitate conscindere soliti.

Balæna. 1. Est Piscis adeò grandis, ut ejus ossibus rustici in Britannia & Scotia, tanquam palis suos hortos & prædia obsepiant. 2. Est viviparus. 3. Pulmone præditus ideóque branchijs carens, quarum loco prægrandem fistulam in fronte gerit, per quam humorem, quem ore excipit, magno impetu effundit & rejicit, ità ut quandóque etiam naves submergere dicatur. 4. Pinnas habet, utrinq; unam, & præterea tertiam in dorso, quâ totum corpus dirigit, caudâmque quâ temonis vice corpus vastissimum huc atque illuc movet. 5. Corio glabro, spisso & nigro, duróque, squammis, ac villis carente tegitur. 6. Pinguedo ejusdem quandóque altitudinem pedis superat. 7. Fœminæ Balænarum habent mammas & lacte fœtus suos nutriunt. 8. Dentibus carent, unde pisces quos venantur integros deglutiunt.

Canis Marinus. 1. Est Piscis voracissimus, & cæteris piscibus infestissimus. 2. Magnitudine superat Thunnos seu Husones. 3. Os non in rostro, sed in parte supina habet. 4. Oris scissuram maximam, dentes durissimos, acutissimos, triangulari figurâ, utrinq; serratos, eósque sine ordine dispositos.

Cetus. 1. Ceti sunt belluæ marinæ ingentis vastitatis. 2. Corio teguntur omnes quidem Ceti, sed alij hirsuto, alij plano. 3. Habent pulmones

aliásque partes corporis cum terrenis quadrupedibus communes. 4. Locò branchiarum habent in fronte fistulam ad respirandum. 5. Aliqui Ceti sunt dentati, alij edentati. 6. Porrò hi dentes inveniuntur aliquando duorum cubitorum, aliquando quatuor, sed plerumque unius. 7. Ingentes habent oculos, ita ut quindecim, aut etiam plures homines largè capiat fovea unius oculi. 8. Generant intra se catulos eósque vivos emittunt. 9. Motu ob corporis molem & ventris ingluviem tardè feruntur. 10. Excrescunt subinde in incredibilem vastitatem. Ita ut Albertus Magnus scribat, aliquando ex corpore unius Ceti divisi, tam in carne, quàm in ossibus, onus trecentorum curruum adæquare, communiter verò ducentorum, vel centum quinquaginta.

Delphinus. 1. Est etiam ex genere Cetorum (uti & Balæna.) 2. Branchijs caret, & arteriam, pulmonem, ac fistulam more aliorum Cetorum habet, vivúmque parit animal. 2. Censetur Rex Piscium, quòd in omne propè piscium genus dominetur, & non modò robore omnibus præstat, sed formæ etiam pulchritudine, celeritate natandi, agilitate, mansvetudine, atq; amore erga homines. 3. Oris scissuram habet magnam. 4. Dentes habet parvos & acutos pectinatim coëuntes; oculos magnos sed cute adeò tectos, ut pupilla solùm appareat. 5. Rictus eidem est latus, lingua mobilis, eáque brevis, sed lata ac carnosa & ambitu parùm serrata. 6. Pinnis natat duabus sed validis, in ventre eò modò dispositis, ut non solùm natatum, sed etiam motum & saltum sursum adjuvent. 7. Unam præterea habet pinnam in dorso, non quidem aculeatam, duram tamen, & rigidam, & alias duas in cauda, quæ lunata est. 8. Piscibus victitat præsertim minoribus, quos perniciſſimè persequitur. 9. Subinde maximo impetu in altum respirandi causâ se effert. 10. Magno animo fœtus suos fovet, nam & lacte suo eos nutrit, & infantiâ infirmos ore gestat. 11. Delphini gregatim natant, ordine pulcherrimo, natu minores præcedunt, majores subsequuntur. 12. Nati alunt parentes senio confectos & natationem illorum corporis sui nisu promovent. 13. Juvant se in periculis mutuò atque defendunt. 14. Homines præsertim pueros singulari amore prosequuntur. 15. Cantu & musicâ delectantur.

Halex. 1. Est magnitudinis detrantalis, dorso quodammodo cæruleo, ventre albo, squammis pertinaciter adhærentibus. 2. Branchiarum scissurâ magnâ, ideóque citiſſimè extra aquam moritur. 3. Unicum habet intestinum, & solâ aquâ vivere aliquibus creditur, quòd nihil in ejus ventre reperiatur. 4. Haleces gregatim natant, & tam magnis simul agminibus, ut capti præ multitudine extrahi vix possint. 5. Capiuntur post æquinoctium autumnale, dum in agmina se dividunt. 6. Ubi lumen vident super aquas, grega-

gregatim adnatant, & sic alliciuntur ad retia. 7. Noctu lucent in aquis ventribus versùs summum æquor obversis, quo indicio quoque facilè deprehenduntur à piscatoribus. 9. Semel tantùm pariunt in anno, sed maximâ fœcunditate. 9. Halecibus vehementer insidiantur Ceti, unde sæpè cedentibus illis in vadosa loca impingunt, ita ut inde eluctare se non valeant, sícq; hominum præda fiant. 10. Capiuntur autem in tanta copia, ut pretium captorum Halecum in annos singulos, ad ducenta millia coronatorum ascendat. 11. Pro magna raritate habitum est, quòd his annis præteritis, iteratis vicibus capti aliqui fuerint in Danubio ad Strigonium.

Asellus. 1. Asellum & Salpam pro uno eodémque Pisce multi accipiunt, qui à Germanis Stockfisch nuncupatur. Aldrovandus tamen Salpam ab Asello specie distinctum piscem esse existimat, nos communem nomenclaturam sequimur. Primò igitur hic Piscis est Pelagius, hoc est in alto Pelago degens. 2. Dum recens est, tam à sapore, quàm à salubritate laudatur, ita ut à veteribus, post lucium & accipenserem seu sturionem tertiò locô, quo ad pretium numeraretur, & habitus fuerit, ut testatur Plinius. 3. Longo tempore latet, & cùm alij pisces per summum hyberni temporis frigus se abscondant, hic calidissimis flagrante syrio diebus, se occultat. 4. Jecur habet maximum, idémque delicatissimum, & quod cæterorum piscium jecinoribus meritò præfertur. 5. Carnem habet mollem, & friabilem dum recens est. 6. Conditur & siccatur præciso capite, sed cùm conditur in frustra dissecatur, & in ligneis vasculis inclusus ad exteras Regionés mittitur, integrè autem exsiccatur (qualis ad nos apportatur) ac sic exsiccatus osseam ferè duritiem induit, ita ut non nisi fustibus verberetur (unde & fustuarius piscis dicitur) & sic posteà maceretur, non fiet pro victu idoneus.

Ichthyocella. Piscis Cetaceus peculiare hoc habet, quòd insit illi folliculus à capite ad caudam, per spinæ longitudinem extensus, ex quo fit gluten ad omnia lignaria instrumenta, & ad omnes chartas conglutinandas aptissimum, & si quis eò lecticam inunxerit, cimices pellet, teste Aldrovando lib. 5. de Piscibus cap. 4.

Mullus. 1. Piscis sic dictus, servitutis est impatiens, ideò captus & in piscinam repositus parùm aut nihil crescit. 2. Est piscis Pelagius & circa littora & saxa vagatur. 3. Ejus pretium apud veteres fuit maximum, ita ut argenti pari pondere emeretur. 4. Magnitudinis est mediocris. 5. Ejus cibatus minuit libidinem, sed oculos hebetat, teste Alberto Magno lib. 24. de Animalibus. 6. Qui sæpè hunc piscem comedit, eundem etiam redolet. 7. Si in vino necetur, illud vinum bibitum aufert vini desiderium.

Orbis seu *Physa.* 1. Piscis rotundus & sine squammis, totúsque capite con-

ſtare videtur. 2. Cute tegitur admodúm durâ. 3. Os habet parvum, dentes utrinque latos duos, & ſupra os duo exigua foramina, olfactûs auditûſque quaſi inſtrumenta, oculos mediocres. 4. Circa medium corpus unicam & ſemicircularem utrinque branchiarum ſciſſuram, & propè eam ex utraque parte haud magnam ſed rotundam pinnam, caudam brevem eámque rotundam. 5. Coloris eſt cinericei, lineis quibuſdam latis & obſcurioribus diſtinctis. 6. Ad eam partem ſemper roſtrum vertit, à qua proflat ventus.

Phoca ſeu *Vitulus marinus*. 1. Amphibium eſt animal, nam & terram, & mare incolit. 2. Differt ab omnibus Piſcibus & Cetis, figurâ corporis. 3. Vituli marini pariunt in terra. 4. Prolem circa duodecimam diem à partu deducunt ad mare. 5. Maxima ex parte per littora vagantur, & vicinos agros, vineta, & pomaria deperdunt. 6. Veſcuntur quoque piſcium carnibus. 7. Collum longius pro arbitrio extendunt. 8. Extra aquam ad ſolem dormiunt in arena littoris vel ſuper ſaxa, ut liberiùs reſpirent. 9. Vitulus marinus maxillâ & naribus vitulis terreſtribus eſt ſimilis. 10. Dentes ſerratos habet & luporum ſimiles, oculos ſplendidos, qui ſubinde in mille colores mutantur, linguam fiſſam ſeu biſulcam, auribus caret, ſed loco earum aliquos meatus habet. 11. Interdum miteſcit & naturam ferinam deponit.

Paſſer Marinus Germanis Platais. 1. Levi cute præditus eſt; In omni mari invenitur, ſubinde ſtagna quoque & fluvios petit, utpote aquarum dulcium appetentiſſimus. 3. In Oceano multo numeroſior eſt, quàm ullibi. 4. Juxta Livoniam ajunt pinguiſſimos eſſe, unde uti & ex multis alijs utriuſque Germaniæ Littoribus ad mediterranea loca vento indurati efferuntur, in ſumma copia. 5. Cùm Piſcatorem ſentit, vadum petit, terræquè adhæreſcit, & aquam ne videatur turbat, ſicque piſcatorem eludit, juvante illum ad id colore nativo qui terreus eſt. 6. Carnem habet duram corruptionique minimè obnoxiam. 7. Differunt inter ſe pro loci atque alimenti qualitate, optimi cenſentur eſſe marini, quia firmior ſicciórque & delicatior eorum caro eſt.

Polypus. 1. Notæ figuræ & formæ Piſcis, adeò fatuus, ut ad manum hominis demiſſam ipſemet accedat, ſed prudens rei familiaris, cùm omnia colligat, & ſuo in domicilio recondat, cúmque conſumpſerit quantum utile eſt, cruſtas tectas, & putamina conchiliorum ac ſpinas piſciculorum rejicit, rurſúſque novam proviſionem ſibi facit. 2. Sui mutatione coloris venatur piſces, trahit enim ſimilem colorem, ijs quibus appropinquârit ſaxis. 3. Polypi ſunt animalia exanguia mollia, variæque ſunt eorum ſpecies. 4. Tres ſunt præcipuè partes in corpore Polypi, pedes nimirum, qui poſſunt vocari crura,

crura, brachia, caput, quod pedibus immediatè continuatur atque adhæret, ac demum sinus seu venter. 5. Polypus brachijs utitur, & ut pedibus ad ambulandum manibus ad cibum capiendum. 6. Natat obliquè, ita ut aliquas ex branchijs elevet supra caput. 7. Caput habet durum & dum vivit quodammodò inflatum, quod rescinditur in exsiccandis, ut videre est in ijs, qui ad nos adferuntur.

Sardæ. 1. Pisciculi sunt eâ prorsus formâ sicut Haleces. 2. Grandiores appellantur sardæ, minutiores sardellæ. 3. Innumerabiles capiuntur simul, gregatim siquidem vadunt. 4. Ad visum lumen accurrunt agminatim. 5. Cùm recentissimi sunt, gratum habent saporem, & salubrem præbent victum.

Torpedo. 1. Ex Piscibus Cartilagineis planis est. 2. Corpus habet orbicularis figuræ, ventrem subalbum, dorsum flavum. 3. Os in superiore parte, parvum. 4. Oculos exiguos. 5. Branchias in medio corpore utrinque quinas, pinnas juxta easdem binas. 6. Vescitur piscibus quos astu capit, torpore eosdem afficiendo. 7. Idem hic piscis, si vel hastâ virgâque attingatur, quamvis prævalidos hominis lacertos, torpidos reddit. Plura de piscibus marinis, vide apud Ulyssen Aldrovandum, & nos aliqua in dicendis attingemus.

§ XIII.

De Natura & Proprietatibus Piscium Fluviatilium & Lacustrium.

ANguilla. 1. Anguis speciem refert, unde & nomen est sortita. 2. Lævis est & lubrica. 3. Os habet satìs apertum, dentibus acutis munitum & quidem ordine multiplici. 4. In Danubio Anguillæ non dantur, uti neque in omnibus Fluvijs Danubium influentibus, cùm tamen alij fluvij ijs abundent, ut Rhenus, & fluvij qui in Rhenum influunt, imò nonnulli dicunt, quòd Anguillæ Danubiali aquæ impositæ emoriantur. 5. Aristoteles passim asserit nec marem, nec fœmellam esse inter Anguillas, neque prolem ex se generare, quod tamen recentiores negant. 6. Victitant Anguillæ limo, ac etiam herbis & radicibus quæ in limo deprehenduntur. 7. Amant aquam puram, & turbidam fugiunt. 8. Vivunt etiam extra aquam diù. 9. Separatim ab alijs piscibus degunt. 10. Vinum cui viva Anguilla imponitur, si in eo moriatur, bibitum posteà, horrorem vini inducit.

Antaceus. 1. Hungaris Tock, est Piscis Cartilagineus. 2. Pro natalibus habet mare, sed mirâ voluptate subit amnes. 3. Cùm ad certam magnitu-

dinem excrevit, squammas hispidas abjicit, quas per quinque ordines dispositas gerit, in summa scilicet spina dorsi, ex utroque latere geminas, extremus ordo primas attingit. 4. Parvos habet oculos, pro tanta mole corporis. 5. Os in parte supina illúdque ad lineam obliquam, pro aperto vasto illo hiatu, devorat pisces. 6. Tergum habet albicans & lanosum. 7. Differt à Husone & à Sturione. 8. Pondus illius subinde ad xxv. libras ascendit. 9. Capitur in Danubio in Hungaria.

Alburnus. Est Piscis fluviatilis, digiti magnitudine, oculis pro parvitate non magnis & rubescentibus, dorso subviridi, ventre candido, duabúsque distinguitur lineis, capite est parvo, duas habet pinnulas, corpore latiusculo sed depresso, carne molli & parùm pingui: felle caret.

Barbo, Harcsa. 1. Piscem quem nos Barbonem vocamus, is à veteribus Glanides dicebatur, à modernis verò Latinis Silurus nuncupatur. 2. Oblonga est illius figura, éstque piscis teres, estò venter haud mediocriter exuberet. 3. Ad multam magnitudinem excrescit, in Danubio, & Tibisco, quinque, sex, aut etiam septem cubitorum capitur. 4. Squammis caret. 5. Caput habet amplum & bene latum, os patentissimum, ac inferiùs labrum patentiùs superiore; reliqua pars corporis est contractior, ut in acumen propè desinat. 6. Branchiarum utrinquè quatuor habet ordines. 7. A Branchijs statim duæ primæ sunt, inde venter laxus, quem terminant duæ pinnæ minores: habet & in tergo unam pinnam, eámque erectam. 8. Cauda eidem reliquo corpore est prolixior. 9. Oculos cinereos reliquâ cute eminentiores eosque rotundos, & parvos, ante oculos verò utrinque unam prælongam, infra verò quatuor appendices, seu dependentias habet, quæ gulam instar barbæ exornant. 10. In omnes ferè pisces mirâ voracitate grassatur. 11. Caput & dorsum ejus nigricat, venter albus est, latera autem nonnullis nigrioribus aliísque subalbis maculis conspersa livent.

Barbus. 1. Aldrovandus & alij Authores, Piscem illum quem nos Murenam & Hungaricè *Marna* vocamus, appellant Barbum seu Barbonem, aliqui verò etiam Mystum vel Mystacum, à Mystaco nimirum seu barbitio, superioris labri. 2. Labra habet crassiora, caput compressum; in rostro duas ex lateribus appendices dependenter, quarum substantia est cutana quidem, sed mollis, lubrica, teres & subrubra. 3. Venter colore est lacteo, latero, argenteo, dorsum ex albo flavescit, nigrísque maculis parvis conspergitur. 4. Branchias habet quaternas; oculos parvos, pupillam nigram, quam ambit aurei coloris circulus. 5. Extra aquam vivit diù. 6. Fel in illo adhæret jecori. 7. Uterum habet oblongum & bifidum, ovísque innumeris refertissimum: cùm prægnans est. 8. Ova horum piscium venenata esse dicuntur,

cuntur, illud certum est, quòd stomachum perturbent, & ventriculum ferè invertant.

Capito. 1. Quem Pisciculum nos Capitonem dicimus, & Hungaricè *Kophal* nuncupamus, eum Aldrovandus Gobionem vocat. Nomine verò Capitonis fluviatilis cærulei, illum piscem indigitat, quem Germani Brathfisch, Hungari Czompo, Ilirij verò Jessen vocant, utrumque hìc describemus. Primus igitur Capito, est capite magno, lato, & depresso. 2. Oris hiatu similiter magno sine dentibus, sed pro ijs labra instar limæ aspera habet. 3. Pinnulas habet ad branchias binas easque rotundas, & ambitu pulchrè cristatas; duas item alias inferiùs parvas, sed longiusculas, aliam item ad caudulam, ac in dorso geminas. 4. Oculi sursum spectant. 5. Branchias habet quaternas, hepar magnum sine felle, ventriculum magnum, si corpusculum spectes. 6. Fœmellæ ovis turgent, quæ in globos geminos colliguntur, & membranâ vestiuntur nigricante. 7. In rivis montanis & frigidis, ac fluvijs rapidis ac præcipitibus capiuntur nassis, reticulis, fuscinâ præsertim nocte, ad lumen siquidem exeunt ex suis latebris, libenter autem sub lapidibus ac inter saxa delitescunt. 8. In aquæ fundo non tam natant, quàm subitò impetu teli instar se rotant. 9. Majores, minores devorant, mense Martio parere incipiunt. 10. Sunt coctu facillimi, gratique saporis.

Alter verò *Capito.* 1. Non est in magno pretio, neque ita salubris, quia pinguiusculus. 2. Estur assus & præcipuè frigidus. 3. Longitudo illius cubitum non excedit, nec latitudo tres aut quatuor digitos.

Carpio. 1. Piscem quem nos Carpionem dicimus, Aldrovandus & alij Authores Cyprinum nominant, Carpionem autem vocant alium piscem, Benaci lacûs alumnum, lacustri Truttæ congenerem. Carpio igitur sive Cyprius labrum superiùs habet rotundum ac croceum, ex quo utrinque geminæ dependent appendices velut mystaces. 3. Capite est brevi pro corporis ratione, ore mediocri, labris adipsis carnosísque. 3. Linguam superiori palato affixam habet, unde multi eum linguâ carere existimant. 4. Dentes infra fauces latentes. 5. Lapillum in capite habere asseritur, eúmque candidum ac durum. 6. Oculis est medijs ante quos sunt duo foramina. 7. Pinnis natat latis 8. Branchias utrique habet quaternas easque duplicatas. 9. Squammis magìs validiúsque tegitur. 10. Sunt qui hunc piscem pro sua magnitudine plus sanguinis habere dicant, quàm alios pisces. 11. Ventriculum habet mediocrem, hepar subrubrum, cui subnigra fellis vesica adhæret, intestina pinguia, splenem magnum. 12. Aristoteles asserit Carpionem quinquies aut sexies per annum parere. 13. Mas Carpio deposita fœmellæ ova custodit donec excludantur. 14. Herbis, luto, mucóque vescitur.

15. Car-

15. Carpio diutissimè vivit. 16. Est & alius Piscis Cyprinus, quem Aldrovandus Cyprium latum vocat, Hungari verò Karasz nuncupant.

Fundulus seu *Gobius*. 1. Duplex est Fundulorum genus. Unum squammatum, alterum leve & sine squammis. 2. Longitudo illorum est quinque aut sex digitorum. 3. Os cùm operitur rotundum. 4. Fel habet subviride. 5. Lapilli perexigui in illorum capite reperiuntur quandóque. 6. Sunt salubriores, ubi aquas arenosas in nutrimentum habent. 7. Bis vel ter in anno pariunt. 8. Vescuntur algâ, musco & arenâ.

Huso. 1. Est Piscis lævis absque omni squamma, caret quoque spinis. 2. Ossa in capite habet multa, in cætero corpore ferè nulla. 3. Excrescit aliquando ad longitudinem xxiv. pedum. 4. Loco spinæ dorsi inest illi Cartilago, quæ foramen habet magnum à capite usque ad caudam, quasi terebello perforatum, atque hæc, dum salitur Huso, ejicitur, aliàs enim salitum Husonem facit computrescere. 5. Gaudet terrâ argilosa. 6. Husones in Danubium & Tibiscum ascendunt ex Ponto Euxino, neque tamen ultra Hungariam progrediuntur; capiuntur autem potissimùm in autumno, ídque in certis duntaxat Danubij vel Tibisci locis. 7. Est piscis timidissimus, quíque vel adversùs minimum pisciculum se se defendere vix possit, sed statim in fugam se vertat. 8. A Sturione maximè exagitatur, qui eum è latibulo ejicit, fugientémque insequitur.

Lampetra. 1. Lampetrarum non una est species. Aliæ siquidem sunt marinæ, aliæ fluviatiles; Et marinæ rursus majores, minores, minimæ, quæ non solâ quantitate, sed & colore ac maculis inter se differunt. 2. Omnibus marinis spina dorsi est Cartilaginea, à capite usque ad caudam deducta. 3. Os neque in latum neque in longum scissum habent, marginem verò oris rotundam, fibris quibusdam lancinosam, dentes delicatulos, in ipso oris recessu, cor sub branchijs subrotundum, in crassitie ciceris, hepar oblongum cæruleum unius tantùm globi, intestinum unicum rectum & minimè complicatum. 4. Felle carent. 5. Carent similiter & pinnis lateralibus, unde non natant, sed flexuoso corporis impulsu aguntur, & pinnulis membraneis iter dirigunt, quarum una ferè supra caudæ extremum erigitur, altera paulò superior est. 6. Levi cute teguntur. 7. Lampetræ Hungaricæ quas *Csik* vocamus solùm in aliquibus ab his differunt.

Lucius. 1. Qui & Lupus dicitur, est Piscis voracissimus, ita ut non tantùm in pisces alterius speciei, sed & in sui generis grassetur. 2. Dentes habet plurimos & acutissimos, caput macrum & osseum, dorsum latum ferè quadratum: rostrum longum, & rictum maximum. 3. Corporis figura est oblonga, quod squammis parvis tegitur, & adeò tenuibus, ut ijs carere videa-

videatur. 4. In cerebro dicitur lapillum similem crystallo gerere. 5. Hepar ventriculum continet, in quo vesica est, felle viridi distenta. 6. Vitam eidem longissimam tribuunt Scriptores. 7. Vulneratus attactu Tincarum sanatur.

Mugil. Piscem quem nos Mugilem vulgariter Menyhal, & Germanicè Ruttn vocamus, Aldrovandus Mustellam nominat. 1. Corpus habet hic piscis lubricum sine squammis, flexuosum, quod caudam versùs attenuatur. 2. Caput magnum, latum & veluti compressum. 3. Os grande rescissum. 4. Dentes ferè nullos, sed veluti in limam exasperatum os. 5. Coloris varietatis maculosæ. 6. Pinnam unam habet ab ano ad caudam ferè oblongam, binas item ad branchias, & binas alias eodem circulo inter caput & ventrem. 7. Branchias quaternas simplices. 8. Carnem mollem & dulcem. 9. Jecur magnum quod in delicijs est. 10. Vesicam seu folliculum nullum. 11. Intestinum parùm anfractuosum ac ferè simplex. 12. Stomachum & ventriculum cum multis appendicibus. 13. In cerebro quoque illius inveniuntur quandóque certi lapilli. 14. Habet & barbulam circa os infra, supráque. 15. Profunda semper petit. 16. Capitur hamis & retibus.

Salmo. 1. Est Piscis variæ magnitudinis, accedit alicubi ad pondus. 24. & 36. librarùm. Squammis tegitur exiguis. 3. Maculis ita est notatus, ut totus ferè subrufis & luteis notis, insignis videatur. 4. Os habet amplum & valdè denticulatum. 5. Capiuntur Salmones circa solstitium æstivum. 6. Saltant & supra modum vibrant se in altum. 7. Quonam cibô vescantur, & an nullô, prorsus incertum est, nam si dissectus inspiciatur, in ventriculo & intestinis nihil reperitur, præter mucum quemdam subflavum & lapillum candidum. Piscatores certè non aliô quàm aquâ cibô, illos victitare putant, hinc aquâ turbidâ tanquam aptiore ad nutriendum gaudent. 8. Vivax admodùm est hic piscis, unde Albertus Magnus ait: cor ejus extractum, omnibus animalium cordibus diutiùs vivere. 9. In sapore omnibus alijs piscibus à multis præfertur. 10. Optimi censentur esse mense Majo, improbantur dum partui proximi sunt. 11. Infirmis non conducit eorum esus, viscosi siquidem sunt, & concoctu valdè difficiles.

Perca. Hungaris Sõreg. 1. Percarum duplex est genus, marinum & fluviatile, marina Perca prominenti acutissimo est rostro, ore mediocri, dentibus exiguis, sed serratis, capite tenui, branchijs utrinque quaternis iisque duplicibus: pinnis juxta branchias binis & totidem sub ventre alijs, unâ item tenuissimis armatâ aculeis in dorso, nec non aliâ parvâ in imo ventris. 2. Cauda in unam & latam pinnã degenerat, squammis tegitur parvis, venter livet, latera purpurant, tergus ex flavo nigrescit, parvis quibusdam ac rufis ma-

culis nonnullas ejus partes pingentibus. Fluviatiles autem Percæ magnam similitudinem cum marinis habent, sed valdè minutæ sunt.

Sturio. Corpore est tereti & oblongo. 2. Os illi est sine maxillis, sine dentibus, diversum penitus à reliquorum piscium forma, & illud quidem sub mento in ipsa propè ingluviem parte ad similitudinem fistulæ arundineæ rotundum, sempérque patens. 3. Totum caput durâ potiùs Cartilagine, quàm ossibus constat. 4. Branchias habet osseo operimento contectas, oculos parvos, & rostro geminas dependentias. 5. Dorsum crassiores quædam squammæ, osseâ duritie certô numerô, ordinéque distinctæ occupant. 6. Cæteræ partes corporis cuticulari & scabro admodùm operimento conteguntur. 7. Linguam habet crassam & duram, gulam undique rugosam. 8. Naribus quæ illi supra rostrum prætenues sunt, refrigeratur. 9. Ventrem cute levi & quasi argentei coloris tectum. 10 Pinnas habet ad branchias duas & totidem in ventre, unam prætereà in dorso propè caudam, cui alia eregione infra subnectitur. 11. Ventriculum carnosum solidúmque, caudam in duas pinnas degenerantem. 12. Hepar in duos oblongos globos dividitur, quorum dextro vesica fellis arctissimè connectitur. 13. Lienem subrubrum, intestina crassa & ternis gyris convoluta. 14. Sturiones in fluvios ascendunt è mari. 15. Dum escam quærit, terram instar suis, quærere dicitur, vescitúrque non piscibus, sed muco, aliisque similibus terræ quisquilijs. 16. Inter delicatissimos pisces numeratur: dicitur etiam Accipenser.

Trutta. Truttæ aliæ sunt lacustres, aliæ fluviatiles; illæ dicuntur Truttæ majores, hæ autem alio nomine auratæ. 2. Sunt & aliæ Truttæ majores fluviatiles, quæ in Vago fluvio Hungariæ capiuntur, quas nos Galoczas appellamus. 3. Sunt rursus aliæ minores Truttæ, colore & quantitate ab alijs distinctæ, quas Germani Salblingas nuncupant. 4. Unde non pauci, Salmones quoque, ad genus Truttarum referunt, cum hac tamen differentia, quòd Salmones ex mari in fluvios & lacus subeant, Truttæ verò in ipsis fluminibus nascantur: dein quòd illi has superent magnitudine. 5. Prætereà inter Truttas majores & Salmones, item inter Salmonatas (Germanis Laschszfern, Hungaris Laszocz) magna est convenientia. Forma nempè tota & corporis partes internæ & externæ: caro rubicunda, squammæ exiles, maculæ seu puncta, magnitudo, vis & agilitas & svavitas in cibo. 6. Fluviatiles quoque Truttæ aliquæ, differunt inter se, maculis, magnitudine, & colore, & hæ quidem adversùs flumen, ut plurimùm natant: vescuntur aquarum dejectamentis, minusculis pisciculis, ac etiam auri arenulis, gaudent aquis frigidissimis, limpidissimis & saxosis. 7. Tonitrua vehementer timent, & stupore ad auditum eorum afficiuntur. 8. Pariunt mense Octobri. 9. Tradunt eas, dum partus instat, scrobes modicas facere, in iisque ova sua deponere. *Thy-*

Thymallus. Hungaris Lepén, Germanis Asch dicitur. Hic Piscis. 1. Est Truttani generis. 2. Caput, pro corporis ratione habet parvum, quod in acutum tendit. 3. Os aperit non longo, sed quadrato ferè hiatu. 4. Ventre est prominentiore. 5. Squammas quidem habet, sed delicatissimas, Pinnas duas ad branchias, duas alias in ventre inferiore & ad caudam unam. 6. Maculis multis partim nigris, partim subrubris variegatur. 7. Branchias utrinque habet quaternas: ventriculum mediocrem, intestina crassiuscula, pinguedine multâ obvoluta, cor valdè exiguum, splenem subrubrum, sicuti & hepar, fel tam exile ut vix rudimentum ejus aliquod appareat. 8. Cùm maximè augetur, ad cubitalem magnitudinem excrescit. 9. Puras & frigidas aquas, & saxosas amat. 10. Vescitur aquatilibus dejectamentis, & vermibus terrestribus. 11. In fluvijs, in quibus Truttæ nutriuntur, nutriuntur etiam Thymalli, sed non è contra; sic in Vago fluvio in copia inveniuntur Thymalli, nullæ verò Truttæ communes, licèt hæ copiosæ sint in fluvijs immediatè in Vagum influentibus. 12. Non solùm svavitate cibi & gustûs verùm & salubritate hi pisces commendantur.

Tinea. Hungaris Vargahal, Bohemis Lien. 1. Rostrum habet breve & retusum, os ferè rotundum: pro dentibus serrata ossa, ex utroque oris latere dependentias & appendices cutaceas, rotundas & breves, molles ac lubricas. Oculos magnos & aureos, pinnas binas ad branchias, totidem alias in ventre, unam inferiùs propè caudam, & unam in dorso, brevem sed aculeatam. Cauda in latam pinnam desinit: Branchias quaternas duplices: Lapilli subinde reperiuntur in horum piscium capite, color haud omnibus idem est, plurimi ex ijs reperiuntur coloris albò flavescentis, nonnulli viridis, aliqui etiam subnigri. Stagnantes potiùs amant aquas, quàm fluviatiles, vescuntur luto: caro haud insvavis est eorum, si à sordibus ac immunditie fuerint optimè repurgati. Sæpè tamen esus illius est noxius, quia Medici omnibus vim quandam inesse ad febrim progignendam existimant.

§ XIV.

Solvuntur variæ Quæstiones de Piscibus.

QUæri potest. 1. Quô die creationis mundi, sint Pisces à Deo producti? ℞. Pisces productos fuisse à Deo quintâ die creationis mundi unà cum avibus. Patet id ex Genesis Cap. 1. v. 20.

Quæri potest. 2. Unde sint pisces creati? ℞. Pisces creatos esse ex aqua. Patet id ex ejusdem capitis verbis illis. *Producant aquæ reptile animæ viven-*

tis; & illis alijs : *creavítque Deus cete grandia & omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas.*

Quæri potest. 3. Quomodo pisces ex aqua fuerint producti? ℞. Efficienter quidem & principaliter à Deo, aquâ ipsâ eâque solâ ut causâ materiali concurrente.

Quæri potest. 4. An aliquando pisces nascantur præcisè ex putri? ℞. Aristotelem id quidem asserere, recentiores tamen Philosophos id negare, qui dicunt in similibus generationibus, semper intervenire aliquid de seminali virtute ejusdem rationis piscium.

Quæri potest. 5. Quomodò ergo fieri potuit, ut ex nubibus aliquando pluerint pisces? ℞. Id fieri potuisse eô modô, quô aliquando ex ijsdem pluit triticum & alia similia, nempè per vehementiam ventorum & turbinum, quâ abrepti pisciculi, ex aliquo loco, humore in nubes concluso, postmodùm nubibus ruptis in terram deciderunt.

Quæri potest. 6. An pisces quoque bini duntaxat, in quavis sua specie, fuerint à Deo creati, in initio productionis mundi, sicut animalia alia? Respondet Nierembergius: Non binos tantùm pisces, in quavis specie productos fuisse à Deo, sed longè in majori numero, præsertim si de minoribus piscibus quæstio procedat, idque ad grandiorum piscium voracissimorum alimentum & gulam sustentandam.

Quæri potest. 7. Cur Deus tempore Diluvij omnia animalia, exceptis illis pauculis, quæ erant in Arca Noë deleverit, non verò pisces? Respondet S. Augustinus de mirabilibus scripturæ lib. 1. cap. 4. *Universa* (inquit) *quæ in aquis vivere possunt, diluvij plaga non tetigit, quæ terrena tantùm mortificavit. Quia nimirum in prævaricatione Adami Deus non aquis sed terræ maledixit, ac consequenter & animalia, quæ maledictam terram manducaverunt, experta maledictionis esse non poterant, præsertim cùm terra cum suis Animalibus maledictioni subjecta erat.*

Quæri potest. 8. Cur ipsis quoque aquis tunc Deus non maledixerit? Respondet idem S. Augustinus. *Quia* (inquit) *non aquam contra interdictum Domini* (*primus parens noster*) *bibit, sed fructus terræ comedit.*

Quæri potest 9. Cujus speciei fuerit piscis ille, cujus felle Tobiæ senioris curati sunt oculi? Existimant aliqui, *Uranoscopum* sic dictum piscem fuisse, hujus enim piscis fel, singulariter à Medicis extollitur, utpotè quòd aciem oculorum exacuat, & suffusionem tollat.

Quæri potest. 10. Ex quo genere piscium fuerit ille piscis, qui Jonam deglutivit? Existimant aliqui fuisse Canem marinum, *Chararium* dictum. Hic enim piscis est vastissimo & capacissimo ore, & aliundè hominum vorax

rax. Nec videtur obstare, quòd Scriptura Sacra nominet eum Cete, hoc enim nomen genericè acceptum, convenit omnibus marinis piscibus, vastæ ac enormis magnitudinis.

Quæri potest. 11. Cur pisces aërem non respirent, sed aëri expositi suffocentur? ℞. Quia pulmone carent, nam pulmo aërem attrahit & expellit.

Quæri potest. 12. Cur pisces careant palpebris? ℞. Quia oculos habent duros, atque ita munimento palpebrarum non indigent.

Quæri potest. 13. Cur pisces raro sunt venenati? ℞. Quia venenum indiget mixtura terræ, in piscibus autem modicum est terræ.

Quæri potest. 14. Cur in piscibus hepar & cor sunt simul? ℞. Quia piscis est plurimùm frigidus, junguntur proinde hæ partes calidiores simul, ut mutuò se foveant, & sic magis conservent.

Quæri potest. 15. Quomodo pisces cùm sint naturâ frigidissimi adhuc tamen aquam frigidam sustineant? ℞. Quia frigus majus non opponitur frigori minori, neque frigus extinguitur frigore, sed calore & vice versâ, & sic in alijs animalibus, ex. gr. homine, nativus calor extinguitur per excessivum frigus, & ita homo emoritur.

Quæri potest. 16. Cur ergo pisces si aërem non respirant sub glacie suffocantur? ℞. Quia halitus terreni noxij sunt piscibus; hi verò cùm aqua glacie cooperitur, non evolant, atque aquam inficiunt, piscésque enecant.

Quæri potest. 17. Cur in quorundam piscium capitibus inveniantur lapilli? ℞. Hi lapilli inveniuntur in ijs piscibus, qui majuscula habent capita, talia autem capita sunt frigidiora, atque ijs inest humor glutinis, qui in lapillum constringitur.

Quæri potest. 18. Cur pisces non ossa sed spinas habent? ℞. Quia modicum habent materiæ osseæ, & illud ipsum modicum in squammas ferè totum abit.

Quæri potest. 19. Cur pisces fel maximum habeant? ℞. Hoc potissimum convenire piscibus, qui in aqua dulci degunt, dulce autem fel nutrit.

Quæri potest. 20. Quomodo pisces digerunt alimenta cùm frigidissimæ naturæ sint? ℞. Quia non solus calor juvat ad digerendum alimentum, sed etiam humor, humore autem abundant pisces.

Quæri potest. 21. Cur piscium magna copia sit sterilitatis signum? ℞. Quia pisces maximè generantur in humido intemperato, humidum autem intemperatum nocet segetibus.

Quæri potest. 22. Cur pisces habeant linguas, cùm nullam vocem, nullum sonum edant? ℞. Pisces quidem habere linguas, sed vel palato affixas, vel si liberas, pro proportione oris crassas, & ideò sonis efformandis inutiles, utræque tamen subserviunt sapori discernendo.

Quæri potest. 23. Cur formationes piscium incipiant ab oculis? ℞. Quia pisces statim natare incipiunt, ideóque indigent, ut dirigantur, quod absque oculis fieri non potest.

Quæri potest. 24. Utrùm Thunni qui alibi reperiuntur, sint ejusdem speciei cum Husonibus, qui in Hungaria capiuntur? ℞. Affirmativè, patet id ex utriusque piscis descriptionibus.

Quæri potest. 25. Utrùm Perca *Sórek*, Antaceus, *Tóck*, Sturio, & Huso sint pisces ejusdem speciei? ℞. Hanc quidem esse opinionem vulgi, quòd solùm hi pisces quantitate sive magnitudine intra se differant, sed re ipsâ differunt specie: Notabiliter siquidem inter se differunt, & fabula est, quòd Sturio excrescat in Antaceum, vel hic in Husonem.

Quæri potest ultimò. Utrùm Trutta major, Salmo, & Germanis Lachsferen differant specie? ℞. Hos pisces specie non differre sicut nec Salmonetas à minoribus Truttis; Nam differentia inter illos non est notabilis, sed accidentalis tantùm.

§ XV.

Admiranda Piscium.

1. ADmirandum hoc sanè est (ut inquit Majolus, Colloquio 9. dierum Canicularium) quòd piscis animal ab humana natura, adeò alienum, & tam locô quam rebus omnibus dissitum ac remotum, affici possit ita erga hominem, ut docile cicúrque fiat. 2. Sic enim, ut Plinius lib. 10. cap. 7. scribit: *In Cæsaris Piscinis genera Piscium ad nomen veniebant, quidam & singuli.* 3. Sic & Ælianus Historiarum lib. 8. cap. 4. refert: Crassum Civem Romanum, Murænam piscem in suo vivario habuisse, quæ vocem Crassi agnoscebat, atque ad eum adnatabat, cúmque ei quidpiam porrigeret, gaudio exiliens prompto ac parato animo suscipiebat. 4. Mira quoque est & Delphinorum, præsertim erga pueros affectio, amant autem omnes *Simonis* nomine appellari; hominem non expavescunt ut alienum, obviam navigijs veniunt, alludunt, & certant inter se, ad oblectationem aspicientium. 5. Illud jam omnibus notum de Delphino illo, qui puerum quemdam è cujus manibus pastum accipiebat, quotidie Puteolos per magnum æquor in ludum deferebat, atque rursus domum devehebat, ídque annis compluribus, mortuóque puero ipse quoque desiderio illius exspiravit. 6. Sed & *Manati* marinum monstrum cicuritatis capax est; Hujus generis piscem adhuc infantulum aluit quidam Indiæ Regulus in lacu suis ædibus proximo,

ximo, liber in aquis piscis vagatus est, quinque & viginti annis; adolevit interea in immensum, nomine suo appellatus, adnatabat, patiebatúrque se hominum tangi manu, transferebat per lacum familiares Reguli & rursus revehebat cum magna spectantium voluptate; Uti testatur Nierembergius lib. 10. Historiæ Naturæ cap. 9. 7. Neque deest in quibusdam piscibus miranda industria. Nam ut habet S. Basilius Homil. 7. Cancer cùm ostrearum carnis sit valdè appetens, & captu difficilis sit eidem hæc præda, propter durissimæ testæ impedimentum, observat is Conchã, voluptuosè ad radium solis plicas suas expandentem, clanculúmque accedendo calculum seu lapillum Conchæ immittit, sícque complicationem illius impedit, ac prædam aptatam extrahit. 8. Dolositatem hanc superat *Rana marina*, quæ piscatrix dicitur, cúm enim illi gemina fila ante oculos dependeant, hæc locis arenosis vel fæculentis, obturbato solo se abscondens, exponit, ad quam cùm pisciculi escam esse putantes accurrunt, sensim ea retrahit, ac simul pisciculos cum illis attrahit, in ósque deducit. 9. Sed & *Sepia* piscis dum metuit, ut periculum evadat, attramentum quô abundat, in aquam diffundit, atque sic evadit. 10. Polypus quoque cùm insidiatur piscibus in saxi colorem se vertit, sícque pisciculos nìhil sibi metuentes, quin & securè ad se accedentes, plicis suis involvit & in prædam rapit. 11. Est in piscibus etiam, ut saluti suæ consulant mira solertia, nôrunt enim & in alia loca migrandi tempus, & iterum ad sua loca redeundi. 12. Pisces marini licèt in aqua salsa degant, aluntur tamen aquâ dulci mari permixtâ, quam mirandum in modum ubique secernunt. 13. Illud prorsus admirandum quod refert Majolus Colloquio 9. dierum Canicularium. In Orientali Oceano inventum fuisse quadrupes animal, cui in senectute contigit, converti prorsus membris omnibus in piscem. 14. E contra verò *Astriz* pisci accidit, ut cùm senuerit, mutatâ formâ piscis, assumat formam terrestris animalis, migrétque in perpetuum à mari, terrestréque factum animal, terram ìncolat, vescatúrque terrestribus. 15. Demùm obstupescenda est in aliquibus piscibus incredibilis ferè magnitudo, ad quam excrescunt, præsertim eorum qui sunt ex genere Cetorum. Nam ut Plinius lib. 9. Nat. Histor. cap. 3. scribit: In Indico Mari Balænæ excrescunt quaternûm jugerum. *Pristes* (species est Cetorum) ducentorum cubitorum: Idem ait Gidrofas: Accolas Albin amnis, in domibus fores ex maxillis similium belluarum marinarum erigere, ossibus verò tecta contignare, ex quibus multa quadrigenorum cubitorum reperiuntur. Et lib. 32. cap. 1. ait, in Arabicum sinum Cetos sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis, tempore quodam intrasse. Plura de magnitudine Cetorum vide apud Albertum Magnum. 16. Inter

ter miranda piscium *Cajcanus* piscis, qui & reversus dicitur, est referendus, hic enim tantæ docilitatis est, ut eô Incolæ Indi non aliter ac nos canibus per campos, ita illi venatore hoc pisce, alios pisces capiant. Hunc vinctum tenent in navis sponda funiculo: Viso autem aliquo pisce grandi aut testudine, eundem solvunt. Is cùm se solutum sentit, sagittâ velociùs piscem aut testudinem, quâ extra Conchile partem aliquam tenet, adoritur, prædámque raptam ita tenaciter apprehendit, ut exolvere ipsam, eô vivô nulla vis sufficiat, nisi extra aquæ marginem paulatim glomerato funiculo extrahatur; sic retractus, prædam piscatoribus relinquit, rursúsque in mare remittitur pro nova capienda. 17. *Orbis* seu *Physa* piscis marinus, uti & Hirundo marina ejus naturæ sunt, ut semper ad flantem pro tempore ventum, rostrum convertant: unde ex situ & motu horum piscium nautæ infallibiliter ventum & tempestatem ex plaga illa imminere, pronunciant, ad quam rostro conversi sunt hi pisces. Imò si hi pisces mortui etiam, exenterentur, aut excorientur ac tomento oppleantur, ac è conclavium Tholis suspendantur liberè, filo alligati, aut vitro suspenso inclusi, semper ad illam cœli partem rostrùm convertent, à qua ventus proflat.

§ XVI.

De Sympathia & Antipathia Piscium.

1. SCarorum Piscium magnus in suos amor est, nam sive hamo, sive nassâ quispiam illorum capiatur, alij accurrunt, conantúrque eundem eliberare vel funiculum in quo hamus est abrodendo, vel ex nassa eundem per posticum extrahendo. 2. Similiter & *Anthiæ* pisces cùm ex suis aliquem hamo teneri advertunt, celeriter adnatare festinant, & dorsi sui nixu funiculum à quo hamus dependet, proscindunt, sícque captivum eliberant. 3. *Mullus* marinus piscis *Leporem marinum*, sic dictum piscem, cujus esus tam hominibus, quàm piscibus cæteris, noxius est, occulto naturali odio prosequitur, eúmque sine noxa devorat. 4. Eidem pisci peculiaris Antipathia est cum *Torpedine* pisce, nam licèt Torpedo alijs piscibus solo attactu tantam torpedinem inducat, ut obstupefacti locô moveri se non queant, hic contrariâ vi eidem resistit, ejúsque vim torpediferam, retundit. 5. *Xiphias* piscis marinus Balænam conspiciens, usque adeò metu consternatur, ut gladium, hoc est rostrum suum, illicò terræ aut saxô, aut alicui vadi loco infigat, sícque immobilis hæreat, tamdiù quamdiù Balænam conspicere valeat. 6. *Sargi* pisces, tantoperè capras amant, ut cùm

illæ

illæ à pastoribus in magnis æstibus ad littora lavantur, Sargi confestim adnatantes eas circumdent, ac circumsalientes mirificô gaudio lambant, imò cùm in littoribus pascuntur, vel ad earum umbram protinus exiliant & ad littus adnatent. 7. E contra piscem *Xiphiam*, *Mænides* pisces acriter persequuntur, cùm enim illi in ventre pellem tenuissimam habeant, hi subintrantes asperô suô dorsô eandem rumpunt, ventrémque exedunt, atque sic illum conficiunt. 8. Vicissim *Xiphij* seu *Gladij* pisces telô è rostro prominente Thunnos toto mari insequuntur, & ex Athlantico mari usque ad mare Siculum gregatim impellunt. 9. *Delphini* pisces, *Pampillos* pisces, odio prosequuntur, ac devorant, non tamen impunè, nam devoratô Pampillô continuò discruciantur, & convelluntur, furoréque agitati consistere non valent. 10. *Amiæ* gregales pisces singulari amore se prosequuntur, & dum aliquam Belluam maris, vident se se colligunt velut in aciem, ac si quæ ex ijs violetur ab ea, illam magnô nisu defendunt. 11. *Concris* piscibus maxima pugna intercedit, cum *Murænis*, *Locustis*, ac *Polypo*. Murænæ enim Concris caudam demordent, & hæ vicissim illis. 12. A Locusta tamen Concrus licèt majore & validiore corpore præditus sit, superatur, & vicissim locusta à Polypo, & hic à Concro. Muræna enim Polypo brachia, dentiū firmitate præscindit; Polypus vicissim Locustas à se comprehensas, strangulat, earúmque sanguinem exsugit. 13. Vulnera illata ab osse *Pastinacis* piscis, fiunt acerbissima & venenata, protinus enim ad illa succedit molestissimus dolor, assidua convulsio & lassitudo, & imbecillitas, variaque corporis, quin & mentis affectio mala. 14. Hoc tamen venenum totum extrahitur, si vulneri pulveres ex hepate ejusdem piscis applicentur. Ita ut in illo ipso pisce sit venenum & simul ejusdem veneni Antidotum. 15. Salmones ab Hirudinibus maximè infestantur. 16. *Zingæ* pisces Sturionibus valdè infesti sunt, eósque è mari, ad flumina propellunt. 17. Lucius vulneratus ad humorem Tincarum earúmque attactum, sanatur. 18. Ceti, Haleces maximè persequuntur, eorúmque carne mirificè delectantur. 19. Balænæ, navium recens picatarum odore adeò oblectantur, ut proximè accedentes se se navi affricent. Eædem Balænæ, Thunnis, Delphinis, atque *Orcis* sunt infestissimæ. 20. Crocodilorum metu, nullus piscis ex mari in Nilum flu[illegible]um ascendit; præter Thyrsum, Mugilem & Delphinum. 21. Delphini, in Nilo studiò Crocodilum eliciunt ad natandum, demersíque astu fraudulento, tenerum ventriculum ejusdem supernatantis, secant, sícque eundem interimunt. 22. Delphinos comitantur supervolantes certæ aves *Cephes* dictæ, quæ ab illis occisorum piscium sanguine pascuntur. 23. Delphini catulorum suorum sunt amantissimi, vehementer enim ijs metuunt, diligenti custodiâ eos conservant, neque ab eis recedunt, non magis quàm à

 teneris

teneris agnis, pastores: Sauciæ proli ita adhæret mater, ut nullô modô absterreri, & nec quidem ictibus ab ea divelli queat, atque simul cum ea capitur & occiditur. 23. Cum Delphinis solæ *Amiæ* pisces audent apertè congredi, non tamen eos præsumunt aggredi ipsæ priores, nisi cùm aliquem solitarium inveniunt, atque hunc frequenter superant, non robore corporis aut virium, sed multitudine. 24. Delphini tranquillô mari, salientes atque lascivientes, flatus & ventos, ex qua veniant parte, præsagiunt, & spargentes aquam turbato mari, tranquillitatem, teste Plinio. 25. *Phoca* sive Vitulus marinus, cum ipso mari mirabilem habet Sympathiam; pili siquidem hujus animalis excoriati, si mare turbatur, eriguntur, si desidit, in planum sternuntur, etiam in longissima maris distantia.

§ XVII.

De Piscibus, Fossilibus, Volatilibus, Syrenibus.

FAbulosum aliàs posset videri: Pisces in terra reperiri, aut è terra effodi, & multò magìs aquis supervolare pisces aliquos. Verùm indubitatum est, ex multis testibus, atque exemplis, varijs temporibus, ac locis, repertos fuisse, ac nunc quoque reperiri subterraneos ac fossiles pisces. Sic Aristoteles lib. de Mirabilibus auscultationibus cap. 70. *Heracleæ piscium genus ajunt, intra terræ cavernaculas defossum, maximè circa flumina, locaque humidiora.* Idem testatur Theophrastes & ex eo Gessnerus libro 4. de Aquatilibus. Et Strabo lib. 4. Geographiæ, etiam de alijs locis. Nierembergius addit: *In amne Zenu Anguillæ merâ arenâ involutæ, & ab aquis procul reperiuntur.* Idem alibi alijs piscibus est commune. Quomodo autem pisces fossiles sub terra generentur, aut eò deveniant, major quæstio est: Ad primam respondet *Agricola*, eos vel per venas subterraneas & fibras terræ eò penetrare; vel ex semine piscium eò delato ibidem nasci. In sententia Aristotelis faciliùs esset hujus rei rationem dare, cùm is admittat pisces etiam eos, qui aliàs in primordio ex ovis nascuntur, posse ex limo vel terra nasci. Alterius difficultatis promptior est solutio. Ad respirandum enim talibus piscibus, ajo, sufficere humorem in illis locis humidis & uliginosis: deinde fortè aliqui more vermium subterraneorum se suô succô refrigerant, aut certè insertâ ori glebâ terræ frigidâ ac humidâ.

Secundi verò generis pisces sunt ij, quos vocant Hirudines áquaticas: Hæ enim ne piscium majorum præda fiant, volant extra aquam, demissè tamen, quemadmodùm aves è flumine aquam hausturæ. Volant autem quam-

diù alæ hument, dum siccantur, statim decidunt ad mare. Addit citatus Nierembergius cap. 38. pisces alios volatiles, quibus *Mors* nomen, qui montem Oceano Septentrionali adjacentem dente fricando & ascensum promovendo conscendunt, dúmque ad summitatem illius pervenerint, ad alteram partem illius transvolant, sæpéque volitando decidunt, & decidui ab incolis colliguntur.

Demùm Syrenes pisces quoque dari, jam priùs Parte 1. Decadis secundæ Miscellaneorum, Dissertatione 12. § 20. ostendimus.

§ XVIII.

Vis Medicinalis Piscium Marinorum.

1. FEl *Scarorum* prodest ad tollendas suffusiones oculorum. Juxta Galenum.
2. Hepar piscis marini *Hepatis* sic dicti in pulveres tritum, & emplastri modô impositum, tumorem sanat, & podagram lenit.
3. *Melanurus* piscis assus, visum acuit, jus verò colicos sanat dolores; teste Kiranide.
4. Lapides in *Coracini* piscis capite reperti, valent ad Nephreticos dolores, seu morbum Regium curandum, ut scribit Rondelinus.
5. *Scianæ*, idest Umbræ, piscis lapides in capite inventi, collicum pellunt dolorem
6. *Anthiæ* piscis fel cum melle tinctum, exanthemata curat, & floridum vultum facit: Lapides verò capitis, ad collum appensi, omnes capitis dolores sanare, traduntur.
7. *Gobius* marinus assus, & sine sale mansus, dyssenteriam sistit.
8. *Acus* dicti piscis cinis vulneribus aspersus, omnes eorum putredines sanat.
9. *Mullum* piscem assum, Hydropicis præscribit Galenus.
10. Partes capitis ejusdem decoctæ, & cum melle subactæ, ad carbunculos discutiendos juvant, ut refert Plinius.
11. Dentes *Sargi* gestatos, dentium omnem dolorem avertere scribit Kiranides.
12. Fel *Scorpionis* piscis marini, præcipuum usum in medicinis habet.
13. Jus *Atherinarum* piscium ventrem emollit, & renibus prodest, authore Kirando.
14. *Sardorum* pulveres ad strumas tollendas, & ea quæ intra os dolent sananda proficuum esse, testatur Marcellus Empiricus.

15. Galeno Authore *Mænarum* salsarum cineres, melle illiti faucibus, anginam prohibent.

16. Plinius verò *Mænarum* cineres ulcera, quæ serpunt & quæ ex ijs excrescunt, coacere perhibet.

17. Juxta eundem Plinium, cinis capitum eorundem piscium, strumas sanat.

18. *Smaridis* piscis caput tostum ad pilorum defluvia sistenda juvat.

19. *Rombus* vivus appositus lateri, medetur lieni, si deinde remittatur in mare, ut scribit Plinius.

20. *Aranes* piscis è capite cinis contra omnia venena prodest, ut testatur Rondelinus.

21. Hippocrates, ijs qui ægrotant morbo crasso, à pituita putrefacta orto, obsonium ex *Callyonymo* pisce præscribit.

22. Laborantibus ex Jecore, *Scombrum* piscem edendum svadet Ælianus, & ad sanitatem eos reddituros tradit.

23. Sanguis *Thunnorum* genis illitus, barbæ ac pilorum exitum prohibet, ut notat idem Ælianus.

24. Inveterata caro eorundem, canum morsibus utiliter imponitur.

25. Kiranides *Murænam* marinam si edatur ex Jure piperis, Nephreticos sanare asserit, Lepramque ac Scabiem tollere.

26. Plinius verò Lichenes, & Lepras *Murænarum* marinarum cinere, tolli ait.

27. Addit Marcellus Empiricus *Murænarum* pellium cinerem ex aceto fronti illitum, prodesse adversùs capitis dolorem.

28. Hippocrates ijs qui laborant tertio genere tabis: *Torpedinem*, *Squatinam*, *Mayam*, & *Galeum*, edere consulit.

29. Oleum ex hepate *Centrinis* piscis, ad duritiem hepatis humani, emolliendam confert.

30. Fel ejusdem piscis suffusiones oculorum delet, melle permistum & palpebris illitum.

31. Cinis verò ad capitis ulcera manantia detergenda, exsiccanda miràque celeritate curanda valet.

32. *Torpedo* in cibo sumpta alveum teste Plinio emollit.

33. Hippocrates quoque in quodam morbo hepatico, non dissimili pleuritidi, ejusdem usum præscribit.

34. Galenus ab hepate aqua-cute laborantem piscibus *Galeo* & *Torpedine* vesci vult.

35. Dioscorides ad diuturnos capitis dolores tollendos, eandem *Torpedinem* capiti admotam, prodesse asserit.

36. Jecur *Pastinacæ* piscis modicum in oleo decoctum, Lichenes & Lepras tollere scribit Plinius.

37. Celsus radium hujus piscis jubet terreri, mox conteri, resinâque excipi, atque sic applicatum denti, dolorem dentis solvere, asserit.

§ XIX.

De Vi Medicinali Piscium Fluviatilium.

1. GEsnerus scribit, Fel *Anguillæ*, *Thymalli*, & *Tincæ* ac *Porcelli* lactentis ad aurium remedia prodesse: Hoc enim infusô, ait, pelliculas rumpi, fluxiones curari, vermes occidi.

2. Salvianus docet: Quòd si pinguedo *Thymalli*, in vitreo vasculo mense Majo soli exponatur, id quod ex illa distillat, ac in vitreo vasculo residet, auribus instillatum, gravitatem auditûs discutere, vulneribúsque salutare esse.

3. Idem Gesnerus ejusdem *Thymalli* adipem seu pinguedinem, ad oculorum quoque remedia commendat.

4. Randelitius scribit: Ossa maxillarum *Lucij* usta, à quibusdam in medicamentis usurpari, hæc enim in cinerem & pulverem redacta, Drachmæ pondere ad calculos renum comminuendos valere credit.

5. Kiranides Fel *Cyprini* seu *Carpionis*, oculis inunctum, omnem obscuritatem tollere asserit.

6. Lapidem ex capite ejusdem piscis, ægris in gravi febris æstu alleviamentum adferre idem author tradit.

7. Eodem Lapillo, si ore contineatur fluxionem sanguinis è naribus cohiberi, sunt qui affirmant.

8. Nonnulli Medici ajunt *Tincas* vivas pedibus subditas seu alligatas Febricitantium æstus temperare.

9. Ictericis quoque aliqui *Tincam* vivam alligant, umbilico aut jecori donec immoriatur, postridiè rursus aliam, ídque etiam tertio die repetunt.

§ XX.

De nonnullis Conchilijs Aquaticis.

Ex his tria solùm notiora genera adducemus: nempe Cancros, Ostreas, & Testudines.

1. ITaque Concha seu testa horum Aquatilium, uti & aliorum crustaceo-

rum animalium ; est vera Planta. *Nutritur enim & crescit proportionaliter, igitur ab intrinseco, ergo est vera Planta.* 2. Porrò licèt talis crusta sit durum corpus, habet tamen suas fibras & fibrarum plexus. *Sicut enim durities in ossibus & cornibus, non impedit traductionem seu percolationem succi alimentitij, ita nec crustarum.* 3. Testa Cancrorum initiò mollior est. *Nam & ossa initiò, instar Cartilaginis esse videntur.* 4. Chelæ sive forcipes cancrorum ejusdem sunt naturæ & materiæ, cujus reliquum corpus Cancri. *Reliquo siquidem corpori, cartilagineâ fibulâ uniuntur.* 5. Sunt autem forcipes seu chelæ hæ denticulatæ & serratæ. *Quæ pedum figuratio provenit ex superfluitate succi: videre est, quid simile & in folijs arborum, aut etiam floribus aliquibus, imo & in spinis.* 6. Potest autem Cancer has chelas explicare aut constringere. *Quod operâ nervi fit.* 7. Mira autem est cancrorum caudæ testaceæ ratio. *Cùm enim flecti & lunari debeat, testa illa continua non est, sed ex pluribus testis squammatis compacta.* 8. Cancri testa cocta, fit rubra. *Quia humor, qui in vivis cancris nigredinem conciliabat, vi caloris educitur, igitur nigredo in ijs cessat: eadem verò vis caloris intendit colorem versùs albedinem promovere, sed in rubro sistit, utpotè medio colore, album inter & nigrum. Sic etiam Tegulæ nigræ, seu terreæ per excoctionem fiunt rubræ.* 9. Hinc certum genus cancrorum (quos nos caprinos cancros vocamus) postquàm coquitur eorum testa magis ad albedinem accedit. *Quia in illis etiam vivis non est tanta nigredo, ideò excoctio magìs attingit albedinem.* 10. Aristoteles ait lib. 4. Histor. animalium cap. 2. Cancrorum genus dividi in tam multas species, ut difficilè possint recenseri. *Quod tamen de cancris marinis potissimùm intelligendum est.* 11. Cancri habent decem pedes connumerando forcipatos. *Quinos scilicet utrinque cum forcipatis.* 12. In Phœnicia, ait Aristoteles cancros quosdam littorales, tanta esse velocitate præditos, ut ægrè eos cùm currunt captatores consequantur. *Quos ex hac ratione Græci Hippæas hoc est Equites appellant, hi tamen ex defectu pabuli intus sunt vacui, nec quidquam continent esculenti.* 13. Maxima pars cancrorum dextrum forcipem habet majorem & validiorem alterô. *Majori nempè parte alimenti & succi ad eum confluente.* 14. Cancri caudâ carent. *Pars enim illa quæ in ijs videtur cauda, eorum caput est.* 15. Os cancrorum sub oculis illorum est. *In eòque sunt duo dentes, iique non rotundi sed oblongi.* 16. Mas cancrorum differt à fœmella *Magnitudine nempè, vastitudine & operculo.* 17. Cancri tempore verno mutant crustam. *Eô prorsus modô, quô serpentes pellem, succrescente videlicet novâ, & veteri recedente.* 18. Cancri utuntur branchijs forcipatis, non tam ut pedibus ad ambulandum, quàm ut manibus ad capiendum. *Ideò*

etiam contrario motu flectunt brachia ac flectunt pedes. 19. Cancris forceps datus est, non ad mordendum, sed ad capiendum & retinendum. *Nam ad mordendum habent dentes præmentionatos.* 20. Quando cervi accipiunt ictum ab aliquo venenato animali, cancros edunt & sanantur. *Ex peculiari Sympathia, quamvis putent aliqui esum cancrorum etiam hominibus prodesse.* 21. Cancri in novilunio macri, in plenilunio pleni & carnosi sunt. *Nimirum juxta influxum lunæ, quæ in humida corpora, cujusmodi sunt cancri, uberius influit in plenilunio quàm in novilunio.* 22. In Oceano Orientali cancri sunt maximæ vastitatis. *Nam ut scribit Licostanus: Inveniuntur & corporis vastitate & roboris firmitate tanti, ut integrum hominem Chelis suis corripiant, & illicò obtruncent, obtruncatúmque devorent.* 23. Cancer, Ostrea, & testudo, aliáque id genus ossa, extrinsecùs habent. *Durior enim pars nutrimenti seu alimenti, quæ in alijs animantibus in ossa intrinseca abit, in his ad extrinsecas testas convertitur.*

Ostrea. 1. Conchæ, in quibus Ostreæ continentur sunt veræ plantæ, vel Ostreæ. *Propter rationem initiô hujus Paragraphi adductam.* 2. Hinc Ostrea modò aperit, & explicat, modò claudit, & stringit conchas: Imò nonnullæ limbo serrato & denticulato terminantur. *Ex eadem ratione, quam pro Chelis Cancrorum adduximus.* 3. Varijs coloribus natura in conchis lusit. *Pro diversitate scilicet succi alimentitij, percollatione & concoctione.* 4. Porrò Conchæ ut plurimùm vel lignis putridis, vel antiquis navigijs, vel radicibus arborum, vel ipsis cautibus adhærent. *Ex his enim alimentum sugunt.* 5. Ostreæ in mari Indico ita ampliantur, ut unius caro XXV. pondo sit aliquando. *Ut Author est Pigafeta apud Nierembergium Hist.* Nat. *lib.* 11. *cap.* 66. 6, Ostreæ licèt non sint terræ vel saxo affixæ, tamen non possunt se movere motu progressivo. *In quo differunt ab alijs concharum generibus, quæ vivunt saxis affixa.* 7. Ostreæ ex sententia Aristotelis generantur ex cœno & luto marino. *Ideóque ait eas nasci in locis cœnosis. Quod confirmat etiam ex eo, nam in quibusdam locis, in quibus ante non fuerunt Ostreæ, cœnô factô ex inopia aquæ, natæ sunt Ostreæ. Adducit & experientiam, quòd cùm apud Rhodum applicuissent naves & projecissent vasa fictilia, post aliquod tempus natæ fuerint Ostreæ.* 8. Ostreæ non emittunt semen juxta eundem Aristotelem. *Quia* (inquit) *cùm in quædam loca delatæ essent Ostreæ vivæ, evaserunt quidem majores, sed non sunt multiplicatæ.*

Testudo. 1. Testa testudinis, quâ tum in dorso, tum in ventre (quæ propriè chelonium appellatur) munitur, pariter est durior. *Est enim vera planta, in quam crassior pars alimenti abit.* 2. Inferior plana est, superior connexa. *Hæc enim superiori parti, illa verò inferiori melius convenit.* 3. Utraq; verò

verò corpori testudinis adhæret. *Imò superior testa cum inferiori ita connexa est, ut relinquat duntaxat aperturas, quibus caput, caudam, & crura exerat.* 4. Figura quoque & forma Testudinis naturæ ejusdem convenit. *Sic enim animali huic tardissimo natura consuluit, dum illud fortissimâ quasi loricâ hinc & inde munivit.* 5. Variegati autem coloris sunt hæ testæ Testudinum. *Qui ex vario fibrarum plexu & ductu derivatur.* 6. Hinc finditur juxta rectum fibrarum plexum. *Quod etiam in marmore, sed vel maximè in omni lignorum genere fieri videmus.* 7. Testudo ova parit. *Est enim animal oviparum, non viviparum.* 8. Testudines marinæ vescuntur etiam concharum carne. *Quas eodem modo venantur, quô eos venantur cancri marini & polypi.* 9. Aliquando egrediuntur in terram, & pascuntur herbis. *Sunt enim animalia amphibia, quæ & in aqua degunt & in terra.* 10. Ex animalibus testaceis sola Testudo marina & terrestris habet vesicam. *Tum quia habet pulmonem sat magnum, tum quia testa, cùm sit dura & densa instar silicis, impedit ne humor excrementitius possit evaporari.* 11. Testudines visceribus & ipso corde detractis, adhuc se movent. *Quia in reliquo corpore retinent, quemdam imperfectum adhuc sensum*, ut ait Aristoteles Libro de Juventute & Senectute cap. 1. 12. Æliano teste, caput marinæ Testudinis abscissum non continuò moritur, sed & videt & diù habet oculos fulgentes. *Ex eadem ratione.* 13. De magnitudine Testudinum marinarum, mira produnt Authores. *Solinus* juxta Taprobantem, tantâ magnitudine esse testatur, ut earum testæ domum efficiant, & numerosam familiam non arctè recipiant, quod & Plinius habet lib. 9. cap. 10. Plura de his antiqui; sed & recentiores scribunt, in Insula Cuba novi Orbis adeò esse grandes Testudines, ut decem homines, mari unicam non valeant educere. Addit Nierembergius lib. 11. Historiæ Naturæ: Quòd etsi sub Zona torrida, non sint eâ magnitudine Testudines marinæ, quâ in Rubro, Indicóque mari, tamen & ibi inveniri Testudines, quarum una octuaginta hominibus largè prandentibus sufficiat. Sed qvid illud mirum, si proximis temporibus, ad aulam Cæsaream, Viennam, Tergestum è mari ejecta Testudo missa fuerit, aliquot libras, supra tres Centenarios ponderans.

DIS-

DISSERTATIO VII.
ALODIATURA PHILOSOPHICA.
SEU
DISSERTATIO
PHYSICA CURIOSA
DE ALODIATURÆ REBUS.

ALodiaturæ finis quidem primarius est utilitas; verùm huic utilitati si addatur, præter sensuum oblectationem insuper etiam intellectûs jucunditas, sanè nihil oberit, imò plurimùm proderit, juxta illud Poëtæ dictum: *Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.* Et profectò convenientissimum est, ne rebus sub sensum cadentibus, adeóque & ad alodiaturam spectantibus, solus sensus externus, & cupiditas rerum habendarum gaudeat, sed ut ex consideratione illarum, intelligendi quoque facultas particeps hujus gaudij fiat: ita ut Philosophiâ imbutus, & alodiaturam curans, majorem & excellentiorem ex ea oblectationem (intellectûs scilicet) capiat, quàm vilis villicus, & simplex quicunque rusticus, exercens & tractans ejusdem alodiaturæ œconomiam. Operæ pretium proinde erit, de singulis rebus, quæ in alodiatura occurrunt, Philosophari, effectus & proprietates earundem examinando, indagando, & ad suas naturales, seu Physicas causas reducendo. Quod præsenti Dissertatione præstare conabimur: servatâ eâdem methodo, quâ in alijs quoque Dissertationibus hactenus usi sumus.

§ I.
De Grano Frumenti, & Leguminum.

1. GRana Frumenti & Leguminum videntur vivere solùm per annum. *Ideò œconomi observant, ut semina quæ terræ mandantur, non sint*

anti-

antiquiora, quàm unius anni. 2. Producto verò fructu seu novâ semente videntur exarescere. *Quia totum alimentum convertunt in fructum, seu novam sementem.* 3. Frumentum expositum frigori, & vento, per multos annos conservatur incorruptum. *Quia frigus & ventus expellunt calorem, & humidum extraneum, ex quibus corruptio oritur.* 4. Hordeum est humidius & frigidius triticô. *Ideò ptisana hordeacea censetur utilior* esse infirmis *quàm triticea, illa siquidem refrigerat.* 5. Natum semen frumenti in malo campo, provenit in bono, non è contra. *Quia illud melioratur per bonam terram, hoc verò in mala degenerat in vilius.* 6. Semina securiùs seruntur in magis profundos sulcos, quàm in minùs profundos. *Quia licèt tardiùs prodeant, magis tamen se radicant.* 7. Ex grano uno frumenti v. g. Tritici fit unus tantùm *fundus* spicarum, non secus ac ex uno ovo, fit tantùm unum animal. *Quia licèt fiant ex uno grano plures spicæ, illæ tamen coalescunt in unam radicem.* 8. Semina seu grana ea meliora, quæ in aquam conjecta citiùs tumescunt, & in imo subsidunt. *Quia talia sunt magis vivida, quàm recentia.* 9. Semina cariosa fruges dant vitiosas. *Quia parùm de substantia sua iisdem communicant.* 10. Non debent misceri semina ex plano, montano, humidô, siccô loco. *Quia unius fructu maturô, alterius erit fructus viridis.* 11. Porrò frumentum primariò ordinatur ad farinam. *Imò farina nihil aliud est, quàm tritum frumentum.*

§ II.

De Farina.

1. FArina subigitur humore. *Quia cùm partes farinæ subit & solvit, innumera ferè filamina ex ea educit, quorum operâ, granula ejusdem, in unam massam colliguntur, & complicantur.* 2. Solus tamen humor ad id non sufficit. *Nam se solo minutissimas illas particulas non unit, ut videre est in tenuissima arena.* 3. Requiruntur igitur ad hunc plexum etiam filamina. *Quia filamina humor per se non habet, sed illa educit ex farinæ granulis, quæ permeat ac dissolvit.* 4. Hic tamen humor si nimius sit non subigit farinam. *Quia si sit immodicus, plexum illum filaminum farinæ dissolvit.* 5. Hinc patet unde sit subactæ farinæ lentor, hoc est humor tenax & glutinosus. *Hic enim oritur ex uligine quadam succi viscosi atque tenacis: hæc autem tenacitas succi, ex præmentionatis farinæ filaminibus.* 6. Hinc massa illa præsertim, si farina pura sit, valdè ductilis est. *Cujus ratio desumitur ex dicto lentore seu humore tenaci conglutinoso, & di-*

ctis farinæ filaminibus, & humore superveniente. 7. Hinc gluten chartis membranis, corio conglutinandis, ex farina humore subacta & cocta conficitur. *Agglutinatio enim hæc habetur ex plexu prædictorum filaminum farinæ, hinc inde & ad superficiem rei agglutinandæ, & ad superficiem rei cui agglutinatur, terminato & purgato, atque quasi uncis quibusdam illas concatenante.* 8. Farina triticea ac hordeacea, oleò superfusò albescunt. *Quia tunc spumant, spuma autem ex natura sua alba est.* 9. Hinc farina, aquâ melius subigitur, quàm oleo & butyro. *Quia humor aqueus, in intimos farinæ granulorum recessus, & penetralia longè faciliùs se se insinuat, quæ tamen oleum & butyrum, cùm sint tenacioris naturæ tam facilè subire nequeunt.* 10. Prima farina, quæ molâ exprimitur ex tritico est candidior posteriore, è converso ultima farina quæ exprimitur ex hordeo, est candidior priore. *Cujus rei hanc Aristoteles dat rationem: Quia pars subtilior & candidior farinæ, est quæ continetur in medio tritici vel hordei, sed triticum est mollius, ideóque statim frangitur atque exprimitur pars subtilior, quæ continebatur in medio, è contra autem hordeum est durius, ideóque frangitur paulatim, ac priùs exprimitur farina ex circumferentia & partibus crassioribus hordei, ideóque est minùs candida.* 11. Quæres cur massæ ex farinæ humore subactæ, fermentum admisceatur? *Nempè ut massa accrescat, & ut id mordacitate suâ particulas farinæ dissolvat, quô faciliùs ab humore subigatur, & sic præfata filamina extrahantur.* 12. Hinc massa farinacea fermentata elevatur, atque intumescit, præsertim, si pannis instratis aura frigidior arceatur. *Quia partes humoris sic calefactæ rarescunt, inde tumor massæ, lentor enim materiæ exitum prohibet.* 13. Porrò si diutiùs, quàm par est, fermentata massa maneat, antequam ad furnum immittatur, tota corrumpitur à modico fermento. *Solvit enim illa mordacitas fermenti, lentorem massæ, & plexum.* 14. Si tamen justo tempore maneat, inde pani, gratus sapor conciliatur. *Quia tunc justum temperamentum attingit.* 15. Farina tritici in eadem mensura, plus aquæ recipit, quàm ipsum triticum. *Quia farina est rarior & calidior tritico, corpora autem rariora & calidiora, plus aquæ in eadem mole recipiunt, quàm densiora & minùs calida.* 16. Tota massa ex farina & aquâ confecta levior est, quàm eadem farina, & aqua seorsim. *Quia dum aqua & farina miscentur intercluditur multum de spiritu & aëre, sed aër seu spiritus addit levitatem, ergo.* 17. Hanc tamen rationem Aristoteles non approbat, aliámque assignat, nempè: *Quia pars aquæ propter innatum calorem farinæ convertitur in halitum, & evaperat. Ergo non est mirum quòd propter evaporationem aquæ, massa reddatur levior.* 18. Massa triticea dum coquitur fit major ac magis turget, quàm massa hordeacea. *Quia massa triticea habet humorem magis*

sibi incorporatum, ita ut non possit egredi, humor autem dum incalescit, & egredi nequit, mutatur in spiritum, sed spiritus habet vim inflandi. Ergo. 19. Moles tritici triti crescit, moles verò hordei triti decrescit, respectu molis prioris non tritæ. *Quia hordei grana propter striatam figuram minùs conveniunt, minúsque cohærent; hinc plus loci occupant, secùs verò tritici grana. Deinde farina triticea tenuior est, ac proinde cùm in floccos quasi cohærescat, plus spatij occupat.* 20. Frigidâ aquâ difficiliùs subigitur farina, quàm calidâ. *Quia aqua calida, poros laxat, hinc farinam faciliùs subit.*

§ III.

De Pane.

1. PAnis bene coctus oculatus fit. *Quia cavitates & oculi, à rarescente vapore sunt.* 2. Hinc panis benè coctus, fit levior. *Quia evadit rarior.* 3. Hinc partes in pane fermentato non ita sunt compactæ, sicut in non fermentato. *Quia in illo sunt magis disjunctæ.* 4. Panis est friabilis. *Quia plexus ille per exiguarum particularum, laxior est, adeóq; facilè solvitur, præsertim si durescit.* 5. Quod si verò insuper farina butyro subigatur, inde adhuc magis friabilis evadit. *Quia sic minor vis filaminum educitur ex farina, adeóque particulæ panis minùs adhuc ad invicem cohærent.* 6. Panis frigidus, calidiore recenti candidior est. *Quia ex frigido, multæ partes humoris evolârunt, quæ recenti & calido, aliquid nigredinis addunt & admiscent.* 7. Panis dum pinsitur fit spongiosus. *Quia in massa panis est aliquid aquæ, hæc vi caloris furni calescit, adeóque & rarescit solvitúrque in vaporem, ac multò plus quàm anteà loci occupat, itaque facit foramina, quæ oculi dicuntur, sicque evadit spongiosus.* 8. Crusta recentis panis durior est, & intima mollior. *Quia in recenti, crusta quasi usta est, igitur sicca & dura; intima verò mollior, quia non modico humore perfunditur.* 9. E contra verò in pane qui recens non est, crusta mollescit, & intima pars durior evadit. *Provenit id tam ex aëre ambiente humido, quô spongiosum corpus facilè imbuitur, quàm ex humore, qui ex intimo sinu panis continuò evolat; cujus maxima pars in plexu crustæ intercipitur & sistit, unde crusta mollescit, & intima pars durior evadit.* 10. Panem durum, si laminæ ferri candentis vel etiam igni admoveas, interior pars mollescit, quasi recens esset. *Quia humoris particulæ, ex intimis penetralibus vi caloris eductæ, totam illam massam permeant, hinc perinde ac si humor affusus esset, illâ parte mollescit.* 11. Quò farina triticea magìs subigitur, eò can-

didior

didior panis evadit. *Quia candor panis à quadam bullarum (instar spumarum) congerie esse videtur; talibus autem bullis farina humore subacta abundat, quæ deinde bullæ, per calorem rarescunt, & instar spumarum explicantur, ac sensibus subjiciuntur. Omnis autem spuma candida est, & quò magis subigitur spuma, bullæ majores evadunt, hinc illa major albedo.* 12. E contra farina hordeacea, quò magis subigitur, eò plus nigredinis, panis ex ea acquirit. *Quia ex farina hordeacea, humore, multæ partes strictæ educuntur, quibus scilicet hordeum constat, quæ multam nigredinem pani aspergunt.* 13. Panis benè coctus levior est, quàm male coctus. *Quia per ignem, seu ignis calorem multus humor evolat, in cujus locum aër, vel halitus substituitur, qui spongiosi corporis massæ cavitates occupat, eóque magis, quò magis excoquitur. Hincque est illa major vel minor levitas.* 14. Hinc panis bis coctus adhuc levior est. *Quia omni ferè humore caret.* 15. Hinc & diutiùs incorruptus durat. *Humor siquidem ab extrinseco proveniens, est initium corruptionis.* 16. Hinc familiaris pistorum fraus est, ut panem minùs excoquant. *Quia hac ratione pondus adaugent.* 17. Cæteris paribus panes non saliti, magis ponderant quàm saliti, cùm tamen contrarium debere sequi videatur. *Quia sal humorem adventitium extrahit, atque efficit, ut evaporatior sit panis. Ergo propter evaporationem extranei humoris, minuitur pondus panis; in non salitis verò remanet dictus humor. Ergo.* 18. Hinc panes pridiè facti, sunt leviores panibus calidis. *Quia jam multùm humoris evaporavit ex panibus frigidis.* 19. Quæres cur panis nunquam nauseam afferat? *Quia obtuso sapore cùm sit, sensum minùs afficit, cùm tamen aliunde naturam reficiat.* 20. Cur panis bis coctus postquàm fuerit refrigeratus minùs mucessit, quàm panis unâ vice coctus. *Nempè quia hic minùs habet de humore, qui alioquin in mucorem abire solet.* 21. Unde habeatur, quòd si mulso farina subigatur, panis melleus fragilior evadat, ac magis divisibilis in partes minimas, quàm massa confecta ex farina & aqua, cùm tamen mel sit tenacius & viscosius, quàm aqua. *Quia aqua calore ignis coagulatur & coalescit, mel autem licèt etiam coaguletur, ita tamen ut simul exsiccetur. Ergo massa mulsô subacta evadit siccior;* Sed quæ sunt licciora *sunt etiam fragiliora, siquidem fragilitas oritur ex siccitate. Ergo.* 22. Ex eodem tritico eadémque farina etiam eâdem diligentiâ adhibitâ diversus fit panis. *Id enim tribuendum est, partim aquarum, partim aëris diversitati.* 23. Pistores ut plurimùm in nervis multùm patiuntur. *Quia effluvia quæ ex massâ præsertim fermentata evolant, partes corporis sensim dissolvunt, ac proinde pituitæ meatus aperiunt.* 24. Panis si igne vehementi torreatur, fit durior, si autem modico igne furnus tepefiat, evadit mollior, & humidior. *Quia*

dum igne vehementi torretur extruditur totus ferè humor. Ergo manet siccus adeóque durus: & cùm lentè furnus tepesit, humor frigori conjunctus, liquescit ac diffunditur. Ergo fit mollior & humidior.

§ IV.

De Lacte, Butyro, & Caseo.

OBvia hæc sunt in Alodiatura, & omnibus villicis nota, sed ea solùm, quæ sensibus externis percipiuntur. Philosophus plus sapere debet, etiam circa hæc, quàm rudis villicus, nempè indagando insuper causas naturales singularum proprietatum, quæ in illis reperiuntur. Primò igitur Lac ex sanguine animalis fit. *Nempè singulari quâdam percolatione, quâ fit ut in spumam abeat pinguior sanguinis pars.* 2. Itaque sanguis in uberum glandulis percolatus, inde quasi spumans in spongiosam illam materiam traducitur, ibíque albescit, & fit lac, sanguis per percolationem in succum albescentem convertitur. 3. Nec mirum est, hunc succum lactescere. *Cùm etiam alij succi in multis plantis albescant & lactescant.* 4. Additur eidem succo sapor dulcis. *Nec enim pinguedo illa, alium saporem patitur, cùm ipse quoque sanguis obtusam aliquam dulcedinem habeat.* 5. Hic porrò percolatus sanguis ad ubera per arterias defertur. *Unde errant illi, qui putant eundem deferri, per illam venam, quæ inter abdominis masculos diffunditur.* 6. Omne autem lac habet duas partes: succum nimirum aquosum, qui dicitur *Serum*, & succum corpulentum, qui dicitur Caseus. *In hæc siquidem duo lac resolvitur.* 7. Præter serum & caseum inest lacti quædam pinguedo. *Atque hæc participat naturam olei, & vocatur butyrum.* 8. Lac quò est crassius, eò plus etiam habet casei. *Hæ siquidem crassiores partes sunt materia casei.* 9. Unde quò lac est pinguiùs, eò plus præstat butyri. *Propter parem rationem.* 10. Quorundam animalium lac coit. *Cujusmodi est lac animalium, non ex utraque maxilla dentatorum.* 11. Aliquorum autem animalium lac non coit. *Cujusmodi est lac animalium in utraque maxilla dentatorum.* 12. Tenuissimum lac est Camelorum, secundùm locum tenuitatis, tenet lac equinum, tertium lac asininum, quartum lac bubulum, seu vaccinum. 13. Lac frigore non coit, at ignis calore concrescit. *Quia frigore potiùs attenuatur, & in serum solvitur, calore autem coadunatur, calor siquidem filamenta illa quæ insunt lacti extrahit, quorum plexu fit illa coadunatio.* 14. Quædam pascua in animalibus, optimum lac generant, quædam verò deterius reddunt. *Nempè ex diversis herbis diversus fit chylus,*

lus, ex hoc diversus sanguis, ex hoc demum lac diversum resultat. 15. Nonnulla sunt, quæ lactis copiam in animalibus subministrant. *Uti polygala, trifolium, aliæque similes lacticineæ herbæ: quædam etiam flatuosa, ut faba lactis copiam faciunt.* Nempè cùm ubi soluta sunt, *partes habeant idoneas, quæ in pinguem spumam lactescunt.* 16. Alia è contra lacti noxia sunt. *Nimirum quòd ijs corpusculis constent, quæ præfatam sanguinis spumam dissolvunt.* 17. Quædam animalia plus habent lactis, quàm requiratur, ad fœtus alendos. *Et hinc lac ovium, & caprarum, aptissimum est ad conficiendum caseum.* 18. Quædam verò solùm tantùm lactis habent, quantùm sufficit ad alendos fœtus. *Atque horum lac inutile est ad caseum & butyrum faciendum.* 19. Lac ex partibus hæterogeneis constat. *Inest enim eidem Uligo quædam sive pinguior succus, atque hic concrescit in butyrum: inest crassior quædam terrestris portio, quæ deinde concrescit in caseum; remanent insuper pro sero tenuiores ejusdem partes.* 20. Serum est pars aquea lactis, quod verò coagulatur est pars terrea lactis. *Lac etenim est terreum simul & aqueum, magis tamen terreum.* 21. Terreæ tamen hæ seu crassiores partes non nisi per coagulum in caseum concrescunt. *Coagulantur autem hæ, propter fibrarum plexum, quibus si materia fibrosa deesset, nunquam eæ coagulari possent.* 22. Porrò segregato lacte coagulato, & butyro, superest serum lactis pristino candore privatum. *Vix enim tinctum manet, inest tamen ei, aliquid candidi, sed in tenuissimas partes divisum.* 23. Hæ autem particulæ cùm vi caloris colliguntur in fundo lebetis, concrescunt, in secundum quasi coagulum. *Quod Itali Ricolttam vocant, atque inde cochleari colligitur.* 24. Quod his superest merum serum est. *Utpotè omnibus melioribus partibus despoliatum.* 25. Verùm petes quod sit hoc coagulum, quô lac ipsum coagulatur? ℞. *Nihil aliud esse quàm quoddam etiam lac, siquidem continetur in ventre lactentium; differt tamen ab alio lacte per hoc, quod habeat in se calorem quemdam igneum, quo calore, lac reliquum caret.* 26. Sed instabis unde generatur hic ipse calor in coagulo? ℞. *Hunc calorem generari per hoc, quòd pars aliqua lactis in ventriculo animalium lactentium conservetur à nativo calore eorundem animalium.* 27. Dubitabis adhuc quânam ratione fiat hæc coagulatio? ℞. *Coagulum calore suo nativo agens in lac congregat partes homogeneas lactis, & hæterogeneas segregat, sicque virtute coaguli coagulatur lac, eóque crescente excernitur pars aquosa & humida, quæ serum dicitur.* 28. Lac insuper etiam cibi conditiones retinet. *Quia lac fit ex sanguine, sanguis verò ex cibis, & horum adhuc conditiones lac retinet.* 29. Imò lac non solùm cibi, sed & ciborum, & pastûs vires medicinales in se continet. *Ex eadem ratione. Hinc medici cùm atram bilem*

bilem purgare volunt, lacte caprino, polypodium herbam præbent capræ edendum; dum alios humores detrahere volunt, senæ folijs capram pascunt; dum hydropem pellunt, agaricum vel tythiandum, capris adhibent. 30. Lac coctum optimum alimentum est, præsertim pueris, non item frigidum. *Quia calidum facilè, frigidum verò non ita facilè digeritur.* 31. Butyrum agitatione lactis conficitur. *Quia dum lac agitatur particulæ pinguiores sibi occurrunt & in se impingunt, atque sic cohærent, ut tandem in unam massam evadant.* 32. Caseus neque recens neque antiquus, laudatur à medicis. *Quia uterque est difficilis digestionis; recens quidem, quia est frigidus & humidus, ac crassioris substantiæ; valdè autem antiquus ob suam duritiem & terrestritatem, subtili parte substantiæ abeunte.* 33. Caseus priùs alia digerit, quàm ipse digeratur. *Digerit alios cibos, quia ventriculi claudit orificium, ideóque post alios cibos sumendus; ipse verò tardiùs digeritur, quia ob terream substantiam, in alimentum non facilè cedit.*

§ V.

De Melle.

MEl non elaboratur ab Apibus, ut vulgus existimat, sed confectum colligitur ab apibus. *Nam aliquando apiarij inveniunt cellas alvearium spatio unius, aut duorum dierum melle plenas, vel hoc esset impossibile si apes mel non ex succo florum colligerent, sed ipsæ conficerent.* Ergo. 2. Itaque mel nihil aliud est, quàm succus in nonnullis floribus percolatus & perpolatus, qui dein circa fundum calicis floris exsudans, ab apibus colligitur, & in cellulis alvearis, seu favi reponitur. 3. Hic tamen succus florum ab apibus deportatus, non statim initiò, est perfectum mel. *Nam diù in illis cellulis alvearis vel favi, melius concoquitur: & cùm nec ibi desit calor multus, & quasi tepidus halitus, concretionem illius succi non parùm promovet.* 4. Hinc patet illos errare, qui putant succum hunc in calice florum, esse ex rore, ideft halitu temperato, & succo ex pinguiori terra, vi radiorum solarium educto, ac dein matutinæ auræ frigore densato, ac in flores decidente. *Nam si hoc verum esset, omnes indifferenter flores concretum illud mel haberent, & continerent. Quòd tamen falsum est.* 5. Est igitur succus ille exsudans, ex ipso calice floris, ac eidem vicinis partibus. *Hinc multi flores sunt, in quorum extremo calice gustandi facultas prædictam succi dulcedinem invenit, ut in narcissi, trifolij, flore, aliisque.* 6. Unde difficile dictu non est, unde aureus mellis color?

Unde dulcissimus ille sapor? Unde illa tenacitas & viscositas procedat? *Procedunt enim hæc ex varietate succi tam variorum florum, tantæ pulchritudinis, tantæ dulcedinis, tantæ tenacitatis.* 7. Mel potissimum conficitur ab apibus Vere & Autumno, sed mel vernum est præstantius. *Quia succus ille florum in vere est recentior.* Mel ab initio est liquidum, & deinde maturitate spissatur & concrescit. *Quod circiter vigesimo die contingit.* 9. Indicium, quòd mel sit perfectè concretum est sapor. *Siquidem postquàm mel est perfectè concretum, est crassius simul & dulcius.* 10. Datur etiam mel candidum ac valdè crassum. *Quale invenitur in Ponto* (teste Aristotele) *quod apes sine favis mellificant in arborum concavitatibus.* 11. Mel ita ex alvearibus est auferendum ut apibus relinquatur tantùm mellis, quantùm sufficiat ut hyeme alantur. *Hinc non probatur ille modus in certis regionibus, ubi totum mel ex alvearibus excipitur, ipsæ verò apes fumô enecantur.* 12. Mellis esus bilem auget. *Quia mel cum bile multa habet communia, ut colorem, lentorem, calidum temperamentum, ita ut sapore tantùm inter se differre videantur.* 13. Mel virtute purgativâ pollet. *Hinc omnibus ferè purgantibus medicinis, & pharmacis adhibetur.* 14. Habet insuper vim inflammativam. *Calidi siquidem est temperamenti.* 15. Albescit mel expositum soli. *Extractis nimirum per solis radios, humidioribus partibus.* 16. Mel nonnunquam vetustate amarescit, uti & nimiâ concoctione. *Propter nimiam partium resolutionem, quam tam interni nativi caloris, quàm aëris ambientis vis conciliat, vel ignis vehementia inducit.* 17. Diversi Regionum tractus, ad diversitatem quoque mellis quoad majorem vel minorem perfectionem plurimùm conferunt. *Quia nimirùm diversus succus, quô plantæ nutriuntur, diversam fructuum, & florum rationem faciunt, succi autem diversitates etiam à diversitate regionum proveniunt.* 18. Imò in [illegible]iquibus regionibus mel non nihil amaritudinis vel acritudinis profert. *Ob vilitatem succi herbarum, ex quibus apes succum melleum colligunt.* 19. Aliquod mel Thymum olet. *Quia Thymo pascuntur apes, quæ illud colligunt.* 20. Mel ulceribus noxium est. *Quia ulcera rectè ablui & purgari debent, mel autem suo lentore meatus obstruit; hinc nova inflammatio, & novus tumor.* 21. Mel in Sardinia amarum, in Heraclia venenatum. *Quia illud ex amaris succis, hoc verò ex venenatis, ab apibus colligitur.* 22. Melle condita non putrescunt. *Quia mel suâ viscositate v. gr. pomum involvit, & consequenter prohibet, ne partes nativi succi, à pomo avolent, aliunde verò ab eo externum frigus & humorem arcet, sicq; illud conservat.* 23. In autumno illud mel detractũ non reparant apes. *Quia herbæ jam flaccescentes succô sunt destitutæ.* 24. Si melli sal injiciatur liquescit, & augetur. *Quia per admixtionem salis, calor quoque augetur,*

getur, qui mellis plexum dissolvit. 26. Farina quoque immixta melli illud auget, sed simul corrumpit. *Sed hæc fraus ferrô calidô impressô deprehenditur, nam farina circa ferrum pinsitur, & in massam coit.* 27. Mel è buxo ab apibus collectum, turbat intellectum, sed juvat epilepticos. *Ipse siquidem succus buxi has habet vires, & proprietates.*

§ VI.
De Cera.

1. CEra quoque non conficitur, sed colligitur ab apibus. *Quam similiter ex floribus, sed præsertim albæ spinæ apes colligunt, uti etiam ex lachryma arborum.* 2. Cera facilè liquatur. *Solutâ scilicet caloris vi, partium ejusdem plexu.* 3. Liquata verò statim iterum frigore concrescit. *Nempe, quæ calore rarefiunt, & liquescunt, frigore condensantur, ac indurantur.* 4. Colligunt autem apes ceram raptando per flores, nec ore succum talem sugunt, sed pedibus attrahunt. *Ideóque dum redeunt ad alvearia, videntur onere premi.* 5. Sol albefacit ceram. *Quia ab ea extrahit humorem terreum, qui nigrescit, vel flavescit.* 6. Aqua salsa dum per ceram percolatur, fit dulcis. *Quia dum aqua dulcis utpotè subtilior penetrat ceram, partes terreas, causantes in aqua salsedinem, non possunt eandem penetrare, sícque separatur ab aqua dulci.* 7. Duplex autem est cera. Una candida, quæ virgo, seu virginea nuncupatur. *Quæ nimirum domestico calore probè exsiccatur, igitur humore avolante, albescit.* 8. Altera verò est flava. *Quæ scilicet nativo humore abundat, adeóque ad perfectum colorem candidum non assurgit.* 9. Flava cera potentiorem odorem habet, quàm alba. *Quia flavæ plus humoris inest, ex alba autem plus halitûs avolat, sed odor est in halitu. Ergo.* 10. Hinc etiam flava est gravior. *Nempè quia humidior.* 11. In cera vetusta nascuntur animalia candida, quæ censentur omnium minima. *Hæc tamen ipsa sunt potiùs caries, quàm animalia.* 12. Cùm stirpes florent, tunc maximè apes conficiunt ceram. *Quia tunc habent copiosiorem materiam aptam, pro cera conficienda.* 13. Hinc si eo tempore auferantur favi cerei ex alvearibus, statim reparantur ab apibus. *Ob paratam reparandi eosdem materiam.*

§ VII.
De Vino.

1. VInum est succus ex uvis expressus, ut notum est omnibus. 2. Qui succus si sit genuinus, donec defervescat dicitur *mustum*, postquàm defer-

defervuit, *merum* nuncupatur; si verò uvis exprimendis, vel jam expressis aqua superfundatur, in Hungaria *vinaceum* vocatur. 3. In Italia tamen & aliquibus alijs Regionibus liberaliter mustô aqua admiscetur. *Et ob id vinum dici poterit, sed non merum.* 4. In aliquibus partibus omne mustum excoquitur. *Quâ ratione quidem vinum dulcedinem suam retinet, sed omnem generositatem deperdit.* 5. Sic etiam si aliquid vivæ calcis vasi musto pleno injiciatur, semper suam dulcedinem retinebit. *Verùm depurabitur nunquam, neque generositatem debitam acquiret, siquidem sic subtiles spiritus ejusdem reprimuntur, & quodammodo suffocantur.* 6. Vinum non est unius speciei. *Aliud siquidem est magis terreum, aliud magis aqueum.* 7. Vinum novum seu mustum videtur esse magis terreum, quàm vinum vetus. *Et ideò etiam vinum novum calore magis incrassatur, & frigore magis concrescit.* 8. Universim vinum aliud plus, aliud minùs habet de fæcibus. *Prout scilicet magis terreum, vel aqueum est.* 9. Vinum cùm corrumpitur, evadit valdè frigidum. *Evadentibus nempè per vaporem subtilioribus, & melioribus substantialiter spiritibus.* 10. Vinum dilutum citiùs amittit suum odorem, quàm vinum merum. *Quia vinum dilutum est imbecilius merô; quod autem est imbecilius faciliùs alteratur, ita, ut amittat suas qualitates, & consequenter & vinum dilutum, inter alias autem qualitates est etiam odor. Ergo.* 11. Vino dulci magis innatat aqua, quàm acerbô, aut austerô. *Quia vinum dulce est magis terreum, magis grave, & magis viscosum, quàm austerum.* 12. Color vini varius est. *Qui tamen ad duo genera refertur, album scilicet & rubrum.* 13. Sub utroque autem hoc genere coloris, multæ colorum species vini esse videntur. *Quæ varietas colorum habetur à varia corpusculorum admixtione, ut videre est, in aquis percolatis, quas communiter filtratas vocant.* 13. Vinum initiô turbidum est. *Quia fæx nondum in fundum descendit, & ea corpuscula, quæ illi insunt, nondum probè subacta sunt.* 14. Hinc vinum sensim colorem mutat. *Quia sensim dicta corpuscula maturantur.* 15. Hinc vina saporem & odorem quoque mutant. *A diversa scilicet corpusculorum illorum habitudine, hoc est permixtione, magnitudine, figurâ, plexu, aliisque hujusmodi qualificationibus.* 16. Quòd mustum ferveat id à sensibili calore non est. *Siquidem id etiam frigidô mustô convenit.* 17. Provenit igitur fervor hic, ab halitu ex musto evolante. *Cùm enim multæ particulæ ignis refracti, mustô insint, horum vi naturali in partes humoris agunt, unde mustum rarescit & intumescit, ac consequenter partes musti in vapores & halitus vertuntur.* 18. Hinc leviores fæces, quæ innatant extenduntur cum spuma. 19. Hinc potentissimus vapor cellam implet. 20. Hinc vapor ille suffocativus evadit. *Quia nempè inspiratus à pul-*

 monibus

monibus vix avelli potest, adeóque per respirationem repelli, propter ejusdem tenaciorem plexum. 21. Hinc flammam aliquando extinguit. *Quia nimia filaminum ejus vis ne flamma assurgat, impedit, eámq; intercipit, ac dividit.* 22. Mustum in aliquibus Regionibus, ut paulò antè meminimus coquitur, alioquin enim integrum servari non posset. *Nempè per illam concoctionem humor ille avolat, qui aliàs corruptionis vini materia esset.* 23. In aliquibus Regionibus vetus vinum generosius est, in alijs verò in vapam vertitur. *Ratio petitur à diversa concoctione, & resolutione vini partium, & spirituum.* 24. Hinc in calidioribus Regionibus tam diù conservari vinum non potest, sicut in frigidioribus. 25. Hinc etiam vinum in æstate in vase non pleno acescit. 26. Vinum in navibus per mare devectum, ut plurimùm, pretiosius est. *Quia halitus marinus afflans vinum, quidquid in eo crudum est, concoquit, & perficit.* 27. Vinum album, ut plurimùm subtilius, quàm rubrum. *Quia minùs de terreitate in se continet.* 28. Mustum per pannum percolatum dulcissimum est. *Quia si quid acre ei inerat in panno manet.* 29. Insuper etiam limpidius est. *Quia fæx in eodem permanet panno, fæcis autem permixtio turbidum reddebat.* 30. Sic tamen minùs generosum fit, & modicâ vi pollet. *Quia quod acre, & striatum inerat, non percolatur, sed panni plexu intercipitur.* 31. Austro flante, vina plerumque turbidiora sunt. *Hoc enim vento flante, laxantur corpuscula vino admixta, quæ liquiditatem auferunt.* 32. Boreâ autem flante fiunt limpidiora. *Ob contrariam rationem.* 33. Hinc etiam dum elutriantur, hoc est de vase in vas transfunduntur vina, magna venti ratio habenda est. 34. Vappa fit caloris vi. *Dum scilicet vel fæcis particulæ rarefactæ sursum ascendunt, & merô admiscentur, vel alia corpuscula vinô admixta solvuntur, atque putrescunt.* 35. Hinc præsertim per æstivos calores vinum vapidum fit, & adhuc faciliùs in cellis vinarijs, quæ vim æstûs sentiunt. 36. Hinc vinum generosius, huic corruptioni magìs resistit, quàm tenue & lymphatum. *Calor siquidem faciliùs partes hujus dissolvit, & disjungit.* 37. Imò solô succursu, ac tremore hoc vitium vino inducitur. *Nempè undecunque tandem accidat, ut leviores partes fæcis, statim assurgant.* 38. Vinum quod ex putridis uvis expressum est, turbidum colorem præfert. *Quia vitiato succo constat.* 39. Facilè item mutat colorem. *Quia minimam etiam mutationem sentit.* 40. Vinum acerbum rarò fit vapidum. *Quia succo crudo constat, qui magìs corruptioni resistit, hoc est, durioribus corpusculis, quæ difficilius dissolvuntur.* 41. Redditur etiam vinum vapidum, si in aperto vase diù conservetur. *Nam generosiores spiritus sic ex eo avolant.* 42. Idem accidit, si vas ex parte vacuum est. *Quia rariores illius particulæ in locum*

aëris ascendunt. 43. Post dulcia vini bonitas non percipitur. *Quia dulcia uliginosa sunt, uligo autem meatus palati obstruit.* 44. Post esum autem pomi aurei vinum optimi saporis esse judicatur. *Quia hic succus, & linguam, & palatum abstergit, ac proinde excipiendis saporiferis corpusculis meatus aptiores redit.* 45. Si in tela linea appendatur intra vas frustum laridi, ut semper vinum attingat & vas interim claudatur optimè, conservabitur vinum immune ab omni omninò corruptione. *Hoc siquidem omne malum ad se attrahet.* 46. Si pari modo pomum aureum suspendatur confixum cariophylis, dat vino gratum odorem. 47. Vini aquâ non mixti signum est, pyrum sylvestre si non mergatur. *Quia nihil mergitur in liquido, nisi hoc sit se levius.* 48. Levior autem est aqua vel vinum dilutum, quàm *merum.* Ergo. 49. Experiri etiam licebit an vinum sit aquâ permixtum, si pennam oleô olivæ bene perunctam, & abstersam vinô immiseris. *Nam si aquam habuerit, guttæ aquæ adhærebunt oleô.* 50. Si bullienti oleô olivarum inspernatur vinum adaquatum, fit strepitus; si purum quies. *Aqua enim oleo est maximè contraria, vinum autem purum est quasi asymbolum oleo, cùm sit oleaceæ naturæ.* 51. Emendatur vinum, si raphani radices filo trajectas immerseris vini dolio. *Graveolentiam enim & acorem vini ad se trahent, sed debent, si opus est, aliquoties mutari.* 52. Si vinum, in quo moriuntur anguillæ, vel noctuæ coquuntur ova, vel aqua de vite fluens, vel flores siliginis immiscentur, bibatur, odium vini parit. *Hæc enim ob antipathiam suam, quam cum vino habent, illius nauseam creant.* 53. In eodem etiam vase diversi saporis est vinum. *Hinc aliqui tria quandóque epistomia in uno dolio fieri curant, & per singula epistomia extractum vinum, tanquam ex diversis vasis, & diversi generis vino, hospitibus propinant.* 54. Porrò optimum vinum est in medio dolij. *Quia in summo est levioris substantiæ, in fundo vel propè fundum minùs est defæcatum.* 55. Vina diversa gustu exploraturis, ut post unum possint aliud discernere, corrili lignum, rodendum aliqui svadent. *Quia scilicet illud, suo statui linguam restituit.* Poloni tamen Emptores vinorum, exploraturi diversitatem vinorum, caseum semiputridum prægustare solent.

§ VIII.

De Aceto.

1. ACetum in partibus Septentrionalibus fit etiam ex cerevisia. *Hoc autem conservatur dolijs infusum, cujus os clausum truncello ex salice viridi, qui ferè ad fundum vasis perveniat, sed illum non*

attingat. 2. Fit etiam acetum ex pyris ſylveſtribus immaturis. *Jaceant illa in cumulo per triduum, poſteà in vas colligantur, affusâ aquâ puteali, tum bene cooperiantur.* 3. Optimum tamen acetum fit ex vino. *Nempè diſſolutis ac diviſis corpuſculis, quæ vinô inſunt iiſque corruptis.* 4. Id autem fit caloris vi ut plurimùm. *Cujus activitate humor qui illis corpuſculis ineſt rareſcit, & paulatim avolat.* 5. Hinc, ut acetum fiat vinum vel ſoli exponitur, vel igni admovetur, aut ſaltèm in calido loco conſervatur. 6. Hinc ex optimo vino, optimum acetum fit. *Quia generosô vinô plura corpuſcula inſunt, quæ vim vinô conciliant, igitur & acetô, quod ex vino fit.* 7. In aceto plurimi vermiculi minuti reperiuntur, ut, microſcopio unicuique obſervare licet. *Quæ utique ex corruptione dictorum corpuſculorum generantur, & naſcuntur.* 8. Acetum mordacitate & acrimoniâ pollet. *Quia ſubtiliſſimæ illæ particulæ corpuſculorum calore diſſolutorum linguæ fibras afficiunt & pungunt.* 9. Hinc acetum appetentiam acuit. *Quia dictæ particulæ ventriculum ſtimulant, ex qua vellicatione appetentia naſcitur.* 10. Hinc etiam ad cibi concoctionem & digeſtionem juvat. *Quia ſcilicet ſolvendi facultate præditum eſt, hæc enim ciborum concoctio, mera quædam eſt diſſolutio.* 11. Acetum inſuper adſtringendi vi pollet. *Quia adſtringendi vis procedit à ſtrivatis aceti corpuſculis, quæ quia acuta ſunt, facilè, ſubeunt corpus, quia verò ſtriata infixa adhærent, nec ita facilè educuntur.* 12. Acetum dentes ſtupefacit. *Hoc enim omnibus acidis & acerbis accidit.* 13. Acetò maceratæ carnes diù conſervantur. *Quia meatus earum ſtringit, ita ut nulli detur corruptioni locus.* 14. Acetum, quoque ſuas fæces habet. *Nempè fruſta quædam coagulata, quæ communi ſermone matrix nuncupantur.* 15. Atque ex hac matrice effusô vinô, rurſus acetum perficitur. *Quia in illis fæcibus ſpiritus generoſi latent, qui dum ſenſim aſſurgunt, novas vires aceto addunt.* 16. Acetum & reliqua acria non mordent partes exteriores, mordent autem interiores, ac etiam oculos. *Quia non poſſunt ſe inſinuare per poros partium exteriorum ita, ſicut per poros partium teneriorum, cujuſmodi ſunt, ventriculus & oculi.* 17. Quare acetô ſingultus ſedari ſolent? *Quia ſingultus cauſantur ex eo, quod ex humido ventriculo aſcendat ſpiritus ventoſus, ad partes & ad organa reſpirandi: acetum autem ſuo calore & ſuâ acrimoniâ diſſolvit. Ergo.* 18. Quædam acetô emoliuntur, ut v. gr. uniones. *Quia acetum ſuâ tenuitate, partes unionis ſubit, eáſque paulatim mortificatione diſſolvit.* 19. Vinum convertitur in acetum, ſi ei impoſueris radicem pyretri, vel acetoſam, ſi verò adjeceris ſambuci flores, vel roſas, addes odorem. 20. Acetum vini ajunt mutari in vinum caulium radicibus injectis, vinum verò in acetum, tuſis betæ radicibus. 21. Acetum fortiùs erit, ſi illi aliquid pyretri imponatur.

§ IX.

§ IX.

De Oleo.

1. QUidquid ex seminibus exprimitur, oleum vocari solet. *Cujusmodi olea extrahuntur, ex nucibus, amygdalis, semine lini, semine canabum, sed præsertim, ex olea.* 2. Oleum multo igne refracto constat. *Alioquin minimè flammam nutriret, nec inflammari posset.* 3. Oleum uliginosum est. *Hinc facilè adhæret corporibus, quia filaminibus suis implicatur.* 4. Hinc filatim non guttatim fluit. *Quia partes inter se implicantur, dicto filamminum nexu, nec ita facilè separantur.* 5. Multo etiam humore constat. *Ut testatur illius liquiditas & subtilitas, quâ per poros facilè se insinuat.* 6. Est autem levius aquâ. *Huic siquidem supernatat.* 7. Difficulter cum aqua misceri potest. *Quia mixtio partium divisionem supponit, quæ partium divisio est difficilis in oleo, propter earundem inter se tenacitatem.* 8. Oleum tenacius pannô, quàm alijs rebus inhæret. *Quia cùm pannus ex filaminum plexu contextus sit, filamenta filamentis facilè implicantur.* 9. Hinc fædam maculam in panno relinquit. *Præsertim verò, si pulvis eidem adhæreat.* 10. Serpit autem, & explicatur hujusmodi macula. *Nam oleum sensim se diffundit, accedente præsertim externo calore.* 11. Oleum non exhalat ita sicut aqua. *Quia in oleo partes sunt magis inter se viscosô quodam succô colligatæ.* 12. Oleum vetus albescit. *Partibus humidis sensim avolantibus.* 13. Oleum quantumvis agitetur, non spumat, *Quia in illud aër subire non potest, propter ejusdem uliginem.* 14. Oleum soli expositum albescit. *Quia caloris vi humor ascendit, humor autem est, qui cuncta ferè denigrat.* 15. Oleum olivarum non arescit, nec ducit corticem,, uti oleum lini, ac nucum. *Unde pictores ad colores miscendos, nunquam oleum olivarum adhibent.* 16. Licèt oleum videatur crassius, quàm aqua, penetrat tamen ferrum & lapidem, aqua verò non penetrat. *Quia oleum in subtiliora filamenta solvi potest, quàm aqua, penetrat proinde poros ferri aut lapidis, non aqua.* 17. Oleum neque calore, neque frigore concrescit, & coagulatur, ut evadat durum, sed tum calore, tum frigore incrassatur. Cujus rei Aristoteles lib. 6. Meteorologicorum hanc dat causam. *Quòd oleum sit magna ex parte aëreum, ut patet ex eo, quòd aquæ supernatet, nisi multùm aëris contineret, qui est levior aquâ, illa autem quæ sunt majori ex parte aërea quàm terrea non indurantur calore, nec illa quæ sunt magis aërea quàm humida seu aquea, frigore. Ergo.* 18. Oleum magis inflamma-

tur

tur adjunctum alicui sicco, quàm solum. *Quia siccum unctuosum facillimè atque citissimè inflammatur, sed addendo oleum alicui sicco, eô ipsô fit aliquid siccum unctuosum. Ergo.* 19. Purificatur oleum, si optimè calefiat, & tum pars panis, vel crudæ massæ illi imponatur, maneátque in illo per quintam horæ partem. *Nam ad se omnem malignitatem olei olivarum attrahet.* 20. Oleum effusum, è veste perfusa educitur. Panem siligineum calidum, & intra duo lintea, vestem perfusam pone, atque panem hinc inde applica.

§ X.

De Aquavita, seu Vino adusto.

1. VInum per distillationem, uti etiam fæces illius in quemdam spiritum abeunt, qui communi vocabulo Aquavitæ vel rectiùs aqua vitis, & vinum adustum, seu crematum nuncupatur. *Cùm enim vinô multus humor aqueus insit, faciliùs is rarescit, atque portio illa, quæ primô locô vi caloris in prædicta distillatione ascendit in vaporem, ac deinde concrescit in liquorem, tota ferè aquea est. Atque hæc, quæ aqua vitæ, seu aqua vitis, seu vinum adustum, & crematum dicitur.* 2. Porrò repetita distillatio aquævitæ fortiorem illam efficit. *Tunc enim spiritus vini generosior est, quia acriores illius partes educuntur.* 3. Spiritui huic dein varius sapor, & odor additur. *Adhibitis in distillatione varijs condimentis, anisô præcipuè, vel cinamomô.* 4. Vulgus ad istius imitationem per similes distillationes, etiam ex alijs rebus v. gr. ex fæcibus cerevisiæ, avenâ, siligine, prunis, ejusmodi spiritus educit. *Qui tamen spiritus omnes, inferiorum sunt virium.* 5. Porrò hic spiritus vini, admotâ flammâ accenditur & ardet. *Cùm enim multo igne refracto constet, quid mirum si partibus igneis collectis, accendatur.* 6. Hic autem spiritus, varios usus habet. *Membra enim torpentia, & stupida reficit, crassiorem, & tenaciorem pituitam dissolvit: cruditates concoquit, stomachum corroborat, & calefacit.* 6. Ferit tamen caput, & ebrietatem inducit, si immoderatè sumatur. *Propter nimiam caloris vim, quam in capite accendit.* 7. Dum accenditur aqua vitæ non omnes illius partes ardent. *Quia non omnes illius partes sunt oleosæ, sed aliquæ etiam aqueæ, ignis verò solùm illas exurit, has verò intactas relinquit.* 8. Crematum ex avena sumptum, dispellit arenam. *Sic etiam balneum ex avenaceo stramine ad hunc morbum depellendum inservit.*

§ XI.

De Cervisia, & Mulso.

1. CErvisia est potus ex aqua, & frumento præparato coctus, & defæcatus. *Hunc autem veteres ex sola aqua, & farre crudo conficiebant, nec lupulum adhibebant, unde consequens est talem potum fuisse insipidiorem modernâ cervisiâ.* 2. Hæc tamen ipsa varij est saporis. *Qui oritur, ex diverso illam conficiendi modo, tum ratione materiæ, tum admixtione lupuli, tum qualitate aquæ.* 3. Optima aqua pro cervisia esse putatur, quæ omnis saporis odorisque est expers. *Hæc enim omni contrario caret, quod celeritatem in ea excoquenda retardare posset; est simul levissima & purissima, undè facilè calesit, citò refrigeratur, & facilius in ea fit alteratio.* 4. Recens frumentum non laudatur pro cervisia. *Ex hoc siquidem fit cruda polenta, & ex hac crudus generatur potus.* 5. Haustus cervisiæ salubrior est, quàm vini. *Gignit siquidem cervisiæ moderatus potus, humores bonos, & non solùm sitim extinguit, sed simul etiam nutrit, neque tot morbos (uti sunt) podagra, chyragra, phtysis, seu hectica causat, sicuti vinum.* 6. Lupulus admiscetur cocturæ cervisiæ. *Habent siquidem illius flores, sicci, & calidi virtutem, ne liquores, quibus immiscetur, citò corrumpantur.* 7. Communiter cervisia fit ex hordeo, vel tritico. *Et quidem ex tritico fit suavior, si eidem tertia pars siliginis addatur.* 8. Brasium seu polenta, non debet violenter exsiccari, ne aduratur. *Aliàs rubentem dabit cervisiam.* 9. Querna & pinea ligna sunt minùs apta pro brasio exsiccando. *Quia fumo brasium inficiunt.* 10. Brasij granum quod modicè germinavit, parùm dat cervisiæ. *Quia signum est quòd non totum internè fuerit commotum.* 11. E contra Brasium nimis germinans, dat cervisiam crassam & ineptam. *Igitur quod mediocriter germinavit, dat optimam & copiosam.* 12. In Martio Lunâ decrescente cocta cervisia, solet esse diuturna. 13. Cervisia quæ coquitur in novilunio nusquam defæcatur. *Omnia enim habent suum certum tempus, & hæc sublunaria multa dependent ab influxibus lunæ, & superlunaribus.* 14. Sic & mulsum quod in novilunio coquitur, nunquam fit clarum. 15. Mulsum quàm optimè excoquendum est. *Ut si quid aquei crudi admixtum habet, bullitione pereat.* 16. Hinc mulsum bene excoctum durat diutissimè. *Quia & mel, quô coquitur manet diutissimè incorruptum, propter optimum quod habet temperamentum.*

§ XII.

De Tritico, & Siligine, Spelta, Hordeo & Avena.

1. TRiticum in humido agro seminandum censent œconomi. *Quia scilicet granum est pertenuis radicis, igitur ut tempestivè germinet, & uberiùs subitóque radices agat, humidô agrô inseminandum est.* 2. Cavent autem ne semen triticeum inseminatum, saccis farinaceis imponatur. *Inde siquidem germen accedente humore inficitur in inseminatione, atque sic fuligo generatur.* 3. Observant & certos aspectus planetarum, ac præsertim Lunæ. *Quis enim negabit, inseminationem granorum ac seminum, ab influxu horum dependere quàmplurimum?* 4. Triticum subindè degenerat in siliginem vel lolium. *Ob malam dispositionem, seu sterilitatem terræ.* Vicissim in aliquibus Hungariæ locis, siligo, vel lolium transit in triticum. *Per concursum bonitatis & pinguedinis terræ, defectum seminis supplentem.* 8. Siligo calidam & siccam glebam amat. *Est siquidem hoc genus frumenti ipsum quoque naturæ calidæ ac siccæ.* 7. Seminatio siliginis festina & cita est certior, quàm serotina. *Idque maximè in agris, naturâ deterioribus, montanis, & sabulosis, in quibus semen tardius concipitur, & seriùs germinat.* 8. Plinius laudatissimum panem ait esse ex siligine. *Nempè eum, qui ex prima, & primaria farina siliginis conficitur.* 9. Spelta est aliquid medij inter triticum, & hordeum. *A potiori tamen parte Doctorum ad speciem tritici refertur.* 20. Hordei seminatio optima tunc est, quando occatio est pulverulenta, superveniente mox pluviâ lentâ. *Quia sic magìs impregnatur, & plenô vividóque germine prodit in lucem.* 11. Hordeum est frigidius & humidius naturâ triticô. *Ideóque est utilius ægrotis, utpotè quod & nutrit, & refrigerat.* 12. Hordeum celerius trituratur, quàm reliquum frumentum. *Quia solutius & aridius est, ideóque minùs durabile, cùm multis involvatur tunicellis & tegumentis.* 14. Ob eandémque causam citiùs etiam metitur, & antequam adhuc ad perfectam maturitatem in spicis perveniat. *Quia maturum in spicis, ut plurimum fatiscit, & facilè decidit.* 14. Tempus serendi avenam est, quàm primùm nives fuerint dissolutæ. *Avena siquidem est frigoris patientissima.* 15. In avenæ demessione non est exspectanda summa maturitas. *Quia pariter uti hordeum, sic in spicis maturescit, decidit.* 16. Præsecanda igitur est, ut citiùs defalcata aliquot diebus rori, & soli exponatur. *Sic enim & maturescit, & grana in spica remanent.* 17. Quod in alia quoq; vernali semente

observandum est, hoc etiam in avena, ne densè ac prodigè seminetur. *Hæc enim granorum densitas ubertatem prohibet, & unum alterum impedit, ne excrescat.* 18. Hordeum seritur flante vento ab ortu in occasum. *Aquilonaris enim seminationi illius, non ita prodest, meridionalis verò planè obest.* 19. In veteri fimo serendum hordeum decrescente lunâ, in recenti post novam lunam. *Scilicet ne semen cum fimo simul pereat.* 20. Caveatur seminatio omnis frumenti in pluvia, aut campo madido. *Nam sic in herbas & scopas degenerat. Remedium tamen in tali casu est, agrum profundè arare, & biduo relinquere, ut siccetur, & tum seminetur, ac statim occetur.*

§ XIII.

De Pisis, Millio, & Pannico.

1. PIsa in agrum noviter inpinguatum, inseminare vetant experti œconomi. *Sic enim siccô annô, facilè exuruntur, & vermes generant. Anno verò humidiore & in herba, & in grano computrescunt, neque in coquendo mollescunt.* 2. Sed neque in novilunio, rectè seruntur. *Tunc enim citò florent, fructúmque exiguum, multúmque verminulosum proferunt.* 3. Grana porrò pisorum quæ inseminantur, nec vermibus corrosa sint, neque nigredine infecta. *Prioris enim generis sunt sterilia, alterius verò similem pariunt sobolem, ac demùm in vitiosam degenerant.* 4. Columella svadet in meliorem siligineam stipulam inseminanda esse, statim pòst terræ per aratrum eversionem. *Stipula enim hæc putrefacta, pro fimo pisis est.* 5. Millium amat fertilem, semiarenosam tamen terram. *Cùm habeat, & radicem amplam, & culmos, & spicas copiosas.* 6. Utiliter tamen seminatur, etiam in novalibus ex pratis formatis. *Nam & celerrimè crescit, & efficit, ut ager talis, postmodùm in pratum reductus optimum gramen, ac potissimùm trifolium germinet.* 7. Provenit etiam fructuosè in agro, priori anno linô consito. *Quia in hac gleba, minùs generantur inutiles herbæ.* 8. Minima grana millij in semente, maximè fructificant. *Celerius siquidem qualitati aëris obtemperant, & faciliùs germinant.* 9. Semen millij est durabile. *Adeò ut dicatur plus quàm centum annis durare; si condatur eô locô, quò venti non perveniunt.* 10. Millium siccæ & frigidæ est naturæ, è contra pannicum callidæ & humidæ. 11. Hinc in millio sylvestria altilia, à corruptione diù conservantur. *Uti & in pisis, similis naturæ.* 12. Pannicum seminatur potissimùm in novalibus. *In quibus provenit feliciter, & sæpè decimum reddit modium.* 13. Pannicum in horreum con-

convectum statim triturandum est. *Siquidem nisi maturè trituretur, cùm illius culmi sint humidi, & crudi, in cumulum compositum, stramen ejus intepescit, & granum illius redditur mucidum, rancidum, & ferè corruptum.*

§ XIV.

De Apibus.

EGimus suprà de melle, nunc de ejusdem collectricibus, Apibus scilicet, earúmque natura ac miris proprietatibus differamus. Primò itaque mira est Apum in opere suo prudentia, mira industria, & admirandus ordo, ac subordinatio. *Quam optimè annotavit Aristoteles, qui duobus de quadraginta annis, admirabilem earum contemplatus est Monarchiam.* 2. Hinc Aristoteles Tom. 3. lib. 3. de Historia animalium : Apes dicit esse animalia gregaria & civilia. *Quia inquit conveniunt in faciendo aliquo opere, & vivunt sub uno Duce, seu Rege.* 3. Sunt autem varia apum genera. *Aristoteles ponit earum quinque genera: in primo ponit apes parvas & rotundas, ac vario colore distinctas, quas asserit esse omnium præstantissimas; in secundo genere ponit apes oblongas, ac vespis similes: in tertio apes nigras, atque alvo latiore præditas: in quarto Reges: in quinto fucos.* 4. Verùm Aristoteles loquitur solùm de apibus nostri orbis. *Nam in novo orbe sunt adhuc plura earum genera & species, ut videre est apud authores, qui de rebus novi orbis scripserunt.* 5. In singulis autem alvearibus unum Regem habent apes. *Aristoteles tamen ait esse plures, sed ex alio supposito, nempè: quòd existimaverit Reges non solùm esse apum Duces, sed & maritos, ita ut à Regibus generentur veræ apes, ab alijs verò communibus apibus, generentur fuci.* 6. Commodiùs illi discurrunt, qui dicunt in singulis quidem alvearibus nasci subinde, & generari plures Reges, sed ubi maturuerint, unanimi consensu unum tantùm ab ijs eligi pro Duce, reliquis interemptis. (*Quibus & Aristot. alibi ut lib. 9. de Histor. animal. cap. 11. ℣. 19. consentit*) *ne scilicet respublica earum in diversa trahatur.* 7. Eligunt autem in Regem, præ cæteris pulcherrimum aspectu, & formæ præstantioris. *Hic verò est rufi coloris, reliquis duplo major, & candidam maculam in fronte locò diadematis habens, nullóque armatus aculeo.* 8. Atque huic omnes cæteræ obtemperant, eumque mirè observant. *Nam si Rex foras ex alveari procedat, totum examen movetur, eúmque comitatur undique illum cingendo, & protegendo, nec sinunt eundem videri: quòd si verò in itinere debilitetur, humeris eundem sublevant, & succollant, ubicunque autem ille sub-*

stiterit, omnes in eodem loco se collocant, captóque Duce, totum quoque earum capitur agmen. 9. Rex tamen earum non prodit, nisi examine migraturo, tum enim primò domô egreditur. *Alio igitur tempore, quô agmina ad pabulationem avolant, Rex domi operas dirigit & lustrat, satellite, & lictoribus, semper stipatus.* 10. Apibus ala & aculeus non renascitur, & aculeô detractô paulò post moriuntur. *Ratio est: quia relictô aculeô interiora lethaliter disrumpunt, unde omnes icientes, seu ictum infligentes, pereunt.* 11. De apum generatione varia variorum est opinio. *Alij enim putant, apes non coire, neque parere, sed aliunde fœtus suos asportare: alij id tribuunt solis fucis, & apes ajunt à Regibus pari & gigni sed sine coitu: aliqui putant fucos esse mares, apes verò fœminas.* 12. Probabilius tamen est apes ab apibus generari, & fortè etiam fucos. *Quia illud est convenientiùs ad modum generationis aliorum animalium, & etiam insectorum: ita tamen ut fuci sint degeneres apum progenies.* 13. Sunt ergo fuci, quædam degeneres apes, sine aculeo, & cæteris apibus majores. *Atque hi neque mellificant, nec operam in præstando opere præstant, imò alimenta ab apibus congesta consumunt.* 14. Fuci magnâ temporis parte morantur in alvearibus. *Subinde tamen ex alveari prodeuntes efferunt se fusim in sublime, ac in orbem versant, ac quodammodo exercent, rursúsque revolant ad alvearia, atque otiosi, epulis ab apibus præparatis perfruuntur.* 15. Id tamen non semper impunè faciunt. *Siquidem aliquando ab apibus deprehensi, occiduntur.* 16. Pariter si mel à quopiam apibus auferatur, tunc apes magìs sollicitæ de futura annona cum fucis pugnant pro melle, fucósque ex alveari ejiciunt. *Ideóque sæpè videntur fuci ex alvearibus ejecti, atque exules ante alvearia considentes* 17. Aliquando tamen fuci construunt favos seorsim à favis apum, contiguos favis earum, mel tamen nullum, vel admodùm paucum conficiunt. *Ideóque tunc favi fucorum in exceptione mellis abscindendi, & separandi sunt à favis apum.* 18. Inter genera apum ab Aristotele enumerata, sunt apes nigræ & latô aculeô præditæ. *Et hæ quoque mel bonarum apum depascuntur, ob idque fures cognominantur.* 19. Si tamen hæ apes fures clam ingressæ fuerint in favos bonarum apum, melle implentur, ut avolare nequeant. *Ideóque ante alvearia sæpè volutantur, ita ut difficulter evadere valeant.* 20. Insuper, inter apes sunt quædam apum custodes. *Quæ aliquid intertexunt alvearium foraminibus quô evadant ita angusta, ut apes quæ sunt fucis corpore minores, liberè ingredi possint in alvearia, fuci autem majori corpore præditi, semel ab alveari egressi regredi non valeant.* 21. Apes ita conficiunt mel, vel potiùs illud comportant, ut etiam ipsæ illô vescantur. *Et ob hunc finem apiarij excipientes ex alvearibus mel, contenti unâ parte,* alte-

alteram pro hyemali alimento apibus relinquunt. 22. Est autem varia & subordinata apum operatio. *Juniores enim ad florilegium evolant, materiámque comportant, seniores domi laborant, diversásque operas agunt, aliæ siquidem cellulas struunt, aliæ ceram conficiunt, aliæ succum melleum jam comparatum in cellulas disponunt, nonnullæ, eæque certæ sordes, & cadavera mortuarum efferunt.* 23. Insuper in ipsis quoque operibus regularem ordinem servant. *Nam si purum alveare apibus exhibeatur, priùs alvearis pavimentum floribus, ac arborum lachrymis illiniunt, ne noxiæ bestiolæ alveare ingredi possint; ostia dein si latiora sint, additione materiæ coarctant, demùm favos conficere incipiunt.* 24. Atque in ipsis quoque favis conficiendis eundem ordinem servant. *Nam primò faciunt favos in quibus nasci consueverunt apes, secundò favos in quibus Reges earum nasci consueverunt; tertiò favos in quibus fuci nascuntur: & quidem primi generis favos faciunt semper, secundi generis non semper, sed tum solùm cùm copiosiorem prolem sunt edituræ, tertij generis duntaxat tunc, cùm magna copia mellis speratur.* 25. In cellulis quoque construendis, quantitatis proportionem observant. *Pro regalibus enim apibus faciunt majores, pro communibus apibus minores, pro fucis vilissimas.* 26. Notat illud Aristoteles: quòd apes in eodem egressu, non petant diversas florum species, sed ex flore unius speciei, volent ad florem ejusdem speciei, ex. g. ex viola ad violam, nec alium attingant florem, donec in alveare redeant. *Ut sic ejusdem rationis succi, singuli in suo sint ordine, dum enim in alveare revolant, excutiunt se, & quod tulerint deponunt, rursúsque ad operandum evolant.* 27. Hostes apum sunt maximi vespæ, & aliæ quoq; peregrinæ apes. *Sæpiùs igitur tam cum vespis, quàm cum alijs peregrinis apibus dimicant & pugnant; & quandóque vincunt, quandóque vincuntur.* 28. Hostis etiam apum est *rubedo* seu Buso. *Accedens enim ad alveare, apes venenato halitu afflat, atque propè alvearia excubans, apes egredientes ex alvearibus capit, & captas devorat.* 29. Apes minores & melioris notæ habent extremitates alarum atritas, & colore nigro, ac velut ustulato, sunt præditæ. *Hæc enim signa sunt, quòd sint valdè laboriosæ.* 30. E converso, apes majores ac deteriores, sunt candidæ, & venustæ. *Quæ signa sunt otij & inertiæ.* 31. Apes industriosæ, expellunt ex alvearibus, ac quodammodo in exilium mittunt alias apes, tum otiosas ac desides, tum eas quæ non parcè vescuntur melle. *Sunt enim apes, quæ melioris notæ censentur esse, non tantùm industriosæ, sed & providæ.* 32. Interdiù sæpè turmatim, specie castrorum ante orificium alvearis excubant: noctu omnes quiescunt: summo manè cùm ex ijs vigilans, seu excitatrix apis, unâ vel alterâ vice bombilando excitat universas: tum enim ad opus evolant extra alvearia, ac

simili

ſimili ſignô acceptô, cunctæ ſe componunt & conticeſcunt. *Talem enim eiſdem natura indidit boni ordinis inſtinctum, qualem in multis communitatibus hominum vix ratio impetrare valet.* 33. Redduntur apes ſegniores ſi multùm mellis illis relinquatur, vel nimis magna alvearia ijs apponantur. *In priori quidem caſu quia vident ſe habere jam ſufficientem, de melle proviſionem, in ſecundo autem caſu, quia quaſi deſperant ſe poſſe tantum alveare implere.* 34. Apes præſagiunt tempeſtates, & imbres. *Unde ijs impendentibus licèt cælum ſit ſerenum, nihilominùs ex alvearibus non avolant, ſed circa alveare circumvolant.* 35. Expedit propè alvearia, ceraſos, pyros, faſilos, myrthum, papaver, ſerpillum plantare. *Ex his enim apes mel copioſum colligunt, nec procul pro ſucco melleo evagari coguntur.* 36. Plantantur etiam utiliter in apiariorum vicinia tiliæ. *Hæ enim arbores abundant ſuccô melleô, è quarum floribus turmatim melleum ſuccum exſugunt, & cellulis important.* 37. Apes oleô extinctæ, recenti acetô ſuperfuſæ reviviſcunt. *Acetum ſiquidem & oleum ab eis abſtergit, & vim recreativam ſpirituum habet, ut patet etiam in hominibus deliquium patientibus.* 39. In Scotia nullæ ſunt apes. *Non enim omnia fert omnis tellus.* 40. Ex cæſo, & corrupto vitulo ſcribunt paſſim naturalium rerum ſcriptores, apes enaſci. *Et quid mirum cùm alia quoque multa inſecta ſic videamus gigni.* Quod ipſum elegantiſſimè Virgilius in Georgicis, ſequentibus verſibus ſcribit:

Preſſus humo bellator equus, crabronis origo eſt.
Fuci ex mulis, ſcarabæus ex aſinis. Et.
Sunt qui, cùm clauſo putrefacta eſt Spina ſepulchro.
Mutari credunt humanas angue medullas.
Concava littoreo, ſi demas brachia cancro,
Cætera ſuppones terræ, de parte ſepulta
Scorpius exibit, caudâque minabitur uncâ.

§ XV.

De Bobus, Vaccis, & Vitulis.

1. BOs communis generis eſt, & tam pro maſculo, quàm pro fæmina, id eſt pro vacca accipitur. *Cum hoc tamen diſcrimine, ut caſtratus dicatur ſimpliciter bos, non caſtratus taurus, & fæmina vacca.* 2. Caſtrati ſeu exſecti, tauris prævalent. *Utpotè celeriores greſſu, & laboris capaciores, ac inſuper dociliores, cùm tamen tauri ſtatim ſub jugo defatigentur,*

tur, modicè fessi succumbant, undè, in Hungaria saltèm, ad labores nunquam applicantur. 3. Boves domi educati cæteris meliores, & valetudine securiores sunt. *Utpotè pabulô, pascuísque, & potui apprimè asvefacti.* 4. Præstat etiam, ut in pari boum, & colore, & viribus, & ætate boves sint similes. *Nam jugum pari passu, pari conatu, & pari facilitate trahunt.* 5. Potus boum subinde modicâ farinâ, & volâ salis condiendus. *Hic enim ad omne pabulum etiam vilissimum appetitum in ijs acuit.* 6. In bubale ubi stabulantur, neque porcinum pecus, neque altilia, admittenda. *Hæc enim pabulum boum inficiunt, & insalubre reddunt.* 7. Nonnulli judicant in œconomia præstare intertenere boves quàm equos. *Quia leviori pabulo vivunt contenti, paucioréſque requirunt expensas: eorum fimus multò præstantior est equinô: & si deficiant, vel aliquo casu sinistro inutiles ad laborem reddantur, traduntur ad macellum jugulandi, & sic quoque utilitatem Domino præstant.* 8. Cornua boum majori ex parte sunt cava, sed in extremitate solida. *Quia ut ait Aristot. lib. 2. de Hist. animal. cap. 2. pars interior & concava cornuum horum, videtur fieri & nasci ex corio: pars verò exterior & convexa ex osse, & sic obduci parti interiori.* 9. In Phrigia & nonnullis alijs Regionibus dantur boves, qui movendo corium capitis movent cornua simul, eô modô quô quædam animalia movent aures. *Quia cornua eorum coriô capitis potiùs adhærent quàm ossi.* 10. Fabæ ita extendunt vaccis ubera, ut plurimum dent lactis. *Sunt enim fabæ, naturâ flatuosâ, & è numero earum plantarum, quæ in alijs animalibus lac augent.* 11. Licèt in alijs quadrupedibus fæminæ habeant vocem tenuiorem, quàm mares, at in genere boum fæminæ, seu vaccæ vocem habent graviorem, quàm tauri. *Quia cùm habeant asperam arteriam, per quam emittitur vox, valdè latam, coguntur movere multùm aëris. Sed vaccæ propter imbecillitatem sexûs multum aëris emittunt tardè. Ergo emittunt vocem magnam & gravem. Tauri è contra propter robur, movent multùm aëris velociter. Ergo emittunt vocem magnam, sed acutiorem, ita Aristoteles.* 12. Vaccæ uterum ferunt novem mensibus, & pariunt mense decimo. *Unde si fætus nascitur citiùs, est abortivus, nec solet diù vivere.* 13. Boves cùm pedum dolore laborant non amittunt ungulas, sed pedes illis valdè intumescunt. *Toto scilicet maligno humore in tumorem abeunte.* 13. Boves minùs patiuntur dolorem pedum, si eorum cornua cerâ, pice, vel oleô oblinianatur. *Fortassis quia sic defluxiones, quæ aliàs in pedes derivarentur, impediuntur.* 15. Si cornua vitulorum oblinantur cerâ tepefactâ, flecti possunt ad quamcunque partem volueris. *Quia sunt adhuc tenera, & per ceram tepefactam magis adhuc tenera sunt, & redduntur molliora.* 16. In corde tau-

rorum

forum aliquorum, nascitur quoddam os. *Quia tauri sunt valdè nervosi, & cor quoque habent valdè nervosum.* 17. Boves castrati, majora gerunt cornua, quàm non castrati, seu tauri. *Quia in illis major est humiditas cerebri, quàm in tauris, unde in illis cerebrum suppeditat copiosius alimentum pro cornibus.* 18. Ælianus testatur lib. 15. cap. 24. In India boves tantâ velocitate pollere, ut in ea equis non cedant. *Id si ita se habet, ad continuum exercitium boum in cursu debet referri, unde & alibi, boum, in cursu, non sine appositis præmijs, certamina instituuntur, ad idque specialiter boves informantur & exercentur.* 19. In Bengala Provincia, & apud Indos orientales, ac etiam apud Phænices tantæ magnitudinis sunt boves, ut æquent Elephantum magnitudine. *Adscribendum est id bonitati soli & climatis, pascuationibus item pinguibus, & insuper progeniei.* 20. At in Insulis Æthiopiæ teste Francisco Alvarez de Æthiopia cap. 9. Vaccæ sunt camelorum magnitudinem adæquantes, nivis instar candidæ, sed sine cornibus. *Verùm his natura locò cornuum dedit aures ingentes, longas & pendulas.* 21. Hungaria quoque boum prægrandium est tam ferax, ut Sigismundus Baro Herbesteinius scripto reliquerit: olim per solum passum Viennensem unò annò, plus quàm octuaginta millia in Germaniam acta esse; & Nicolaus Olahus testatur, se vulgarem civem Debreczinensem novisse, qui communiter Decem millia venalium solitus erat intertenere. 22. Proventus ex vaccis est alodiaturæ pars præcipua, & utilitatis maximæ. *Colligitur autem is ex lacticinijs, vitulo, sero, fimíque præstantia.* 23. In regione plana, & villa in fertili loco sita, vacca una præbet facilè per annum quinquaginta libras liquati butyri, & casei primarij libras centum, casei secundarij ex sero confecti libras quinquaginta. *Fertilis autem villa censetur illa, quæ pascuis & pabulô abundat, idest fœnô, chordâ, stramine, silis, quin & Braxatorij colluvie.* 24. In montanis locis, esto non tam copiosæ pascuationis reperiatur quantitas, sicut in plana villa, bonitas tamen pascuationis montanæ, superat pascuationem in plano campo. *Quia virtus montanarum herbarum electam pinguedinem inducit, & reddit sanissimum pecus.* 25. Reprehenditur in villico, si vehementius lac ex vaccis exsugat, & exprimat. *Hâc enim ratione in alterum tertiumvè annum steriles redduntur.* 26. Requiritur autem, ut hybernæ vaccarum commodæ sint, & habitacula illarum benè munita, ac pabulum ijsdem liberale, sufficiens, & frequens præbeatur. *Nam & hîc conditio illa valet: do, ut des.* 27. Serotina ablactatio vitulorum est utilior, quàm cita & matura. *Licèt enim per maturam ablactationem grandiora pecora excrescant, exigui tamen fructûs in lacticinijs sunt.* 28. Bosculi post plenilunium ultimo quadrante, & securiùs

adhuc lactantes sunt castrandi. *Evadunt siquidem sic robustiores.* 29. Boves licèt sint stolidissima animalia, sunt tamen capaces disciplinæ. *Nam & Ælianus lib. 7. cap. scribit Susis, ad irrigandos regios hortos, certi boves constituti erant, atque in hunc finem singuli centum cados aquæ haurire debebant, quem quidem laborem promptissimè subibant, cadorum tamen numerum diligenter observabant, ita ut ad alterum supra centesimum cadum hauriendum, nec verberibus, nec blanditijs induci potuerint.* 30. Boves odorantes aërem, temporis mutationem præsagiunt. *Signum enim est, tunc imminere notabilem aëris alterationem.* 31. Boves quindecim, aut ad summum viginti annos vivunt. *Optimarum igitur virium & maximè utiles esse censentur, cùm sunt quinque circiter annorum.*

§ XVI.

De Equis.

1. Licèt omnia animalia intra eandem speciem diversa ab homine, soleant habere oculos, quoad colorem uniformes, excipiuntur tamen equi. *In equis enim color oculorum maximè variat.* 2. Equi recensentur inter animalia solidungula. *Habent siquidem pedes, non fissos, sed integros, & unicâ ungulâ præditos.* 3. Dentes habent non serratos, sed æquatos & continuos. *Dentes enim equorum superiores non interserrantur inferioribus, sed quodam tractu coaptantur, & continuantur.* 4. Juxta Aristotelem & Plinium dentes habent numerô quadraginta. *Dum scilicet sunt in statu consistentiæ.* 5. Noctu aliquantulum saltèm vident. *Quod etiam alijs animalibus convenit, uti* ex. g. *cattis & leporibus.* 6. Sevum non habent, quod est fragile & frigore concrescit, sed adipem, qui est liquidus, neque est aptus coalescere. *Hinc jusculum ex adipe equi non concrescit, sicut jusculum ex sevo ovis.* 7. Lac equinum est tenuius, quàm ovillum. *Non ita tamen tenue, sicut est camelorum.* 8. Pro diversitate sexûs equis sunt diversæ vocis hinnitus. *Nam ut observavit Arist. Fæminæ statim ac natæ sunt, emittunt vocem quandam exiguam, ac tenuem, mares verò pleniorem ac graviorem, quæ in dies major evadit.* 9. Cursu velocissimo valent. Et memorant Historici: *Probo Imperatori, fuisse equum, qui centum millia-ria Italica singulis diebus decurrere posset, & decem dies sic continuare.* 10. Vivunt ad octodecim, vel viginti annos. *Qui verò longissimè ad triginta, mares tamen non sunt tam diuturnæ vitæ sicut fæminæ seu equæ, quarum nonnullæ ad 40. vel 50. annos vitam protrahunt.* 11. Equi trigesimo ætatis

suæ

suæ mense, amittunt quatuor dentes primarios, duos nimirum ex parte superiori, & duos ex parte inferiori: anno altero hoc est mense quadragesimo secundo ætatis, totidem & pari ratione; atque anno adhuc alio elapso, hoc est mense quinquagesimo quarto, alios quatuor eâdem ratione, cùm autem nactus fuerit equus annos quatuor, & menses sex, nullum ampliùs amittit dentem. *Atque hinc Equisones ætatem equorum dignoscunt.* 12. Postquam autem mutârunt dentes, difficilè est dignoscere, cujus ætatis sint. *Ideóque dici solet ætatem equorum ante mutationem dentium esse compertam, & post mutationem dentium ignorari.* 13. Adhuc tamen ætas equorum etiam post mutationem dentium, potest dignósci ex dentibus caninis, hoc est non molaribus. *Dentes siquidem canini anno septimo attriti, fiunt minores, siquidem juxta eos componitur frænum, unde circa annum septimum fiunt obtusiores.* 14. Naturâ sunt timidi. *Vino tamen in pane sumpto, ad pugnam animosiores fiunt, uti & audito sono, & tympanarum strepitu.* 15. Sunt Dominorum suorum amantes. *Nam ut narrat Ælianus de equo Soclis Atheniensis, tam vehementi is amore in Dominum fuit accensus, ut cùm illum adesse sentiret, exultaret & gestiret, cùm eum conscendere pararet, se ad conscensum promptissimum eidem exhiberet, cùm ante oculos ejus consisteret, eum suaviter & amatoriè intueretur, & cùm venditus alteri fuisset, mœrore & inediâ voluntariâ sibi mortem consciverit.* 16. Sunt etiam Dominis suis fideles. *Hinc Mithridates Rex Ponti, corporis sui custodiam non solùm satellitibus, sed equo committebat, qui adventante aliquo, eum hinnitu excitabat.* 17. Equæ armentariæ sunt valdè sociales. *Ita ut si mater alicujus pulli periêrit, altera hinnulum matre orbatum educet.* 18. Equi frugibus & herbis vescuntur, & quò plus bibunt, eò magis appetunt cibum. *Ælianus tamen lib. 14. cap. 15. scribit apud Herotas & Gedrurios, equos piscibus vesci, fænique locò pisces habere.* 19. Equi libentiùs potant aquam turbidam, quàm claram. *Ideóque antequam bibant, pedibus illam conturbant, sorbendo autem bibunt, & os profundè aquæ immergunt.* 20. Caudæ equorum tenorem seu caudam habent breviorem, & pilos longiores: imò ad justam proportionem, cauda in equis unà cum pilis, deberet longitudine suâ, totum ferè corpus reliquum æquare. *Unde mirum esse debet, quòd hoc ornamento, quo ipsos natura decoravit, nonnulli truncando eos privant, & deturpant.* 21. Pulli equini ferè æquè longa crura habent ac parentes. *Progressu verò temporis, altiora crura non fiunt, sed reliquum solùm corpus augetur.* 22. Et hinc oritur, quòd pulli equini possint cruribus posterioribus attingere caput, at ubi adoleverint, non possint. *Quia progressu temporis, augetur truncus corporis magis quàm crura.* 23. Equi habent pilos deciduos, eósque mutant, potissimùm

mùm autem mutant colorem cæruleum in album. *Hic enim color magis accedit ad albedinem, quàm ullus alius.* 24. Ex cicatricibus equorum, pili, licèt debiliores prodire possunt. Si autem homo vulneratur in capite, ex vulnere etiam sanato, pili non prodeunt. *Quia in equis vulneratis, producitur caro & corium ejusdem rationis, licèt imbecilliora, ideóque producunt pilos, licèt imbecilliores, in homine autem cùm cutis vulneratur, caro subjecta condensatur, & connaturalem dispositionem amittit, neque pellis similis priori inducitur.* 25. In equis datur docilitas. *Nam & in scholis equestribus instruuntur, & ad saltum variósque gyros formandos docentur.* 26 Equi Ulyssiponenses dicuntur vento concipere. *Sed hæc est fabula jam alibi à nobis refutata.* 27. Fuêre equi Hermophroditi, hoc est mares simul & fæminæ. *Tales enim equos habebat Nero currui suo subjugos.* 28. Equorum pili ex cauda, si ponantur in aqua stagnante, non putrescunt, sed vitam & spiritum recipiunt, & in aqua spontè moventur. *Quod sæpè expertum se fuisse, scribit Albertus Magnus.* 29. Dicuntur equi aliquando lachrymari: refert enim *Textor*, Julij Cæsaris equum Asturconem, triduo antequam is occideretur, ubertim flevisse. *Verùm hæ guttæ ex oculis equorum decidentes, non sunt propriæ lachrymæ, nam lachrymæ propriæ, affectui duntaxat rationalis naturæ competunt.* 30. Equi carent felle, alij tamen tenent equos quidem non habere fel in jecore, sed in alvo, esséque venenatum valdè. 31. Præter equos urbanos, & domesticos dantur etiam equi sylvestres. *Hi tamen non differunt specie ab illis, & cicurari quoque possunt, licet labore & longo usu.* 32. Dantur insuper etiam equi fluviatiles, Hyppotami dicti, qui in Ægypto nascuntur. *Atque hi sunt specie diversi ab equis terrestribus, nec possunt vivere sine aquis, sunt verò Hyppotamorum caudæ elegantissimæ, quæ pectinibus mollitæ, ac equorum nostrorum pectoribus appensæ, olim apud Hungaros (& nunc etiam sunt apud Turcas) in pretio magno, & pro singulari equestri ornamento fuêre.* 33. Equus bonus censetur esse cæteris paribus, cui dura ungula, solida, & concava. 34. Non item si habeat crura carne & venis crassa. *Hic enim in itineribus saltèm longioribus facilè claudicat, & crura illius inflantur.* 35. Grandes & flaccidæ aures notant equum segnem. *Ratio hujus petitur ex phisiognomia etiam reliquorum animalium, imò & hominum.* 36. Equus est calidæ complexionis. *Ideo refrigerio indiget, quod illi confert avena.* 37. Sudor equi est venenatus. *Ob caloris excessivi copiam.* 38. Si immittatur manus ori equino, inveniuntur duo officula sibi opposita, si inferius est subtile, equus non est aptus ut impingvetur, si æqualia sint, pingvescet. 39. Sic etiam equus qui jubam magnam & duram habet, citò pinguescit. *Hæc enim signa sunt optimæ complexionis.* 40. Den-

sos

ſos habens pilos in pedibus, qui concreſcunt ſupra talos, non valet ad curſum, talis tamen equus eſt laborioſus. *Id enim eſt fortitudinis ſignum.* 41. Qui oculos profundos & aures dejectas habet, eſt piger, magnarum narium & oculorum, eſt audax. *Ratio hujus petitur ex principijs Phyſiognomiæ.* 42. Fricare equum, ſæpè plus prodeſt, quàm cibum largiſſimum dare. *Mundities ſiquidem equis plus prodeſt.* 43. In ipſo meridie non ſunt potandi equi. *Nam tunc aqua eſt ſole accenſa, adeóque alterata.* 44. Paſcantur equi, non ſiccis, ſed humidis locis; neque inter arbuſta. *Quia ibi ſunt herbæ duræ, & conſequenter equis minùs proficuæ.* 45. Muſcæ non impetunt equum, ſi fuerit perunctus ſucco cucurbitarum, hunc enim ſuccum muſcæ horrent.

§ XVII.

De Mulis.

1. Mulus eſt animal ex equa & aſino genitum. *Conſtituit igitur ſpeciem tertiam, mediam inter equum & aſinum.* 2. Quod equâ & aſino generatur animal, dicitur ſimpliciter mula, vel mulus juxta ſexûs differentiam. 3. Quod verò generatur ex aſina & equo à Varrone nuncupatur Hirinus. 4. Differunt autem inter ſe hirinus & mulus vel mula. *Hirinus enim ex equo & aſina procreatus, minor eſt corpore, quàm mulus vel mula, plerúmque rubicundior, auribus ut equus, jubam autem & caudam, ſimilem aſini jubæ & caudæ habet.* 5. Utriuſq; differentiæ mula ſterilis eſt. *Quia naſcitur ex duobus animalibus propenſis ad ſterilitatem, ut ait Ariſtoteles; alij tamen alias hujus rei cauſas aſſignant.* 6. In Syria tamen quandóque pariunt mulæ, teſte eodem Ariſtotele. *Qui tamen addit has mulas eſſe alterius generis, diverſi à mulis noſtratibus.* 7. Quamvis contigerit ſubinde quòd etiam mula communis pepererit. *Id tamen prodigij loco habitum fuiſſe ait Plinius.* 8. Facilius id contingere poteſt, ut mula concipere poſſit, non poſſit tamen parere. *Quia conceptum factum defectu naturalis virtutis perficere non valet.* 9. Mulus tamen mas interdum poteſt generare. *Quia calidioris & fortioris eſt naturæ, quàm mula fæmina. Ita Ariſtoteles lib. 7. cap. 6. de generatione animalium.* 10. Referunt inſuper Hiſtorici accidiſſe in Meſopotomia, ut cum ingenti terræ motu, hiatus terræ magnus factus fuiſſet, qui ad aliquot milliaria pateret, inde prodiêrit mulus. *Qui fortè in ſuperficie terræ exiſtens dum terræ motu concitaretur tellus, in illum hiatum inciderat.* 11. Mulorum procreationem primus invenit Ana. *Equas aſinis ſubjiciendo, ut habetur in Geneſi cap. 36. ℣. 12.* 12. Hinc deducitur mulum non fuiſſe in Arca

Noë. *Sicut nec alia animalia, quæ generantur ex commixtione animantium diversarum specierum.* 13. Muli vivunt multis annis, & adhuc diutius mulæ. *Unde quamdam mulam ad octuaginta annos vixisse, notavit Plinius lib.8.cap.4. Et rationem dat* Aristotel. *Quia mulæ non dant operam generationi, adeóque magìs vitales spiritus conservant.* 14. Muli vescuntur herbis & frugibus, vilissimóque pabulo sunt contenti, & quò plus bibunt, magìs pinguescunt. 15. Muli felle carent, lienem verò habent, ex una parte latum, ex altera autem angustum, ut equi ac asini. 16. Mulus & mula, libenter volutantur maximè in pulvere. *Ut sic recreentur à lassitudine.*

§ XVIII.

De Asinis.

1. ASini licèt sint vilia animalia, magno tamen usui sunt Alodiaturæ. *Sunt enim qualicúnque pabulò contenti, ut folijs arborum, spinis, stipulis, carduis, & fructuum corticibus, interim tamen non contemnendi, in oneribus portandis, & devehendis.* 2. Asini cor habent magnum. *Ideóque sunt timidi, uti alia omnia animalia, quibus cor est magnum, sunt timida & formidolosa, nempè: Quia non habent calorem pro magnitudine cordis sufficientem, ac proinde & sanguinem frigidiorem; ex frigore autem cordis oritur metus, sicut ex ejusdem calore majore audacia.* 3. Aristoteles libro Phisiognomiæ cap. 7. ✠. 4. ait: Indolentiam esse proprietatem asini. *Quippe quia* is nullis adversis videtur dolere. 4. Asinus habet lienem medium, & quodammodo anticipem. *Siquidem aliqua pars illius lienis est lata, altera angusta.* 5. Asini carent felle. *Sunt siquidem ex illis animalibus quadrupedibus viviparis, quibus natura fel denegavit, ut habet Arist. in Histor. animal. lib. 2. cap. 15.* 6. Non generantur asini in Regionibus frigidissimis. *Sunt enim à natura frigoris externi impatientissimi.* 7. Asina si peperit, antequam amiserit dentes, qui gnomones vocantur, non ampliùs parit, si non peperit ante, parit toto vitæ tempore. *Ut observat Aristot. lib. 6. Histor. animal. cap. 23.* 8. Asini vivunt plus quàm triginta annis, atque ordinariè fæmellæ diutiùs vivunt, quàm mares. 9. Sunt à natura pigri, & citò à motu vel gressu deficiunt. *Unde continuò clamoribus & puncturis sunt propellendi; pigritia autem hæc eorum procedit, ex frigido, & denso eorum sanguine.* 10. Sunt autem exquisiti auditûs. *Ad quem illos juvat aurium magnitudo, in quibus sonus copiosiùs recipitur, & intensiùs diffunditur.* 11. Asinæ cavent ne vel in conspectu hominum, vel in

luce pariant. *Et ideò ab asinarijs, dum imminet earum partus, in latibula abducuntur.* 12. Si cicutam depascuntur, profundò somno, & torpore corripiuntur. *Est siquidem cicuta herba venenata, & si non mortem, saltèm torporem inducens.* 13. Ægysthus & Spinus sic dictæ aves, naturali odio asinos prosequuntur. *Ægysthi eos odio habent, quòd spinetis se atterentes scabendi causâ, nidos earundem destruunt: Spinus verò, quòd spinarum flores, in quibus ille degit, devorant.* 14. Asinus est abjectissimum & immundissimum animal, tineis tamen ita caret toto corpore, ut ab omnibus vermiculis, pediculisque pili illius sint immunes, ut tradit Aristot. lib. 5. Histor. animal. cap. 7. & Plinius lib. 11. cap. 35. 15. Pedum calceamenta, ex ea corij parte, quâ onera portant nunquam consumuntur, tametsi lapidibus scabris, iter peragatur, uti experimentis se habere Albertus Magnus lib. 22. testatur. 16. Præter domesticos asinos dantur etiam asini sylvestres. *Præsertim in India, & quidem alicubi tantæ proceritatis, ut summitate dorsi, æquent mensuram hominis porrecti in brachia elata, ut testatur Jacobus Zeiglerus.* 17. Imò aliqui Indici asini cornibus prædíti sunt: addit verò Vincentius his, natural. histor. cap. 15. sequentia. *Sunt autem hi asini sylvestres veloces, audaces, pugnaces, equorum magnitudine, purpureo capite, reliquo corpore albi, habent in fronte coronam, cujus pars punicea, inferior alba, media nigra.* 18. Ex his porrò cornibus pocula conficiuntur, ex quibus Nobiliores Indi bibunt. *Sunt siquidem medicinalia adversus omne venenum. Imò accepto jam veneno, per potum ex poculo cornu hujus, sanari hominem pro comperto tenet Ælianus lib. 4. cap. 51.* 19. Ex cadavere asini fucos & scarabeos nasci asserunt multi. *Ut videre est* apud Nierembergium in Historia naturæ. Ubi etiam addit: Bruchos pari ratione oriri ex hominum morticinijs, crabrones & vespas, ex cadavere equi, locustas ex mulis, apes ex tauro, bufones ex anate, scorpionem ex cancro exanimato, & in sicco sepulto. Vide dicta superius Paragrapho de apibus.

§ XIX.

De Ovibus.

1. ARistoteles ait, Ovem esse, quadrupedum omnium simplicissimam. *At quidam peritissimus œconomus asserit, omnium quadrupedum in Alodiatura, seu rurali œconomia, utilissimam.* 2. Ovis enim tota est pretiosa. *Nempè & lana, & pellis, & proles, & caro, & lac, & fimus.* 3. Hinc ajunt œconomi, ovem matrem, vel unico anno fructum quem submini-

ministrat, pretium sui adæquare. 4. Oves primâ ætate sex denticulos acutos seu caninos producunt, nullum verò molarem: eósque anno integro immutabiles, conservant. *Atque hoc tempore pecus anniculum, vel hornum vocatur.* 5. Elapsô autem annô binos caninos ejiciunt, quibus duo latiores succedunt. *Atque hoc tempore bidentes appellantur.* 6. Exactô altero anno, rursus alios duos caninos dentes rejiciunt, alиósque totidem latiores acquirunt, & sic consequenter usque ad tertium ætatis annum, donec omnes sex substitutos latos acquirant. *Quos deinde totâ viridi ætate, nempè quarto, quinto, sexto, septimo annô stabiliter conservant.* 7. Anno ætatis octavo, & nono senescunt oves, ac plurimùm fiunt edentulæ. *Putrescentibus scilicet gingivis.* 8. Anno ætatis decimo fiunt annosæ atque grandævæ. *Et tunc ex ovili, utpotè ad propagationem inutiles eliminandæ sunt.* 9. In genere ovium juxta Aristotelem plures dentes insunt maribus quàm fæmellis: quod idem observandum est in capris, & hominibus. *Utrùm verò idem accidat etiam in alijs generibus animalium, nondum ait esse exploratum.* 10. Oves in vere ex parte resolutis nivibus, nullo modo pascendæ sunt, in locis irriguis & aridis, sed in siccaneis pratis, & requietis agris. *Quia cùm sint naturâ valdè pituitosæ, priora illa pascua sunt ijsdem valdè nociva.* 11. Cavere etiam debent pastores ovium, ne gregem agant unquam ad pascua rufo gramine referta, qualia uda & uliginosa loca copiosè germinant, vel ad sata murium multitudine infecta. *Hæc enim oviculis plurimùm nocent, & morborum manifesta origo sunt.* 12. Incalescente meridie pastores ovium, ut gregem in valles, querceta, & læta nemora propellant, necesse est. *Ne intemperie æstûs, naturâ suâ asthmaticæ, & mucosæ, periculum valetudinis ineant.* 13. Ovibus præ cæteris pecudibus sal exhibendus est. *Utpotè universale remedium, adversus omnes morbos quibus oves præ cæteris animantibus subjectæ sunt.* 14. Cavendum quoque opilionibus est, ne oves ex fætidis, argillosis & corruptis lacunis bibant. *Inde enim certos morbos, ac pestem hauriunt.* 15. Dantur in multis locis aquæ, quas si oves biberint, nigros, item aliæ, quas si potent, albos agnos pariunt. *Ex diversarum enim aquarum potione, diversitas temperamenti sequitur, atque ex hac dein diversitas pilorum.* 16. Pelles ovium à lupis voratarum & mutatarum, itémque lanæ, ac vestes ex ijsdem confectæ, sunt aptiores ad pediculos generandos. *Quia ex morsu lupi, pellis talis faciliùs putrescit, ac inficitur ipsa etiam lana consequenter: putredo autem est origo generationis pediculorum.* 17. Ipsæ tamen oves & capræ non laborant pediculis. *Verùm laborant vicino, hoc est vermiculo, qui capite semper sanguini infixus, vivit.* 18. Cælo tonante, ovium aliqua si sit seorsim

ſim à reliquis, abortum facit. *Ex nimio ſcilicet terrore, ſic & cervæ faciliùs pariunt, dum magna audiunt tonitrua.* 19. Oves in aliquibus locis habent fel, & in aliquibus quidem maximum, in aliquibus verò planè nullum. *Juxta diverſitatem climatum aëris, & paſcuationum. Hinc in Regionibus frigidis in hyeme felle carent, in vere autem eodem complentur.* 20. Oves licèt habeant cutem craſſiorem, habent tamen pilos ſubtiliores. *Quia illa ipſa cutis eſto ſit craſſa, habet tamen meatus valdè arctos, & conſequenter & pilos tenuiores, qui per eoſdem tranſeunt.* 21. Oves & capræ plùs lactis dant, quàm vaccæ & alia animalia majora. *Quia alimentum quod non convertunt in magnitudinem, convertunt illud in lac.* 22. Oves & capræ facilè mutant colorem, præſertim ſi mutant aquas ad potandum. *Quia in illis prævalet humidum, quod eſt principium mutationum.* 23. Lingua ovium coloratur tot coloribus, quot coloratur pellis earum. *Quia ut jam dictum eſt, varietas colorum in ovibus oritur præcipuè ex varietate aquarum quas bibunt; ſed aqua quæ potatur maximè afficit linguam. Ergo illa maximè, debet varijs coloribus tingi.* 24. Oves juniores habent vellera molliora, quàm ſenes. *Quia alimenta melius concoquunt.* 25. Oves à natura habent oculos maximè diſtantes. *Quia cùm plurimum incedant capitibus in terram recurvis, hâc ratione effecit natura, ut etiam ad latera proſpiciant. Ita Ariſtot. Tom. 5. ſect.* 10. ℣. 17. *apud Maurum.* 26. Quibuſdam in locis latam valdè & craſſam oves circumferunt caudam. *Ita ut aliquando decem aut viginti, & plures ponderet libras.* 27. In certis Regionibus, ut apud Abydenas & in Budianorum Regione, omnes oves, ſunt coloris nigri. *Id quoque ad cæli, aut aquarum temperiem eſt referendum.* 28. In reliquis tamen Regionibus, nullâ lege colorum ſervatâ, plerúmque oves procreant proles coloris ſimilis, ex paterno vel materno vellere. 29. Sæpè tamen ad hunc vel illum colorem concurrit imaginatio maximè tempore conceptionis. *Qualiter & Patriarcha Jacob variegati coloris cupiens habere oves, virgas diſcolores in canalibus, ex quibus bibebant oves & arietes diſponebat, quarum aſpectu, varius quoq; in fœtu inventus eſt color.* Geneſ. 20. cap. 30. Nonnulli colorem futuri fœtûs, tradunt animadverti poſſe in arietis patris colore, non quidem ipſius villi colore, ſed qui ſub lingua in vena ejus, invenitur color. *Ut habet Plinius libro* 8. 47. *& Ariſtoteles. Hiſtoriæ animalium. lib. 6. cap.* 19. 31. Maresnè an fœminæ gignantur oves, cauſam etiam referunt nonnulli ad ipſum ventum. *Auſtro enim flante fœminas gigni, Aquilone verò mares.* Tradit Ariſtot. Hiſtor animal. lib. 6. cap. 19. & Plinius lib. 8. cap 47. 32. Admirabilius putat eſſe Majolus, quòd in Africa ſtatim corni geri gignantur arietes. *Id tamen affirmat Ariſtoteles Hiſtor. animal. lib. 8. cap.* 28. 33. Hic

idem Author, inter mirabilia refert, quòd in Nubia regione non modò mares, sed & ipsæ oves fœminæ cornua gerant. *Id tamen non ita mirum est, cùm & in Hungaria oves fœminas cornutas esse subinde videre liceat.* 34 Illud etiam pro miranda re existimat: Quòd in Africa oves, quarto tantùm die bibant. *Id tamen referri forsitan possit ad assvetudinem, in Africa siquidem rara est aquæ copia, imò frequens illius inopia, & fluvij ab invicem valdè dissiti.* 35. Hoc fortè est mirabilius: quòd oves, quarum proprium est, ut lanâ tegantur, in Æthiopia tamen, lanam non habeant, sed pilos camelorum modo hirsutos, ut tradit Dion, & ex eo Ælianus lib. 7. cap. 10. 36. Albertus Magnus lib. animal. 18. Tract. 1. cap. 56. pro re miranda habuit, quatuor cornua arieti fuisse, verùm & in Italia, & in Hungaria, quadricorni arietes, non rarò inveniuntur. 37. Petrus Hispanus meminit part. 5. Tract. 24. In Carvola novi orbis provincia reperiri verveces, proceritatis equinæ, quibus licèt grandia sint cornua, nihilominus exiguas caudas habent. Vice versâ verò Barthema in suo itinerario lib. 2. cap. 9. tradit. In Arabia plurimos verveces caudatos esse, sed cornibus carentes. *Quia fortè alimentum non sufficit pro utraque parte, igitur in ijs totum alimentum abit in cornua, in his totum in caudam.* 38. Oves non pellantur ad pascua priùs, quàm sol rorem deficcet & rubiginem, ac pruinam. *Hæc enim pituitam in ijs causat vel auget, cùm aliunde sint à natura valdè pituitosæ.* 39. Oves nigræ sunt præstantiores albis. *Illis enim non ita multa nocent atque his, & dant plus casei, & quidem melioris.* 40. Non pascantur intra spinas. *Quia sic multùm de lana amittunt.*

§ XX.

De Capris.

1. DE Capris pauca restabunt Philosophicè observanda. *Multa siquidem habent communia cum ovibus, de quibus jam egimus, & cum capris sylvestribus, de quibus in venatione Philosophica disseruimus.* 2. Licèt verò & oves & capræ vescantur herbis, non tamen eodem modo. *Illæ enim pascuntur stabili grege, ita ut non huc illúcque vagentur: capræ autem, dum pascuntur, huc illùcque vagantur, & solummodo summa herbarum & stipularum carpunt, insuper non tantùm gramine, sed & folijs, ac corticibus arborum avidissimè vescuntur.* 3. Omnes capræ habent oculos ejusdem coloris. *Qui propriè ideò caprinus dicitur.* 4. Licèt verò capræ sint robustiores viribus, minùs tamen bene valent, quàm oves. *Sunt*

enim magis, & pluribus infirmitatibus obnoxiæ, quàm oves. 5. In Cilicia capræ tondentur eô pactô, quô apud nos oves. *Fortè quia meliori pilo sunt præditæ, magísque utili ad conficiendas res textiles. Sic & ex Abyssinarum caprarum vellere sive pilo, pannus ille conficitur, quem Cymatilem seu undulatum vocant.* 6. Capræ sunt coloris varij. *Non ex toto genere, sed in aliquibus individuis generis, cùm multæ habeant colorem varium.* 7. Per nares & aures spirare dicuntur. *Cujus signum est, quòd naribus obstructis nihil offendantur.* 8. Habent sympathiam cum Tygride. *Nam si tygridi hædus objiciatur, abstinet à cibo per biduum; tertio die, aliud pro cibo poscit, & nisi porrigatur caveam convellit, & hædo parcit.* 9. Cum capri-mulgo ave inimicitias exercent. *Hæc enim ubera caprarum sugit, & uberi tabem, ipsi verò capræ cæcitatem adfert.* 10. Horrent quoque humanam salivam. *Quam proinde semper vitant.* 11. Pariter horrent & mel. *Quô sumptô debilitantur.* 12. Item Evoninis folium & fructum. *Quô gustatô brevi intereunt.* 13. Earum morsus exitialis est arboribus. *Per hunc enim arbores sterilescunt, vel planè pereunt.* 14. Capræ sunt mobiles & celeres. *Ideò curant potiùs dumeta & loca aspera, atque montosa & petrosa quàm campestria.* 15. Visum habent acutissimum, & auditum acerrimum, ignitos ac splendidos oculos, noctúque vident. 16. Earum caro est succi pessimi. *Undè nec coquendo, nec frixando, nec assando, redditur sapida.* 17. In India ad maximorum asinorum magnitudinem accedunt, at propè lacum Caspium ad magnitudinem equorum. In Lybicis verò montibus ad boum magnitudinem, uti refert ex probatis authoribus Majolus.

§ XXI.

De Pecore Porcino.

1. CONtemptum licèt hoc sit animal, & quô nullum est immundius, utilissimum tamen est in alodiatura. *Tenuibus enim expensis, hoc porcinum genus alitur, & maximos facit proventus.* 2. Est mirè fæcundum. *Una enim scropha decem etiam, subinde plures nefrendes parit, & sic ex paucis scrophis intra paucos annos grex integer evadere potest.* 3. Nullum autem pabulum, glandibus, est porcis convenientius. *Hujus enim dulcedine, unicè delectantur, reddúntque carnem coquibilem, & stomacho utilem.* 4. Cæterùm porcus spadus in vita, nullius lucri est. *Non enim præbet lac ut vacca; non lanam ut ovis, non trahit styvam, ut bos vel equus, fimus quoque illius non solùm inutilis est ad agriculturam, sed etiam nocivus.* 5. Licèt autem in vita sit voracissimum animal, & simul inutile,

post mortem tamen charissimum,& utilissimum. *Nihil enim est in illo inutile, nihil abjectum ex illius carne.* 6. Hinc luculentissimum est symbolum Avari. *Qui dum vivit, omnibus est exosus, quia in omnes tenax, imò & in seipsum sordidus, & alijs invidus. In morte verò hæredibus utilissimus, ac gratissimus porcus.* 7. Sues in nostris plerisq; Regionibus habent pedes bifidos,& divisos in duas partes. *In quibusdam tamen locis, ut in Illyrico, & apud Pæonas, habent pedes unicâ ungulâ præditos.* 8. Vivunt sues quatuordecim etiam annis, & aliquando paulò minus quàm viginti. *Ajunt autem suem erutô oculô celeriter perire, ac rarò evadere.* 9. Sus post mortem amittit sextam partem ponderis, quod habuit in vivis, ut notat Aristot. lib. 8. Histor. animal. cap. 6. ỷ. 3. *Siquidem hæc sexta pars abit in setas, sanguinem, & alia hujusmodi.* 10. Sues fœminæ pugnant morsu, mares verò pugnant ictu. *Nempe quia sues fœminæ carent dentibus exertis, mares autem habent dentes exertes, igitur illæ debent se defendere morsu, hi autem possunt se tueri ictu.* 11. Ad saginandos sues utile est, non simplicem, sed varium cibum apponere. *Siquidem sues, sicuti & alia animalia, gaudent ciborum sibi convenientium varietate & mutatione.* 12. Ubi desunt glandes, dant in saginam furfur mixtum urticis. *Unde mirè pinguescunt intra exiguum tempus. Dicitur veres intra duodecim dies cucurbitâ impinguari.* 13. Sues gravidæ si copiosiùs glandem comedant, abortum patiuntur. *Nimia enim satietas illis nauseam creat, & quemdam naturæ horrorem, ac omnium vitalium commotionem.* 14. Sus primam mammam præbet fœtui, quem primò in lucem edidit. *Ut habet Aristot. lib. 8. Histor. animalium cap. 6. ỷ. 5.* 15. Ex animalibus multiparis sus parit fœtus perfectos, seu ex omni parte integrè efformatos, cùm tamen alia animalia multipara pariant fœtus pessimè efformatos v. gr. ut ursus, cœcos, ut canes. *Quia sus, cùm sit pinguis, abundat alimento pingui, adeóque optimô, & sufficiente, ad efformandos fœtus etiam plures integrè.* 16. Sues licèt non habeant cutem tam crassam quàm boves, pilos tamen habent crassiores. *Quia habent humorem pinguiorem, & meatus laxiores, quàm boves, & consequenter & pilos, hoc est setas duriores.* 17. In Macedonia sues omnes muti sunt, teste Theophraste & Æliano lib. 3. cap. 34. *Idque illis ob aëris frigiditatem contingere, prodidêre ijdem Authores, cùm & Apris Macedonijs idem contingat.* 18. Apud Indos autem populos nullum suillum genus vivit, nec agreste, nec domesticum. *Non enim omnis tellus habet omne genus animalium, sic in Europa multa genera animalium non erant ante apertas Indias, quæ postmodùm in illam inde sunt translata.* 19. In Æthyopia sues habere cornua scribit *Agatarchides*, ut annotavit Ælianus lib. 5. cap. 27. In Brasilia autem sues carere

carere caudâ, testatur Josephus Acosta; sed & in insula Cubagva, ungues seu ungulas suum excrescere in altum semipedali altitudine, tradit Petrus Hispanus lib. 15. cap. 11. de rebus novi orbis. 20. Suum cerebrum ad lunæ vel incrementum vel decrementum, augetur vel minuitur. *Sunt siquidem humidi admodùm temperamenti.*

§ XXI.

Medicinalia pro Alodiaturæ Animantibus.

1. INter Alodiatoria animalia equus plurimos incurrit morbos: Bos & vaccæ multos; mulus aliquos; Asinus paucissimos; porcus non multos: ovis & capra aliquos. Ordine igitur proposito, agemus de medicinis singulorum (prætermissis mulis & asinis) sed breviter, & solùm, illas adducendo, quæ magis accedunt ad Physicas rationes. 2. Igitur equis putant aliqui accidere morbos 366. *Certum tamen est quòd plures quàm 60. præter eos, qui ab extrinseco veniunt.* 3. Tritum sed verissimum est illud dictum: quòd bonus equus, non nisi unum pedem habeat. *Nam vel unicô læsô cæteri sunt inutiles.* 4. Vitium porrò habet in pedibus equus, si alterum protrudat, nec stet æqualiter. *Claudicat autem, vel quia ungulæ in itinere attritæ, vel quia dum otiatur, collecti humores in pedem descenderunt, vel quia crus læsum est, vel quia clavus ad vivum fuerit eidem infixus.* 5. Si igitur clavus eidem ad vivum infigatur; locus ferro aperiatur, & stupa ovi albumine tincta immittatur, additô acetô fortissimô, & sale contusô, aut gallæ pulvere. 6. Ut verò clavus, si soleando ad vivum pervenit deprehendatur, singulos malleô percute, & cujus percussionem vitat, ille est in culpa. 7. Apostema sub equi ungula est, cùm per ungulam erumpit, ubi ergo nigriorem conspexeris, ibi locum digitô pulsa, & si ostendit sensum, & ulcus maturum est, illud aperi, atque exprime. 8. Pedem sic affectum equus premit, vel soli ejus insistit extremitati: si autem totô pede æqualiter calcat terram, non in planta est vitium, sed quærendum in junctura. 9. Pro omni claudicatione, si hæc sit in planta pedis, sumatur canabis cum ovi albumine, & applicetur, posteà solea affigatur; si autem vulnus factum est, albumen cum fuligine & aceto apponatur. 10. Gallæ in tibijs curantur cauterio. 11. Dorsum equi si propter ephipium tumescat, vel vulneretur, cœpas coctas quàm calidissimas applica, & alliga, unâ nocte sanatur, vel salem tritum cum aceto, vitellô ovi misce, & unge. 12. Catharrus equi sanatur, si potetur aquâ tepidâ, cum triticeis furfuribus. 13. Dissen-

teriâ laboranti equo, præbeatur in pabulo frixum hordeum. 14. Defatigationem equi alleviat: butyrum coctum cum modico sale, ubi refrixit, immittantur eidem aliquot ova, & sic gutturi illius infundatur. 15. Tussis equi sedatur, si allium cum pulvere pyrio & aceto tritum gutturi ejusdem infundatur: vel, si particulam raphani in pabulo devoret; vel, fænum græcum in aceto maceratum edat cum pabulo. 16. Ungulam si amittat, millium confringatur, & cum lacte calido, quotidie applicetur. 17. Asthmatico equo non alius per triduum detur cibus, quàm furfur siliginis, & idem furfur misceatur potui. 18. Albugo oculi, in equis tollitur, si pulvere Rutæ combustæ inspergatur. 19. Cùm ex mala affectione vehementer sudat equus, tunc in nare excrescit illi veruca, quæ est causa mali, ista proinde exscindatur. 20. Nervô contusô, plantago cum vetere axungia contusa applicetur. 21. Cœcitas oculorum in equis oculô aliàs clarô, curatur: si eluatur oculus frequenter, & vertex capitis aquâ anisi, & pabulo misceatur fœniculum, & anetum campestre. 22. In percussione oculi equi, radatur album lardum, & optimè eluatur, & applicetur oculo, panis verò crassus in aceto madeat, ut fiat mollis, & supra lardum ponatur. Hoc mutandum manè & serò. 23. Contra epilepsiam equi, pulvis cornu alcis propinetur aliquoties, & equus in loco obscuro locetur. 24. Contra mures, qui sunt glomi sub collo, & suffocant equum, hoc est remedium: Hos oportet subulâ fodere vel scindere. Si verò candenti adurantur, non crescunt amplius, initiô prodest dictos glomos oleô lini, sale mixtô ungere. 25. Solent equi subinde duas verrucas, in mandibula inferiore sub lingua acquirere, quæ impediunt comestionem, ac proinde fit ut equi exsiccentur, & quasi phtysim contrahant. Has igitur verrucas, oportet forfice exscindere, & acetô calidô, cum sale eluere. 26. Dum equus narium fluxione laborat, formicas cum nido coque & percola, & istam aquam bibat triduo. 27. Cùm impletur ungula sanguine, tum apparent lineolæ rubræ; aperienda proinde tunc est, ut sanguis effluat. 28. Infixa equô extrahit argentum vivum, cum axungia vetere tritum, & applicatum. 29. Prodest equis etiam venæ sectio, sed de collo ducatur sanguis in Aprili vel Majo, non autem hyeme. Æstate verò ex venis pedum & pectoris; hyeme ex venis laterum. 30. Pro omnibus morbis equo dari possunt eædem medicinæ, quæ dantur hominibus, sed in classi duplicata. 31. Medicinæ non dentur equis in nova, vel plena luna. 32. Illud verò superstitio est, quod aliqui observant, equos soleandos esse primo die Veneris novilunij, vel sanguinem equis mittendum certis festis diebus. 33. Boves, vel vaccæ, aut vituli, si habent vermes in ventre, detineantur à potu per duas dies, deinde illis

de illis detur aqua, in qua sit tantundem olei olivarum, in loco obscuro, ne oleum videant, omnes enim egerent vermes. 34. Si amiserit bos, vel vacca, aut vitulus appetitum ad pabulum, linguæ ejus palatum fricetur solô aceto. 35. Vomitus & cordis palpitatio in his animalibus sanatur, si os perfricetur alliô. 36. Febris boum est, cùm ardent, tunc sanguis educatur ex vena frontis, vel aurium, & dentur in cibo quæ refrigerant. 37. Suspirabundo bovi ob inflammationem palati, sanguis ex vena palati educatur, & allium contusum detur cum fæno, neque aliud pabulum donec sanetur. 38. Cùm tussit, bibat decoctionem hysopi, & *porrum* contusum cum puro frumento edat. 39. Contra morsum venenatum in his animalibus, remedium est: Ut locus infectus lavetur smigmate, & decoctô lappæ. 40. Scabies eorum tollitur, si ungantur alliô contusô cum saturtia, sulphure, acetô & gallâ, succo calaminthæ, & axungiâ. 41. Ulcera eorundem, priùs maturentur, scylla cum aceto, posteà scindantur, & eorundem urinâ calidâ abluantur, & imponatur pix, ac demum filamentô tinctâ sebô. 42. Oculi inflati abluantur mulsô; vel aquâ tepidâ cum farina siliginis. 43. Pediculos bovis tolles, si sustuleris vesiculas sub lingua. 44. Pulmonis malo, medetur radix avellanæ auribus imposita, & succus porri cum vino, datus in potu. 45. Si bos claudicet ob malè affectam scapulam, sanguis ducatur, è vena pedis posterioris oppositi. 46. Si genu inflectur, fomentetur acetò calidô, vel decretione millij & seminis lini, & fiat cauterium in loco affecto, butyróque recenti bene lotô in aceto, ungatur. 47. Si bos sit percussus, locus abluatur urinâ calidâ & ungatur adipe veteri mixto cum oleo & pice. 48. Si claudicet bos, cum redit à laboribus, aquâ frigidâ illi pedes abluantur, & axungiâ vetere ungantur. 49. Si cornua offensa habent, foveantur acetô, sale, oleô olivarum, & aplicetur axungia vetus cum pice. 50. Scapulæ dum locò motæ sunt reducantur ad suum locum, & hic porci adipe ungantur. 51. Ad vulnus tibiæ boum, axungiam porci, cum furfure coque in albo vino, & fac emplastrum. 52. Si pes tumet, sicca folia sambuci contere cum axungia porci, & fac emplastrum. 53. Si dissenteriâ laboret, pro remedio triduum non bibat, nec edat nisi folia arundinis, aut semen myrthi. 54. Scabies boum curatur affrictu allij. 55. Omnes morbos ab animalibus repellit radix scyllæ, aut populi cum sale præbita in potu per dies quatuordecim initiò veris. 56. Pulmonarium vitium incurrit bos, ex esu malarum herbarum, vel si diù steterit supra urinam equorum. 57. Morbidus est bos, qui fœnô aut paleâ abjectâ abstinet. 58. Pestis ovium provenit ex noxiarum herbarum esu; tum infectæ separandæ, vena sub lingua aperienda,

&

& præbeatur sal cum sulphure. 59. Cùm oves mactantur, si reperiatur una & altera vitiatum hepar habere, signum est pestis futuræ inter oves. 60. Oves conservantur sanæ, si baccæ juniperi minutim conscindantur, & misceantur cum avena & sale, & ter vel quater singulis annis ijsdem pro pabulo præbeantur. 61. Febri laborantibus ovibus aperienda est vena inter ungulas, supra talum pedis. 62. Ovis si æstu solis concidat, succus betæ sylvestris ori ejusdem infundatur. 63. Difficulter respiranti, aures ferro incidantur. 64. Tussienti verò amigdala tusa cum vini cyathis tribus dentur. 65. Crura si frangat, vinô & oleô telam imbue, & pedem involve, ac posteà duris arborum corticibus firma. 66. Hirudinem si deglutivit, acetum acre, aut oleum olivarum ori ejusdem infunde. 67. Ulcus in ovibus ut sanetur, sal cum pice combustus applicetur. 68. Agnellis febri laborantibus, detur lac maternum cum aqua pluviatili æqualiter mistum. 69. Scabies ovium tollitur, si oleô canabum, vel tiliæ ungantur. 70. Æstate legantur herbæ, quæ sunt ovium medicinæ; contra pestem illarum utiles sunt baccæ lauri cum cremato, si infunduntur pabulô, & illis dare expedit ante pestem. 71. In ipsa autem peste ovium; allium, absinthium, raphanus minor, & sal misceatur, ac simul conteratur, & hæc sumptis partibus æqualibus cremati & aceti diluantur, atque hic potus per triduum exhibeatur ijsdem manè, & post potum nonnisi post duas horas ad pascua dimittantur. 72. Cognoscitur ovis infirma, si folia alnorum lecta in autumno dentur ovibus in Januario, quæ illa comedit est sana: abstinebit infirma. 73. Vel aspiciantur oculi earum, & quæ venulas in oculis habuerit rubras, est sana; quæ pallidas ægrotat. 74. Cognoscitur etiam pellis an sit ovium spontè mortuarum: nam si pellis in parte non pilosa venulas habuerit rubras, est mactata, si pallidas, naturaliter est mortua. 75. Caprarum morbi sunt ferè ijdem qui ovium, & contra eos, eadem remedia. 76. Hydropem tamen ex nimio potu frequentiùs contrahunt capræ, quàm oves; tunc autem ijsdem cutis sub scapula aperiatur, ut aqua effluat, & vulnus sanetur pice. 77. Suibus strumosis vena sub lingua aperiatur, & sale trito, cum farina triticea os confricetur. 78. Ab omnibus præservantur morbis sues, si alumen, sulphur, & baccæ lauri in eadem quantitate commisceantur, & modicum fuliginis addatur, & hæc omnia sacculô immittantur, & hic quotannis bis potui earum immergatur. 79. Sues à peste præservat asphedali (Hungaris ökör-fark, Bohemis Zlatochwost / dictæ herbæ) radix, si in eorum potu maneat. 80. Sanantur etiam in morbis, cancris aliquot devoratis. 81. Si tussiant, radices cucumerum sylvestrium, cum aqua illis dentur.

§ Ulti-

§ Ultimus.

Vis medicinalis Alodiaturæ Animalium quadrupedum.

OMissis pro nunc altilibus, agemus hic solùm de vi medicinali animalium eorum, quorum hâc Dissertatione mentionem fecimus. Primò igitur lactis equini potus ventrem solvit, juxta Plinium & Galenum; & ex sententia *Rhasis*, utiliter datur comitiali morbô laborantibus. 2. Sanguis equorum, teste Plinio, regio morbo prodest. 3. Idem Plinius asserit carnem equinam, suum morbis mederi. 4. Medulla equi à recentibus Medicis miscetur unguentis ad spasmum curandum. 5. Coagulum equi convenit dissentericis. 6. Ijsdem salutaris est pulvis dentium equinorum. 7. Lingua equi trita, atque ex vino potui data, sedat dolorem lienis. 8. Jecur equi (ut vult Galenus) vinô dilutum, efficit in ijs quibus jecur vulneratum est, ne ampliùs exedatur. 9. Si mortuus fætus sentiatur, lien equi ex aqua dulci potus illud ejicit, uti scribit Plinius. 10. Pilô equinô circumligatæ verrucæ, tolluntur. 11. Ungulæ equinæ multos habent in medicina usus. 12. Spuma equi recens detracta, & cum oleo roseo infusa, auricularum, quamvis vehementes dolores, tollit. 13. Equi salivam (inquit Sextus) si biberint phtysici, & qui malè tussiunt, sani efficiuntur. 14. Quidam Plinio testante, urinam equi, ferrariæ miscent contra comitialem morbum, eâdémque potione, & lymphaticis medentur. 15. Scribunt nonnulli anhelitum equorum, hominem à peste præservare. 16. Fimum equorum recentem, & aspero aceto calefactum, tradit Plinius prodesse venenatis animantium morsibus. 17. Bubula caro tumorem sanare perhibetur, uti & ulcera apostemata, ijsdem apposita. 18. Jecur vaccinum dissentericis medetur. 19. Vituli medulla admixtô cuminô tritô, infusa auribus prodest in aurium dolore, & gravitate. 20. Tauri verò medulla in vino trita & potata, tormina sedat. 21. Pinguedinis, sive sevi taurini frequens est in medicinis usus. 21. Fel bubulum admixtum melli, ferrum infixum corpori vel spinam, extrahit. 22. Fel vituli calefactum cicatrices extenuare dicitur. 24. Et cornu bubuli summis partibus cinis, tussim sedat, si fides est Plinio. 25. *Rhasis* author est ungulam vaccæ ustam, & potam in vino vel lacte à muliere cui lac defuerit, restituere lac, & corpus lactantis corroborare. 26. Costas taurorum ustas, sanguinis & alvi fluxum sistere scribit Galenus. 27. Lethargicos adjuvat coagulum vituli in vino epotum obuli pondere, ut tradit Plinius. 28. Idem author est: mem-

branam è partu vaccæ madida ulcera in facie sanare. 29. Mirum est, quod scribit *Marcellus*, ex eadem aqua, de qua bos, vel vacca, aut asinus biberit, paululùm sumptum & potatum, tollere efficaciter capitis dolorem. 30. Ait idem *Marcellus*: Lac bubulum recens emulsum, & lento igne calefactum gargarizatúmque, arteriam constrictam perfusô catarrho, & fauces exasperatas, pristinæ sanitati restituere. 31. Ait idem lac bubulum tepidum incoctum subinde sumptum, exulceratum quoque stomachum sanabit. 32. Tradit Aetius, in biliosis defluxionibus lac bubulum, aut caprinum tepidum recens mulsum auxiliari hoc malô affectis. 33. Lac cum acidis vel acetosis edendum non esse svadent Medici, quoniam diuturni inde oriantur morbi. 34. Capitis ulcera manantia (teste Plinio) urina tauri efficaciter sanat. 35. Canum scabies sanatur sanguine bubulo recenti, iterúmque cùm inarescat illito, & postero die abluta cinere lixivio. 36. Sanguis taurinus authore Dioscoride discutit mollitque durities, cum polenta illitas. 37. Juxta Æsculapium, sanguis tauri serpentes necat, illitus verò maculas de facie tollit. 38. Fimus taurinus tumores & durities solvit, ut prodit Æsculapius. 39. Universim fimus bubulus apum vesparumvè morsus juvat, & lenit. 40. Omnes quoque tumores & obsessus calidos cum aceto impositum sedat, ut ait *Avicenna*. 41. Item cum melle, recentia vulnera non patitur intumescere, ut testatur Plinius. 42. Redactus in pulverem, & naribus inflatus sanguinis profluvium cohibet, ut tradit *Rhasis*. 43. Exsiccatus carbonibus impositus, si naribus hauriatur, medetur hemicraniæ, ut notat *Aldrovandus*. 44. Medetur quoque pulmoni, ejúsq; tabi, & similibus noxijs, ut observat Avicenna. 45. Archigenes apud Galenum fimum armentariæ bovis aridum, vinô coctum, ad stomachum apponi jubet, quibus bilem atram generantibus, stomachus inflatur. 46. Potum vel clystere infusum, ventri ob intestinorum ulcera fluenti salubrem esse *Rhasis* profitetur. 47. Contra colicam Marcellus præscribit hoc remedium: Fimum bubulum recens exprime per linteum mundum, & succum ejus in qualibet potione colicô da bibendum, statim subvenies. 48. Coxendicis cruciatus bubulum fimum calidum compescere, author est *Dioscorides*. 49. Suffitum ex fimo vituli arido, percussis à Scorpione prodesse asserit *Plinius*. 50. Cinerem ejusdem cum aceto verrucas tollere: cum oleo & gummi manu subactum, maculas in facie per æstivum solis ardorem inductas emendare, in vino decoctum intestinorum flatus discutere, & melancholicis remedio esse, asserit idem Plinius. 51. Articulorum attritis mederi fimum vituli qui nondum herbam gustavit: fimi item vitulini cinerem cum lilij bulbis decoctis addito melle modico, podagricis prodesse è mari-

bus

bus præcipuè vitulis testatur *Aldrovandus*. 52. Marcellus quoque statim subveniri scribit, si vitulinus fimus recens, articulis laborantibus illinatur. 53. Nullum autem ferè animal plura remedia morborum subministrat Medicis, quam vilissimum omnium asinus, ut testatur *Aldrovandus*. 54. Inter illa verò lac ejusdem præcipuum usum habet. Optimum autem erit si asina sit sana, bene nutrita, juvenis, & non longè à partu. 55. Plinius plurima ex hoc lacte remedia recenset: suspiriosis (inquit) ante omnia efficax est, stomachum exulceratum per se potum reficit, gargarizatur quoque faucibus exulceratis utilissimè, commendatur etiam ad tussim, extenuationem, sputum sanguinis, hydropem, & duritiem splenis: in febri etiam, sed quæ carent dolore capitis. 56. Ejusdem potus est utilis cæliacis, & dissentericis addito melle. Tenesmus tollitur eodem epoto. 57. Sunt inter exempla, qui lac asininum bibendo liberati sunt à podagra, aut eam prorsus evasêre. 58. Eodem lacte percussione laxatos dentes confirmari, certum est. 59. Archigenes, & Dioscorides omne lac incommodum esse calculosis pronunciant, præter asininum quod substantiâ tenuissimâ est, & facultatis facillimè dissolubilis. 60. Hoc eodem lacte venena extingui Plinius tradit, sed si recens sit. 61. Sunt qui tribus, vel quatuor guttis sanguinis asinini cum vino haustis, febres quotidianas sanari tradunt, sed Plinius id de sanguine aurium scribit. 62. Idem tradit sanguinem asini pulli ex vino, regio morbo mederi. 63. Adipem asini tradunt nonnulli teste Dioscoride cicatrices corporis concolores reddere. 64. Authore Plinio medulla ex ossibus asini, scabiem hominis tollit. 65. *Rhasis* verò hâc medullâ aut etiam sevo, eum qui comitialem morbum patitur, loco calido inungi jubet, auxiliúmque magnum pollicetur. 66. Fel asini traditur per se se aqua infractum maculas in facie tollere. 67. Legimus apud Plinium: carnes asini ex jure sumptas Phtysicis mederi. 68. Jecur etiam inassatum esu comitialibus prodest, sed jejunis edendum præcipitur. 69. Marcellus promittit, si lienosus de splene asini arefacto jejunus pauxillum manducet; ita potenter juvari, ut intra triduum utilitas remedij appareat. 70. Ungulæ quoque asini multiplicem usum in medicinis habent. 71. Sunt qui asserunt annulum ex istiusmodi animantis ungula, in qua nihil sit nigri, ab *epileptico* gestatum, prohibere ne concidat. 72. Marcellus promittit, capillos & barbam nasci, etiam glabro, si lichenam asini, hoc est, collectionem duram, quæ est circa crura ejus comburas, & teras, & pulverem illum ex oleo vetere imponas. 73. Urina asini ulceribus humidis proficua esse dicitur. 74. Plinius ait: fimi asinini cinerem ex vino cæliacis & dissentericis prodesse: Item asinæ fimum aridum naribus infrictum, sanguinem


sine intermissione fluentem sistere. 75. Ad morsus venenatos optimè auxiliatur (teste Aëtio) si statim post cucurbitas plagæ imponatur agnelli pellicula. 76. Marcellus Empiricus adversus canitiem hoc præscribit remedium : *Experieris verum remedium*, inquit, si agnum candidissimi capitis decoxeris, atque inde caput ejus, quem canum esse nolis, ungi præceperis. 77. Avicenna asserit, carnem arietis adustam conferre morsibus serpentum & scorpionum, & cum vino, canis rabiosi. 78. Idem scribit cinerem ejusdem mederi oculi albugini. 79. Rhasis, & Albertus testatur, oculos aquam patientes, inunctos ovis cerebro, juvari. 80. Decoctum pedum agnorum in vesicæ doloribus prodest, ut scribit Plinius. 81. Magna vis & pulmonibus arietum inest, nam ut Plinius testatur, excrescentes carnes in ulceribus, ad æqualitatem efficacissimè reducunt. 82. Livores & sugillationes, pulmo arietis concisus minutim, & impositus statim sanat, & nigras cicatrices ad candorem perducit, & pariter à calceamentis læsos pedes persanat. 83. Authore Æsculapio, liquor ille arietis, qui à pulmone decocto distillat, tertianas, & renum morbum in eis natum sanat. 84. Plinius, ovium jecur, oculis cruore suffusis, eximiè prodesse memorat. 85. Lien ovis tostus, & in vino tritus, potúsque, ilio resistit teste Plinio, qui etiam scribit tormina sanare similiter tostu: atque è vino potum. 86. Cinerem ex ossibus agnorum, ulceribus, quæ non trahunt cicatricem, mederi rectè scribit Marcellus. 87. Vesicam ovillam aut caprinam, ustam Galenus bibendam præbere jubet his, qui in somno urinam retinere non valent. 88. Sanguinis hædini recentis, antequam coaguletur unciam cum aceto mixtam, & triduo potam vomitui sanguinis conferre, & similiter sanguinem agni, author est Avicenna. 89. Idem sanguinem agni cum vino Epilepsiam sanare asserit. 90. Testatur Haly : Fel arietis aurium dolori mederi, qui est ex frigiditate. 91. Rhasis, cinerem sive carnis corrosionem, si felle ovis inungatur, manifestè juvari, profitetur. 92. Contra venena omnia lac ovium calidum valet. 93. Marcellus ait, lac ovile, quod candentibus glareæ lapidibus in ipsum lac demersis excoquitur, dissenterico potui; ipsis lapidibus datum efficaciter prodesse. 94. Vetustus caseus ovium in cibo sumptus, vel rasus, & cum vino potus cæliaco medetur, ut scribit idem Marcellus. 95. Coagulum agninum Plinius, adversus omnia mala medicamenta scribit, & contra omnia venena pollere. 96. Sevum agninum decoctum ex vino austero, dissentericos recreat, & ilio ac tussi veteri medetur. 97. Albertus magnus urinam ovis perutilem ait esse hydropi, sed præcipuè, si in melle fuerit mixta. Idem tradit Rhasis de fimo ovillo. 98. Albertus, & Rhasis tradunt : Fimus, inquiunt, ovillus cum aceto illitus, verrucas

eucas tollit, & variolas quæ nominantur afflatæ. 99. Plinius contra omnium phalangiorum morsus remedio esse ait ovini fimi cinerem ex aceto. 100. Si splen exterius inungatur ovillo fimo usto, imminui excrementum ejus, author Rhasis est (sed Albertus addit ex aceto.) 101. Sextus peculiariter lanam arietis nigram intinctam in aqua, deinde in oleo, suppositam locis malè affectis, dolorem tollere asserit. 102. Cinis crematarum lanarum, ex sententia Dioscoridis, crassas obducit, & excrescentias in carne cohibet, & ulcera ad cicatrices perducit. 103. Marcellus lanam oviculæ inter femora, velli, & comburri jubet, & in aceto intingi, & super tempora caput dolentis ligari. 104. Succidæ lanæ, inquit Dioscorides, molles, & de collo femoribúsque laudatissimæ habentur: subveniunt enim inter initium vulneribus percussione lividis, ossibus fractis, aceto, oleo, aut vino imbutæ, capitis quoque, stomachi, aliarúmque partium doloribus cum aceto rosaceo efficaciter imponuntur. 105. Plinius sanguinem in naribus sisti ait lanâ succidâ ovium, cum oleo rosaceo, & alio modo sæpiùs auribus indita. 106. Galenus lanam succidam linteolis illigatam jubet torreri, adjectâ dein tertiâ salis portione, teri omnia simul, & perfricari hoc pulvere dentes, atque ita à dolore præservari. 107. Eadem sulphure, oleo, aceto, pice liquidâ ferventibus tincta, & quàm calidissima composita bis de die, lumborum dolores sanat. 108. Oesipus ovium (hoc est sordes lanis inhærentes) juxta Plinium, vulneribus medetur cum hordei cinere, ærugine æquis partibus, ad carcinomata quoque sananda valet: erodit & ulcerum margines, carnésque excrescentes ad æqualitatem redigit: tradunt & comitialibus morbis utile esse. 109. Plinius scribit carnes caprarum decoctas aquâ, apostemata in quacunque parte corporis discutere. 110. Sanguis caprinus & hircinus, ut Galenus & Dioscorides tradunt, contra toxicum utiliter bibitur, hic verò cum vino bibendum monet. 111. Idem dioscorides: asserit sanguinem hircinum, vel caprinum, intestinorum tormina, alvi fluores sistere, si frixus in sartagine statim sumatur. 112. Plinius caprinum sanguinem cum medulla hidropibus auxiliari tradit. 113. *Sextus* caprinum sanguinem cum polenta mixtum, & ventri suppositum, torminosos sanare scribit. 114. Marcellus omnem lepram eodem illitô emendari promittit. 115. Idem jubet pilos oculis molestos abradi diligentissimè, & vulneris loca eorum sanguine hircino illini. 116. Avicenna, & alij hoc sanguine poto lapidem renum frangi testantur. 117. Id verò quod antiqui quasi pro comperto habebant: Adamantem nec ferrô, nec igne solvi posse, nec ullâ aliâ vi, quàm hircino sanguine recenti & calido, gemmarij moderni falsum, & ridiculum esse existimant. 118. Notat etiam Aldrovandus, & ante

ipsum idem observavit Malthiolus, in omnibus ferè Pharmacopolis, loco sanguinis Draconis vendi rem fictitiam, ex resina, sanguine hirci, sorbis aridis, & alijs permixtis. 119. Adeps caprarum, vel hircorum si commisceatur cum calce, strumas dissolvit, teste Plinio & Marcello. 120. Æsculapius adipem caprinum cum rosis mixtum tollere tinnitum, & auribus instillatum surdos sanare credit, omníque morsui & læsioni subvenire scribit. 121. Dioscorides jus decocti caprini adipis, phtysicis, in sorbitionibus prodesse asserit. 122. Medulla caprina quartô locô, post cervinam, vitulinam, & taurinam in medicinis à Dioscoride laudatur, & hanc cum sanguine caprino decoctam, contra toxica & venena utiliter sumi ait, idémq; remedium dissentericis, & hydropicis prodesse. 123. Ad canis rabidi morsum laudatur hirci jecur, & calidum illitum lepras tollit. 124. Fel caprinum strumas tollere, & ad incipientes strumas optimè facere tradit Marcellus. 125. Æsculapius capræ cerebrum cum melle carbunculos in ventre sanare vult, & Sextus, aquâ quæ è capræ palato effunditur, & quidquid comedit si misceatur cum melle & sale, & ex eo caput & corpus fricetur, pediculos extinguere promittit. 126. Pili caprini usti, fluxus omnes sanant, ut docet Æsculapius. 127. Ijdem pili combusti adjectâ pice & acetô, inserti naribus, sanguinem citò sistunt. 128. Sextus verò eodem modo in naribus oppositos lethargicos excitare asserit. 129. Plinius insuper asserit: eosdem calculos expellere, & rursus, accensis ijsdem fugari serpentes, cinerémque eorum potum, vel illitum contra ictus valere. 130. Caprini cornu cinis, magísque hircini, additô nitrô & thamaricis semine, & butyrô oleóque, priùs tamen capite raso, fluentem capillum continent. 131. Avicenna ait: cornu capræ ad albedinem ustum, dentes egregiè abstergere, & gingivas corroborare, carúmque turgentium dolorem reprimere. 132. Lac caprinum utile est delicatis corporibus, quæ nauseabunda remedia abhorrent. 133. Lac caprinum juxta Plinium, contra catharidas remediô est. Idem alibi ait: lactis caprini haustus cum una mensura, contra ictus serpentium valet: adhibetur etiam contra febres quartanas à medicis. 134. *Sextus* dentes mobiles sæpiùs caprino lacte colluendos esse svadet. 135. Potus caprini lactis, pruriginem & morsus sanat juxta Æsculapium: eodem lendes interimi refert Plinius. 136. Datur prætereà lac caprinum melancholicis, comitiali morbo laborantibus, phtysicis, paraliticis, hecticis. 137. Prodest etiam intestinorum vitijs, dissentericis, lienosis. 138. Caseum caprinum impositum, omnes punctiones & dolores reprimere, tenet Æsculapius. 139. Fimus caprinus decoctus (teste Dioscoride) in aceto, utiliter imponitur morsibus serpentium, cum vino verò morsibus vipe-

vipe-

viperarum. 140. Ad induratos lienis tumores Medici non pauci caprinum etiam fimum applicant. 141. Hircus passim alitur, & intertenetur domi tempore pestis, & contagiosi aëris malignitatem repellit. Atque hactenus dicta de Philosophica Alodiatura, pro nunc sufficiant, restarent adhuc dicenda plurima, de quibus tamen agendi occasio erit Dissertatione subsequenti, & jam non pauca, ad hanc materiam spectantia, allata sunt varijs curiosis observationibus, Decadis primæ miscellaneorum, parte secundâ à paragrapho primo, usque ad decimum.



DISSERTATIO VIII.

OECONOMIA PHILOSOPHICA.

SEU

DISSERTATIO PHYSICA CURIOSA

DE NOXIJS ANIMALIBUS OECONOMIÆ.

PRæcedenti Dissertatione egimus, de Natura, & proprietatibus Animalium quadrupedum, quæ sunt pro commodo, & utilitate Oeconomiæ, & Alodiaturæ. Præsentem verò Dissertationem instituemus: de Natura, & proprietatibus, eorum animalium, quæ eidem solent esse noxia, ac proinde quæ ab illa sunt arcenda, & eliminanda. Porrò hæc, vel sunt quadrupedia, & perfecta animalia, vel imperfecta seu insecta.

§ I.

De Putorio, & Mustella.

1. PUtorius, à halitu sic dictus, quem putidum semper emittit. 2. Corpore est marti similis, sed major, & viliorum pilorum. 3. Incolit

colit horrea, & stabula, ac sylvas, & ripas. 4. Victitat muribus, avibus & maximè gallinis, quibus semper insidiatur, ijsdémque capita auferre solet. 5. Est animal semiferum, hoc est mediæ naturæ, inter fera, & mansveta, potéstque mansvefieri, & cicurari. *Mustella* verò vulgaris, seu domestica, (de sylvestri enim in venatione philosophica mentionem fecimus) 1. In lateribus, & dorso, rarò subflava, circa guttur autem semper alba. 2. Corpus eidem est tenue, cauda brevis dentes minores, quàm muribus. 3. Vescitur quidem muribus, & talpis, insidiatur quoque vespertilionibus, & serpentibus: atque quoad hoc, utile est animal alodiaturæ; sed vicissim est eidem ex ea parte noxium, quòd in columbarijs soleat ova columbarum exsorbere: & si in rabiem concitetur, halitu suò pullos gallinarum interimere, & tunc morsus quoque illius est venenatus, ideò & vaccarum ubera, si tunc attigerit: inflammatione eadem corripiuntur. 4. Facilè cicuratur, maximè si dentes illius alliô affricentur. 5. Mustella, & cornix hostes sunt ad invicem, eò quòd mustella ova cornicis devoret. 6. Adversatur etiam serpentibus, cum ijsdémque pugnat, hos tamen non aggreditur, nisi ramô vel foliô rutæ, quasi antidotô contra serpentum venena se muniat, hâc destituta mustella à serpente perimitur. 7. Habitat in cavernis, petrarum fissuris, fœnilibus, & stabulis. 8. Fimus mustellarum si eæ per agros, & sylvas liberè vitam agant, moschum redolere dicitur. 9. Mustella sæpè catulos suos ore recipit, & recondit, ita ut non appareant, eósque ex uno loco ad alium translatos deponit. 10. In terris frigidissimis mustellæ, præsertim sylvestres, pilos nitidissimos habent: & tunc Armelini vocantur, quo tempore vel maximè earum pelles in subductura vestimentorum usum veniunt. 11. Gallinæ auditâ voce mustellæ ferè exanimantur. Habent verò acutam vocem, quâ & alijs animantibus, metum, & terrorem injiciunt.

§ II.

De Talpa, & Sorice.

1. TAlpæ carent visu. 2. Domicilia sibi parant sub terra: unde evertentes terram in pratis, & hortis, non leve incommodum inferunt alodiaturæ. 3. Sorex, qui aliàs etiam cuniculus, & curculio, & gurgulio dicitur, valdè nocivum animal est alodiaturæ, nam multiplicati hi curculiones, ingentem vastitatem per campos in grano frumenti faciunt, comportando magnam illius copiam in profundissima sua foramina,

& habitacula. 4. Communi tamen nomine ſoricis, glys domeſticus nuncupatur, de quo paragrapho ſequenti.

§ III.

De Muribus, & Gliribus.

1. MUres, & Glires quantum detrimentum Alodiaturæ adferant, vix eſt explicabile. corrodunt ſiquidem non tantùm jam depoſitum granum, ſed & cuncta comeſtibilia, eáque fœdè inficiunt. 2. Generatio autem murium eſt admirabilis, tum ex multitudine, tum ex celeritate, quâ generantur. Nam ut Ariſtoteles ſcribit lib. 6. Hiſtor. animal. cap. 37. aliquando cùm mus fæmina clauſa fuiſſet in vaſe millij, inventa eſt peperiſſe mures centum viginti. 3. Aſſerit idem Ariſtot. loco citato. In quadam regione Perſiæ, mure fæminâ reſciſsâ, in utero illius inventas fuiſſe mures fæminas jam prægnantes. 4. Hinc aliqui opinantur, mures lambentes ſalem ſine coitu fœtum concipere. 5. Multis etiam in agris, tanta repentè emergit murium copia ac multitudo, ut omnes ſegetes conſumant. Sed eâdem celeritate, quâ naſcuntur pereunt, præſertim copioſis imbribus. 6. Aliquando etiam ex nubibus depluunt mures, vel guttis delapſis in pulveres, efformantur repentè. *Sunt enim ex illo genere animalium, quæ non tantùm per generationem, ſed etiam ex putri naſcuntur.* 7. Plinius lib. 8. cap. 19. teſtatur, Varronem authorem eſſe, ex Lyaro Cycladum inſula, incolas à muribus fugatos eſſe. 8. Ælianus quoque lib. 17. cap. 38. tradit quoſdam populos Italiæ, ædibus ſuis fuiſſe incurſione murium depulſos. Mediam quoque regionem, ob multitudinem murium cultoribus fuiſſe deſtitutam. 9. Nemini autem debet eſſe dubium in pœnam ſcelerum à Deo ſubmitti ſubinde tantam multitudinem murium, ut accidit Azotijs, cùm ob Arcam fœderis, Dei iram experirentur, nati enim in eorum regione mures in tantam multitudinem excreverant, ut confuſio mortis ubique inter eos fuerit. 2. Reg. cap. 5. 10. Sunt verò etiam mures, pro diverſitate regionum miræ diverſitatis. Nam Ariſtot. lib. 8. hiſtor. animal. tradit Ægyptijs muribus durum eſſe pilum, non ſecus ac erinaceis. 11. Plinius autem ſcribit lib. 8. cap. 37. mures Ponticos omnes albos naſci. 12. Ælianus teſtatur lib. 15. cap. 26. Libicos mures erecto corpore incedere, & prioribus pedibus, tanquam manibus uti. 13. Ijdem mures Libici, ſi biberint, moriuntur. *Fortè quia in Africa major pars beſtiarum æſtate non bibit, imbrium inopiâ, ob hanc igitur cauſam mures Libici capti, ſi biberint, moriuntur, utpotè*

potè potui inasveti. 14. Mures domorum ruinas præsagiunt. *Ideóque ante ruinam alicujus domûs maturè ex eadem aliò migrant.* 15. In Insula *Arca*, uti & in Scotia non nascuntur mures, imò & aliundè allati moriuntur. 16. Murium maximi hostes sunt Feles, propter vehementem antipathiam, quam *à natura inditam sibi feles contra mures, sicut vicissim & canes adversùs feles habent*: è contrà verò feles admirabilem habent sympathiam, cum herba *valeriana*, & mentha cattaria, ad cujus præsentiam mirè gestiunt, & circumstantes tripudiant. 17. Habent & viperæ antipathiam contra mures, à quibus parvi vehementer appetuntur in victum, magni verò interimuntur.

§ IV.

De Insectis Alodiaturæ noxijs, in Genere.

1. INsecta Alodiaturæ noxia, aut saltèm incommoditatem eidem creantia sunt: Serpentes, Viperæ, Lacertæ, Bufones, Ranæ, Erucæ, Bruchi, Scarabæi, Vespæ, Locustæ, Cicadæ, Grili, Aranei, Formicæ, Vermes, Muscæ, Cincidulæ seu Noctilucæ, & id genus alia de quibus singulis singilatim agendum erit. 2. Vocantur autem hæc animalia ex eo insecta, quòd habeant corpora in parte supina, vel etiam prona quibusdam incisuris distincta. 3. Atque hæc insecta constituunt quartum genus Exanguium, sub quo continentur aliæ species, partim nominatæ, partim innominatæ. 4. Exanguia verò Animalia vocantur ea, quæ carent sanguine. Quorum quatuor sunt genera. In primo genere continentur animalia, quæ vocantur mollia. In secundo animalia crustatia. In tertio animalia testacea. In quarto denique insecta, de quibus in præsenti sermo est. 5. Ex insectis quædam sunt alata ut v. gr scarabæi, quædam carent alis, ut vermes, quædam sunt generis anticipis ut formicæ, ex quibus aliæ sunt alatæ, aliæ alis carent. 6. Conveniunt autem omnia insecta in hoc, quòd habeant tres præcipuas partes, nempè: caput, ventrem, & quod inter caput & ventrem interjacet, quæ pars correspondet pectori ac dorso cæterorum animalium. 7. Conveniunt etiam insecta in hoc, quòd divisa vivant, exceptis aliquibus, *quæ ex natura sua sunt valdè frigida, vel propter suam exiguitatem si dividantur statim refrigerantur, & intereunt.* 8. Licèt insecta divisa vivant, id tamen non est intelligendum de quacunque parte seorsim sumpta: *Quia licèt cum parte media vivat, tum caput, tum venter, at si caput separetur, à media parte, seu pectore, non vivit, & multò minùs venter.*

ter. 9. Ex insectis illa divisa vivunt, quæ corpore longo, & pedibus multis sunt prædita. *Atque eorum pars, quæ fuerit abscissa, potest se movere, versùs utramque partem, hoc est vel versùs caput, vel versùs caudam.* 10. Insecta tamen sic divisa, non diù vivunt. *Quia per divisionem læsa sunt instrumenta conservantia naturam.* 11. Omnia insecta omnibus sensibus sunt prædita: *Siquidem vident, odorantur, gustant, audiunt, & sentiunt.* Et verò quòd omnia insecta videant, patet per se, quòd verò odorentur, ex eo deducitur: quia sive sint alata sive careant alis, à longè escam discernunt: Sic enim apes succum melleum, & herbas ac flores, & muscæ ipsum mel, vel aliquam aliam escam dulcem à longè etiam percipiunt: rursus plura ex his animantibus sulphuris halitu intereunt, ergo odorem sulphuris percipiunt: Formicæ quoque si ipsarum sedes, & nidi aspergantur pulvere sulphuris, & origani, protinus ex ijs migrant aliò: plurima inter insecta fugiunt suffitum ex storace, & cornibus cervinis: ergo odorem dictarum rerum percipiunt. Deinde diversa insecta diversis saporibus delectantur, sic ex. gr. apes advolant ad sola dulcia, culices ad acida, scarabæi ad sordes. Sed non possunt delectari saporibus nisi habeant sensum gustûs, ergo habent sensum gustûs. De tactu autem non est difficultas, hic enim communis est omnibus animantibus: auditus etiam ijs convenit, sic enim apes ad sonitum æris sua examina componunt, serpentes ad sonitum incedentium illicò fugiunt. Ergo insecta omnibus quinque sensibus sunt prædita. 12. Insecta cùm careant pulmone, non respirant. *Et ideò aliqua ex ijs in terra vivunt & cibum in terra quærunt.* 13. Hinc insecta veram vocem non edunt. *Quia animalia quæ non respirant, carent pulmone, & gutture quæ sunt instrumenta respirandi, adeóque carent verâ voce, quæ efficitur per respirationem in gutture.* 14. Nihilominùs licèt insecta non habeant veram vocem, adhuc tamen quædam edunt, quosdam sonos, ut ex. gr. grilli, & cicadæ. *Verùm hi soni non efficiuntur ex aëre externo, siquidem cùm non respirent, non attrahunt aërem externum: sed formant hos sonos ex aëre seu spiritu interno illis innato.* 15. Rursus per hunc sonum editum ex attritione aëris, & spiritu interno, quædam insecta dicuntur bombilare, ut apes, & alia alata, quæ dicuntur canere, ut cicadæ. 16. Porrò modus, quô insecta edunt hunc sonum fit atterendo aërem internum, qui est, inter membranam constitutam, ad illam incisuram, quæ vocari potest *septum transversum. Patet id maximè in cicadarum diverso genere, sic & grilli membris suis saltatorijs, movendo eandem membranam, & atterendo inclusum aërem edunt sonum multis molestum, & ingratissimum: muscæ quoque, & apes aliavè hujusmodi, dum volando mem-*

branam illam attollunt, ac deprimunt, edunt suum murmur ac bombum. 17. Insecta aliquando dormiunt. *Patet id præsertim in apibus, quæ noctu, ita in suis alvearibus quiescunt, ac conticescunt, ut nulla omninò bombilatio audiatur.* 18. Insecta dentibus prædita, sunt omnivora, & quæ carent dentibus aluntur solo liquore, quem exsugunt. 19. Ex his verò secundi generis, quædam sugunt liquorem ex omnibus rebus, ut muscæ, quædam hauriunt sanguinem, ut culices, quædam sugunt solùm liquores herbarum & plantarum; sola apis ex nulla re putrida succum haurit, nec vescitur alio cibo quàm dulci, & aquas etiam limpidissimas ac svavissimas potat. 20. Pleraque insecta, & maximè vermes plures pedes habent, quàm quatuor. *Quia insecta talia cùm sunt exanguia, sunt valdè frigida, adeóque admodùm tarda, ergò natura talibus insectis debuit dare multos pedes.* 21. Longiora autem insecta longè plures habent pedes. *Quia multitudo pedum debet proportionari, longitudini, & frigori corporis, ergo cùm talia insecta excedant alia insecta longitudine, & frigiditate, debent etiam excedere numerô pedum alia insecta.* 22. Insecta quæ habent pauciores pedes, alis sunt prædita. *Ut nimirum alæ compensent paucitatem pedum.* 23. Ex insectis alatis, alia habent quatuor alas, & tamen levius corpus, ut sunt apes ac cætera hujusmodi; *Quæ scilicet pabuli gratiâ longiùs vagari coguntur.* 24. Quædam verò vicissim, etsi levi, & exiguo prorsus sint corpore prædita, duas tamen habent alas, ut est genus muscarum. *Quia pabuli gratiâ de vicino loco ad vicinum locum transeunt, imò permodestè ab uno repulsæ, ad eundem redeunt, ergo natura satis illis providit, dando eisdem duas alas.* 25. Genus quoque scarabæorum (ad quod revocantur etiam bruchi) quatuor quoque habet alas, non secus ac apes, *Cum hac tamen differentia, quod hoc genus insectorum habeat, alas vaginâ absconditas. Quia cùm horum insectorum aliæ alæ binæ sint tenuissimæ, ideóque facilè frangibiles, debuerunt simili vaginâ muniri.* 26. Ex insectis quædam os habent extra linguam, vel aliquid proportionatum, quô sapores gustant, ut formicæ: alia loco linguæ gerunt, quemdan aculeum fungosum, & cavum; & quædam, veluti proboscidem, ut culices, muscæ, & apes, ut eo alimentum possint gustare, & gustando attrahere.

§ V.

De Generatione Insectorum.

1. CIrca generationem insectorum eorum, quæ non per coitum, sed ex putri nascuntur solum, non parva est difficultas. *Horum enim*

enim efficiens causa non tam facilè assignari potest. 2. Sunt qui cœlum hujusmodi generationum causam dicant. *Ast non apparet modus, quô non vivens, viventem substantiam producere queat.* 3. Sunt, qui ad intelligentiam seu animam mundi quandam universalem seu Archæum recurrunt; *Sed id pro fabula habendum est, nullus siquidem datur talis Archæus.* 4. Alij volunt esse ipsa accidentia, & dispositiones in materia apta, eorundem efficientem esse causam. *Ast quo modo hæc producent substantiam cùm eam nullô modô in se contineant. Nemo autem id dat, quod non habet.* 5. Alij ad ipsam putrem materiam eorum efficientiam referunt, *Sed inanimatum, quomodo producet animatum? præterquam quòd putris materia, sit eorum causa materialis, igitur rationem causæ efficientis habere non potest.* 6. Alij dicunt causam eorum efficientem ipsum Deum immediatè. *Qui quidem potest esse causa efficiens etiam se solo, sine coëfficientia alterius causæ creatæ, omnium rerum, si tamen potest assignari causa alia creata efficiens illorum, & naturalis, non est refugiendum ad miracula, vel ad immediatam ejusdem causalitatem, & efficientiam.* 7. Igitur quidam Neotericus ingeniosior, explicat generationem horum insectorum, ponendo pro principio hujus generationis, aliquod primordium ac rudimentum, ac veluti semen eorundem, ex quo dein accedentibus dispositionibus, (ut est humiditas, calor, & reliqua similia illorum naturæ convenientia) facilè sequatur eorundem generatio: *Non secus ac ex semine, planta, ex ovo generatur pullus.* 8. Unde generatio cujuscunque insecti, fit ex semine aliquo ejusdem speciei insecti: *Idque per analogiam generationis omnium aliarum rerum.* 9. Consequenter autem explicat in primis, quomodo ex vivis corporibus fiat talium animalculorum generatio. *Ait enim ex vitiatis humoribus animalis, vel ipsis partibus animalis corruptis, & tabô manantibus, vel humoribus, ab animali ipso produci hoc germen seu primordium futuri fœtûs, & sic insectum v. gr. pediculum animalis nasci.* 10. Explicat dein quomodo insecta v. gr. scarabæus, ex equinis, & culices ac muscæ ex aliorum animalium viventium nascantur excrementis. *Ait námque in illa massa fimi latere illa primordia semina, quæ deinde vi caloris, & aliarum dispositionum, abeant in insecta.* 11. Explicat tertiò quomodo ex cadaveribus animalium generentur hæc animalcula, v. gr. ex cadavere juvenci apes, ex cadavere asini fuci, ex muli cadavere crabrones, ex equi cadavere vespæ. *Nempè quia cadaveri insunt prædicta primordia, unde ubi dein putrescit cadaver, accedentibus alijs dispositionibus, oriuntur prædicta insecta, varia scilicet ex varijs.* 12. Explicat demùm quomodo similia animalcula generentur ex plantis. Nullum enim est plantæ, fructûs, seminis, ligni, succíque, ex omni vegetabili

tabili expressi genus, ex quo aliquis vermis vel aliud animalculum non generetur, *ex præcontento in illis simili primordio*. 13. Et quidem quia nonnunquam hujusmodi vermium vel animalculorum semina seu primordia, cum rore, vel pluvia, aut alio quovis modo fructibus insident, ibique formata intro subeant, nulla est generationis hujus explicandæ difficultas. 14. Sæpissimè autem ipsi plantæ hæc animalcula innascuntur. Imò nullus ferè est fructus, qui singularem vermem non nutriat, & ut vermes, fructus, & semina, ita folia, suas erucas nutriunt, & innascentes habent. 15. Horum igitur insectorum generatio est talis: cùm omnes plantæ habeant fibrarum plexum, & suam animam textricem, fibræ teneriores in ea rudimenta terminantur, & in ijs quasi excrementitijs partibus, ponuntur hæc primordia vermium, ex quibus deinde accedentibus dispositionibus vermis aut eruca fiat. 16. Ex vino, & alijs succis vegetabilis generis ac etiam aquæ, culices, & alia animalcula generantur eadem ratione: *Quia videlicet vino, aquæ, succo, aceto, imò ceræ, & oleo insunt hujusmodi primordia, ex quibus ubi ea maturuerint, evolant vel prodeunt dicta animalcula. Quin etiam insunt lignis aridis, putridis, excrementísque lignorum, ex quibus deinde vermes generantur.* 17. Verùm licet hæc rationabiliter dici possint, superit adhuc quæstio quænam sit causa efficiens animæ viventis, & sentientis illius insecti, quod oritur ex tali primordio? Respondeo & suppono quòd maneamus in eadem quæstione: Quomodo scilicet generentur insecta, quæ præcisè ex putri generantur? Nam de ijs primordijs, seu ovis & seminibus, quæ ponuntur ab ipsis insectis, vel alibi posita, quâcunque tandem ratione deportentur, & adveniant, non est difficultas, cùm hæc ipsa semina virtualiter vitam habeant, non secus ac in semine vivat planta, & pullus in ovo, sed neque est difficultas quomodo generentur à vivente animali; hoc enim cùm vivat, potest tale primordium producere, quod virtualiter in se contineat insectum vivens. Imò nec quomodo generentur ex cadaveribus, & excrementis animalium, cùm enim hæc primordia inerant viventibus animalibus, etiam posteà inerunt eorundem cadaveribus, excrementis, & quidem cum melioribus dispositionibus in ordine ad generationem insectorum. Ubi igitur aliquo ratiocinio ostendi possunt adesse vel adfuisse talia primordia, dicendum est illa esse principia effectiva insectorum; si autem nullum planè similium primordiorum extaret indicium: neque illud ratiocinando adstrui posset, recurrendum esset ad Deum tanquam causam universalem, tunc enim non fieret hic recursus ad Deum, sine necessitate, uti fieret in prioribus casibus.

§ VI.

§ VI.

De Mutationibus Insectorum, quæ accidere solent in eorum Generationibus.

1. OMnis generatio Insectorum, ternâ, & quandóque quaternâ mutatione perficitur. Primò enim primordium ponitur ab alio simili insecto, vel ab ipso vivente animali cui inest, vel casu aliquo defertur; ex hoc dein fit exiguus vermiculus, ex vermiculo dein insectum aliquomodo imperfectum, ex hoc demùm fit chrysolides sive aureola, ac demùm perfectum insectum. 2. Sic in exemplo erucæ, eruca ponit ovum, seu semen sui generis, quod nos primordium vocamus, ex hoc nascitur vermiculus, ex vermiculo excrescit eruca: ex eruca fit chrysolides sive aureola (quo tempore nec os, nec aliud membrum habet, sed manet immobilis suo putamine intecta) ex hac demùm papilio. Idem observare licet, vel maximè in bombyce, sicut & in muscis aliisque insectis. 3. Et ut maneamus in exemplo incepto erucæ (unde per analogiam de alijs quoque discurrere licebit) si quæras unde fit tam diversus color in erucis? Respondeo. Hanc diversitatem colorum desumi à diversitate alimentorum, & à diversa ejusdem concoctione, plurimùm ad id adjuvante diversitate graduum heterogenei, & homogenei, unde etiam diversus ortus, & apparentia colorum oritur. 4. Hinc etiam eadem eruca mutat sæpè colorem. Quia sæpiùs mutat etiam ipsam pellem, hæc enim cùm valde sit subtilis facilè arescit, eidémque alia succedit. 5. Undè quælibet ferè planta, suam erucam habet: Hinc eruca, quæ nutritur brassicâ, non potest nutriri rutâ, sic & bombix non nutritur nisi folijs rubi, & mori. 6. Unde papilio eâdem plantâ nutritur, quâ erucâ, ex qua factus est papilio, nutriebatur. 7. In papilione igitur ultima perfectio hujus animalis sistit. Atque papiliones sic formati rursus simul coëunt, & ova ponunt, ex quibus deinde aliæ iterùm erucæ oriuntur. 8. Atque sic omnia ferè insecta sponte nascentia, sive ex plantis, sive ex animalibus per coitum posteà generant alia sibi similia insecta. 9. In calidis Regionibus sunt majora insecta. *Quia cùm sint naturâ frigida, calore externo adjuvantur, ut in molem procedant.* 10. Insecta horrent ignem. *Quia sunt veneno plena, quod igni maximè adversatur.* 11. Ante imminentem pestem, insecta numerosiora prodeunt. *Quia tunc est major copia putredinum, insecta autem ut plurimùm, ex putredine prodeunt.* 12. Nullum tamen est insectum, quod in utilitatem converti non possit.

Orvie-

Orvietamum fit ex scorpionibus, Theriaca ex viperis : rubutæ seu bufones, ulceri pestifero prosunt, dum siccatæ ijsdem applicantur. Atque sic de cæteris. Sed jam de Insectis in particulari, alodiaturæ noxijs aliquid dicamus.

§ VII.

De Serpentibus.

1. LIcèt Serpentes sint insecta, & insecta sint exanguia, Aristoteles tamen serpentes ad animantia, sanguine prædita refert. *Participant siquidem naturam animantium, tam terrestrium quàm aquatilium, maximè tamen ex parte sunt terrestres, estò dentur aquatici, qui dicuntur angues.* 2. Serpentes non pariunt animal, sed ova, eáque inter se connexa. *Quæ postquàm pepererint, ea in fossam deponunt, atque ibi fovent, & non nisi sequenti anno excludunt.* 3. Omnes serpentes, serratis sunt præditi dentibus. *Hoc est talibus, ut superiores dentes, inferioribus inserantur.* 4. Tot costas habet, quot mensis habet dies hoc est triginta, *ut ex eorum anatomia constat.* 5. Quidam dicunt id serpentibus accidere, quod accidit pullis hirundinum, nimirum ut oculis erutis alij nascantur. *Quod quidem aliquam verisimilitudinem habet, illud certum esse asserit Arist. lib. 4. Histor. animal. cap. 15. Quòd si serpentibus cauda abscindatur, eadem rursus renascatur.* 6. Ex cadavere serpentum non nascuntur vermes ut testatur Cardanus. *Id si ita est in venenum serpentis rejici debet.* 7. At ex occiso per fulmen serpente, vermes prodire dicuntur. *Quia scilicet venenum igne fulmineo purgatum est.* 8. Serpens frigore torpet. *Quia ex se frigidus est, proindè modico accessu frigoris stringitur.* 9. Serpens mutat pellem, & veterem deponit. *Quia in serpente pellis utpotè valdè tenuis, & terrea per hyemem arescit, proindè accedens nova pellis in vere, conjungi veteri non potest, & ubi satis crevit, veterem depellit. Aristoteles tamen putat : bis in anno serpentes mutare pelles.* 10. Serpens sibillat. *Quia cùm irascitur, aërem, qui est circa diaphragma, incendit, & rarefacit, & per diaphragma emittit illum sibillum.* 11. Serpentes sunt animantes omnivoræ, & omnium animalium edacissimæ, nihilominùs modicissimo potu contentæ. *Habent siquidem pulmonem valdè fungosum, omnia autem animalia, quæ habent pulmonem valdè fungosum sunt parvo potu contenta : talem verò pulmonem habent omnia animalia, quæ parvo sanguine sunt prædita, & sunt ovipara, uti sunt serpentes.* 12. Serpens dum cibum sumit, eumque intra gulam dejicit, erectus in summo consistit, deinde se paulatim colligit & contrahit.

Nempè

Nempè ut cùm extensus fuerit, descendat id quod voravit, habet siquidem gulam longam, atque angustam. 13. Serpentes diù sine cibo possunt vivere. *Ut patet in ijs Serpentibus, quos circumferunt Medicamentarij, vel conservant Pharmacopolæ.* 14. Proprium serpentum est, præ alijs animalibus ejusdem generis quòd reliquo corpore quiescente, possint caput retrò convertere. *Quia serpens constat, structurâ volubili, & annulari, & habet vertebras cartilagineas ac flexibiles, & sic potest caput retrò reflectere, reliquô corpore quiescente.* 15. Serpentes moventur motu non rectô, sed flexô. *Quia cùm careant pedibus, & corpus habeant longissimum, motum progressivum facere non possunt, absque corporis inflexionibus*, ut ait Aristot. Tomo 4. de incessu animalium cap. 15. n. 16. 16. In Hibernia & Insula Melitensi, nulli serpentes inveniuntur. *Ex meritis scilicet S. Patritij & S. Pauli Apostoli.* 17. Verùm nec Gaulo Insula, nec Insula Ebus serpentum sunt feraces, imò si aliundè serpentes in eas inferantur, pereunt, & intereunt. *Hoc quidem proprietati terræ illarum Insularum adscribendum, quæ nulla patitur venenata animalia. Id autem, quod uni solo naturale est, alicui alteri solo Cœlitùs obtigisse, per merita alicujus Sancti, nihil à fide alienum est.* 18. Serpentes nascuntur etiam ex mortuorum hominum cadaveribus, quandóq; etiam è limo oriuntur. *Nascuntur siquidem serpentes etiam ex putri, semper tamen præsuppositô aliquô saltèm primordio seu semine.* 19. Aliquando etiam in solidissimorum lapidum meditullio inveniuntur. *Interclusô per accretionem lapidum, vel in lapidiscente terra, aliquô primordiô serpentum, ex quo dein generatur serpens.* 20. Porrò illud mirùm, quòd certos populos, uti sunt Ophiogenes, Psylli, & Marsi, non valeant serpentes lædere, *S. Augustin. lib.* 11. *de Genesi ad Literam cap.* 18. *dicit: in cantationibus ab ijs populis devinci serpentes, & diabolum aliquid in ea re operari: præter id quòd ijs Populis, ater quidam inditus est odor, quô quasi pestiferô, ipsi serpentes fugantur.* 21. Serpentum lingua est tenuis, longa & nigra, & cùm extrahitur, longiùs potest protrahi. 22. Dum serpentes exuunt suam senectutem, pellis illa antiqua incipit ab oculis detrahi. *Ideò imperitis tum serpentes videntur obcæcari.* 23. Deinde pellis detrahitur ex capite, quod tum videtur album, postmodum verò detrahitur à reliquo corpore. *Spaciô autem unius diei ac noctis, sic suam senectutem seu antiquam pellem exuunt, factô initiô à capite, & descendendo usque ad caudam.* 24. Ita autem pellem senectutis exuunt, ut ea pellis invertatur, ac pars pellis interior membranæ, evadat exterior. 25. Serpentes linguam habent bifidam, habent consequenter sensum gustûs, quasi duplicatum, *Et ideò sunt gulosissimi, atque avidissimi lambendi sapores.* 26. Aliquando visuntur ser-

pentes bicipites. *Quia cùm serpentes sint ovipari, & copiosa ponunt ova, fit ut ex confusione ovorum aliquando generentur serpentes bicipites, ut habet Aristot. lib. 4. de generatione Animal. cap. 4. num. 6.* 27. Serpentes non tam habent collum, quàm partem proportionatam collo. *Quia collum est pars illa, quæ intercipitur inter caput, & armos seu humeros. Ergò serpentes sicut non tam habent armos seu humeros, sic non tam habent collum, quàm partem aliquam proportionatam collô.* 28. Quæ de magnitudine serpentum aliquorum scribuntur, alijs mira videntur, quibusdam etiam incredibilia, ut quòd serpentes inveniantur 30. aut eò ampliùs imò & 200. pedum, aut 40. vel 50. cubitorum. *Id tamen Scriptores Rerum naturalium passim tradunt.* 29. Similiter & ea, quæ de illorum multitudine enarrantur. *Constat tamen tempore D. Gregorij Magni Pontificis, tantam multitudinem serpentum Tyberis exundatione in Mediterraneum devectam fuisse, & salsas aquas, maritimósque fluctus non ferentem, extinctam in littúsque repulsam, ut ex eorum putrefactione totus aër infectus fuerit, síc que gravissimam vicinis Regionibus luem intulerit.* 30. Plinius lib. 8. cap. 29. scribit: Amyllam Urbem multitudine serpentum deletam fuisse. Leander quoque meminit Incolas S. Viti in Gargano monte à serpentum multitudine aliò migrare adactos fuisse. 31. Sed & circa Thessaliam ob serpentum multitudinem, Colonos migrare opporteret, tradit Aristot. de Admir. cap. 2. nisi illi à Ciconijs interimerentur. 32. Serpens totum corpus contemnit, ut caput servet. *Quia licèt corpus percutiatur, si caput illæsum servare poterit damna mortis non patitur.* 33. Serpentes, lactis sunt avidissimi; *Hinc fit, ut serpens oblatô lacte egrediatur à corpore in quod subintraverat.* 34. *Mercurialis* ait serpentes nimium delectari vinô. *Quamobrem monet cavendum esse ne hujusmodi animantes ingrediantur vasa, in quibus vinum servatur, quia & illud bibunt, & aliud venenant.* 35. Nonnullæ nationes serpentes, in lautitijs epularum habent. *Imò in Insula Cuba esus serpentum, ita suavis esse putatur, ut soli Reges & Magnates anguibus in instructa Epularum magnificentia utantur, ut scribit Ælianus.* Addit Aldrovandus etiam in Europa se novisse homines, qui serpentibus, capite, & caudâ abscissis, abjectisque, tanquam suavissimâ carne vituli, vescantur.

De Lacertis.

§ VIII.

1. LAcertæ sunt quidem ferè simile genus serpentibus. *Differunt tamen in eo, quòd serpentes sint longiores Lacertis, & quòd lacertæ sint*

sint quadrupedes, serpentes verò careant pedibus. 2. Aliquando lacertæ sunt bicipites, & serpentes bicaudati. *Quia cùm hæc insecta sæpè non ex semine vel ovis nascantur, sed prodeant ex putri, facilè aliqua pars putredinis adjungi poterit alicui parti, & in aliquod membrum formari.* 3. Lacertæ, uti serpentes abdunt se cavernis terreis. *Sunt siquidem animalia terrestria, adeóque amant sibi habitationem assymbolam.* 4. Lacertæ habent crura tum anteriora, tum posteriora flexa retrorsum. *Quia debent subire cavernas, quas aliàs commodè subire non possent.* 5. Lacertæ connivent palpebrâ inferiore. *Quod convenit etiam alijs animalibus squallentem cutem habentibus.* 6. Ova sua terræ committunt, uti serpentes. *Atque ex ijs postmodùm fœtus excluditur.* 7. Juxta opinionem Aristotelis non vivunt diù. *Nam ut docet lib. 5. Histor. animal. cap. 33. n. 3. non vivunt integro anno sed tantùm sex mensibus.* Ex his autem etiam quatuor circiter mensibus hyeme acriore latent in cavernis, & tunc nihil comedunt. 9. Sunt pariter uti serpentes omnivoræ, & similiter exuunt pelles. 10. Carent auriculis, *Sed harum loco, caverniculis, seu meatibus auditorijs sunt prædita.* 11. Pulmonem habent valde exiguum cuíque parum sanguinis inest, *sed aptum ad hoc, ut cùm spiritu inflatur tumescat.* 12. Pariter uti serpentibus, ita ijsdem cauda rescissa renascitur. *Verùm id mirandum magìs quod addit Ælianus. lib. 2. cap. 23. Quòd si utraque pars lacertæ (vel saltem viperæ) sic divisa, rursus conjungatur, coalescat, iterúmque integram lacertam constituat.* 13. Lacertis cùm senuerint obscurantur oculi, *quos proinde aliquamdiù matutino tempore ad solem per foramen dirigunt, quousque redeat prior oculorum vigor ac perspicacitas. Quod si verum est attribuenda est ijs longior vita, quàm Aristoteles ijsdem attribuit.* Lacertæ aliæ sunt terrestres, aliæ aquaticæ. Et hæ quidem sunt nigræ, alba puncta utrinque habentes, ac nonnullæ etiam virides. 15. Aquaticæ lacertæ si irâ incitatæ sunt rectis pedibus insistunt. *Aliàs tardum, & pigrum habent incessum.* 16. Alicubi in magnam molem excrescunt. Nam in Galliæ quibusdam partibus, catulorum canis magnitudine reperiri dicuntur. *In Indiæ autem Regione dicta* calent *longè adhuc majores: & in Arabia excedunt longitudinem cubitalem ut scribit Aristot. lib. 8. Hist. Animal. cap. 17. num. 4.* 17. Lacertæ habent pulmones, ac respirando aërem accipiunt ac reddunt, & habent testes intus latentes, & lumbis adhærentes locò renum, ita Arist. lib. 9. Histor. Animal. cap. 3. n. 3. 18. Teste Plinio lib. 10. cap. 65. Lacerta nullà prorsus pollet memoriâ. *Ideò non incubat oblita in quo loco ova sit enixa, per se igitur, ex depositis ovis erumpunt pulli lacertarum.* 19. Vincentius Natural. lib. 20. cap. 55. ait memoriam hanc labilem lacertarum efficere, ut res fixius admirantes spectent, *Pulchritudinem*

nem igitur hominis, cujus amantissimæ sunt, fixo intuitu contemplantur, nec facilè intuitum declinant, dum licet prospectare. 20. Confirmat hunc amorem lacertarum erga homines Aldrovandus in Histor. serpentum fol. 450. *Sed id intelligit potissimùm de lacerta viridi, dum asserit lacertam viridem si per anguem sive serpentem insidias homini dormienti adverterit strui, per collum, & faciem dormientis circumcursitare donec excitetur. Quare homo expergefactus conspectâ lacertâ, serpentem in insidijs morari conjectatur.*

§ IX.

De Viperis.

1. VIpera est etiam ex genere serpentum, & similis ferè lacertæ. *Differt tamen ab hac in multis, ut patebit in sequentibus.* 2. Ova viperæ sunt unius coloris, & mollia, non secus ac piscium continentúrque in superiore parte uteri. *Quod tamen lacertis non convenit,* 3. Vipera ova quæ in se concipit non deponit, ut lacerta, & serpentum aliud genus, sed cùm conceperit ovum, illud in se excludit, vivúmque parit animal. *Atque ob id habet uterum ab alijs serpentibus dissimilem, ac similem utero animalium cartilagineorum, ut habet Aristot. lib. 4. Histor. Animal. cap. 34. num.* 1. 4. Vipera parit parvas viperculas clausas quâdam membranâ, quibus tertio die disruptis, prodeunt viperculæ. 4. Aliquando autem parvulæ viperculæ disrupto matris utero, ac sic matre interfectâ prodeunt in lucem. *Quod fit à viperculis, quas vipera mater tardiùs parit, singulas sigillatim pariendo, ita ut aliquando sint* 20. 6. Estò autem & alij serpentes appetant vinum, vipera tamen præ cæteris illud videtur appetere. *Hinc ad viperas venandas, circa sepes propè quas morantur, testas vino repletas circumponunt, sícque postmodùm potu vini ebrias facilè capiunt.* 7. Morsus viperæ est perniciosior, postquàm devorat scorpionem, quem constat à vipera devorari, ut docet Aristot. lib. 8. Histor. Nat. cap. 29. n. 3. *Quia sic duplici armatur veneno.* 8, Cæteri serpentes se abscondunt intra terram, at viperæ se abscondunt sub saxis: exuit autem vipera pellem similiter, tam vere, quàm autumno. *Unde Aristot. eos arguit erroris, qui asseruerunt viperam, nunquam se pelle senectutis exuere.* 9. Vipera si momorderit hominem, tantâ siti æstuat, ut quàm celerrimè ad conquirendam aquam percurrat, quâ epotâ incolumis evadat, at si aquam non invenerit, illo ardore perimitur. Ut memorat S. Chrisostomus Hom. 3. in Matthæum, citatus à Majolo in Colloquio 8. dierum Canicularium. 10. Viperæ cantharidibus alun-

aluntur. *Unde Pharmacopolæ in vitreo vaſe diù vivas viperas conſervare volentes, cantharides ijſdem in cibum præbent.*

§ X.

De Ranis.

1. RAnæ habent linguam ſui generis propriam, nempè: *Quæ unâ parte adhæret inferiori parti oris, pars verò reliqua linguæ gutturi propinquior eſt applicata, atque hâc parte linguæ, formant ſibi propriam vocem, quæ dicitur coaxatio.* 2. Ranæ maximè noctu coaxant. *Tunc enim liberæ ſunt ab omni externo tumultu, & ſtrepitu, & earum oculi tantiſper interlucent inſtar lucernæ.* 3. Quando naſcitur magna ranarum copia, annus ſolet eſſe peſtilens. *Quia cùm ranæ ſunt humidiſſimæ, ſignum eſt quòd abundet humiditas putrefaciens.* 4. Ranas ex putri pulvereque ac imbre naſci, certum eſt frequentiſſimè. *Videre ſiquidem eſt non rarò decidentibus imbribus æſtivis in pulvereas arenas viarum, ranas repentè prodire, & necdum integrè efformatas, ſed parte alterâ adhuc terreâ conſtantes.* 5. Hoc autem contingit in decidente ranarum ſemine à ſole ad nubes attracto. *Nam ut alibi diximus: omne vivens naſcitur per naturalem propagationem, vel ex ſemine ſui aliquâ ſaltèm ratione, præſuppoſito.* 6. Ranæ non ſolùm ex pulvere, aquâ pluviali conſperſo naſcuntur, ſed cum pluvia ipſa, ſubinde ex nubibus deſcendunt. *Generatæ, nempè: ex ipſis nubibus ex putri materia, & ſemine ranarum pari ratione à ſole ad nubes attracto.* 7. A fortiori certum eſt rubetas ſeu bufones quoque ex terra putri naſci, ſemper tamen prævio ſemine. 8. Illud mirandum quod aſſerit Ælianus lib. 17. cap. 12. Quòd ſi rubeta ſeu bufo aliquem hominem fixo intuitu aſpiciat, ac ſuam exſpirationem in eundem exhalet, is continuo expalleſcat. *Verùm id venenoſæ illi exſpirationi eſt adſcribendum.* 9. Eſt & aliud genus rubetarum, quod *Calamitum* dicitur, cujus illud naturæ inditum eſt ingenium, ut pluvias præſignet. *Hoc enim genus rubetarum, latens inter arborum folia, canit vocaliter, cùm pluviarum ſe præbet prænuncium, eſtque coloris prorſus viridis.* 10. Addunt aliqui, quòd ſi hæc rana in os canis in maſſa permixta mittatur, latrandi vim canis omninò amittat; *Sed hoc inter fabulas cenſendum eſt.* 11. Plus autem probabilitatis habet id, quod tradit Albertus Magnus, quòd ſi ejuſdem Rubetæ oſſiculum dextri lateris, in vas aquâ fervens injiciatur, defervere eam facit, nec ultra fervebit, donec extrahatur. *Quamvis nec hoc ita certum eſt.* 12. In ali-

quibus locis, ranæ prorsus mutæ sunt. *Theophrastes id adscribit frigiditati aquarum illarum, in qua sunt dictæ ranæ: unde si inde alio in aquam tepidam transferantur sublatâ illâ frigiditate, canoræ fiunt.* 13. Illud etiam notabile est quod tradit Plinius lib. .cap. 5. Ranas scilicet semestri vitâ finitâ resolvi in limum, & rursus Vernis aquis renasci. *Ad occultas qualitates id refert Majolus, sed in promptu causa est: Omnes siquidem partes ranæ sunt seminales, quid igitur mirum, ex putridis ranis, iterum novas nasci, accedentibus dispositionibus, ex suo semine.* 14. Crura ranarum posteriora prioribus sunt longiora, & tam posteriores, quàm anteriores pedes membranis connexos habent. *Hinc saliunt potiùs, qua currant, vel gradiantur.* 15. Aureus orbis earum oculos circuit; nullibi enim nisi in oculis sanguinem habent. 16. Jecur geminum habent.

§ XI.

De Vespertilionibus.

1. VEspertiliones sunt animalia ambigua inter volucres, & animalia terrestria. *Nam vespertilio neque quadrupes animal est, quia volat continuò volatu more avium, nec avis, quia quadrupes est, & implumis, ore non rostro, sed dentibus firmato.* Habent præterea pedes secundùm quid similes avibus, & secundùm quid similes quadrupedibus. 2. Vespertiliones non possunt volatum dirigere sed huc illuc feruntur, prout sors tulerit. *Carent siquidem caudâ, quæ in avibus est id, quod est gubernaculum in navigio.* 3. Noctu, & vespere, ac ante auroram volitant. *Quia dubiâ luce meliùs vident, propter debilitatem enim visûs claram lucem ferre non valent.* 4. Vespertiliones non ova, sed pullos pariunt, lactéque eos nutriunt. *Sunt siquidem animalia ambigua.* 5. Alibi sunt longè nostratibus majores. *Nam in Arabia novi orbis Urbe, magnitudinem turturum æquant, ut scribit Petrus Martyr, & in Athlantico Monte sunt columbis majores, ut tradit Leontius. In Insula verò Messana, una ex Molucis Insulis, aquilas nostras magnitudine excedunt, ut testatur Pigafetta.* 6. Sunt autem his in Regionibus audacissimi: támque venenosum morsum habent, ut nisi protinus medela adhibeatur, confestim mors immineat. 7. Remedium autem adversus hos morsus est, ut ferventissimi cineres, quantum tolerari possunt, vulneri apponantur, vel aquâ fervidâ, locus præmorsus abluatur. *Nam sic illicò sanguis sistitur, quâ & vulnus curatur, frigidissimo veneno per intensum calorem expulso.* 8. Illud mirabiliùs est in his vespertilionibus, quòd

quem

quem ſemel momorderint, ab aliorum morſu prorſus abſtineant, ſed eundem rurſus, & non alios mordeant, & nova vulnera eidem infligant. 9. Deſerta ædificia, libenter incolunt, & invicem connexi, parietibus ſe affigunt. 10. Veſpertiliones ſunt animalia quodammodo mutia. *Quia pedes habent inutiles, non ſolùm ad progrediendum, ſed etiam ad ſtandum.* 11. Sanguis veſpertilionum pilos creſcere vetat, non ſecus, ac fimus formicarum, & cinis exuſtæ pennæ avium, quæ auræ dicuntur. 12. Veſpertiliones, cute non alis volant. *Carent ſiquidem propriè dictis alis; ſed illarum locò cutem ad inſtar alarum habent.* Nam ut Ariſtot. lib. 1. Hiſtor. cap. 5. tradit: volucrum, aliæ, pennâ volant, ut ex. gr. accipitres, aliæ membranâ ſiccâ, ut apes, & ſcarabæi, aliæ cute, ut veſpertilio.

§ XII.

De Veſpis, & Crabronibus.

1. VEſpæ, & Crabrones ab Ariſtotele ad genus Apum reducuntur; *Sunt ſiquidem apes, quædam degeneres, & imperfectæ.* 2. Crabrones, & veſpæ, dum habent ducem nidificant ſub terra, hoc autem amiſſo errant, palantes ac vagi, favóſque nidificant filijs ſuis; in foraminibus, vel etiam in aliquo loco ſublimi. 3. Sex angulares cellulas in ſuis favis conſtruunt uti apes. *Verùm non ex cera, ſed ex quadam materia corticea, & avenacea.* 4. Fœtus ſuos deponunt, in uno cellarum latere; *Ne in reliquis partibus impediantur in conficiendo favo.* Non in omnibus autem cellulis fœtus crabronum, & veſparum ſunt æquales. *Nam in quibuſdam ſunt tantùm magnitudinis unius guttæ, inſtar ſeminis, in aliquibus obducuntur membranâ, & licèt jam tunc vivant, manent tamen adhuc immobiles, in aliquibus ſunt fœtus jam inſtar vermiculorum, in quibuſdam demum fœtus adeò ſunt magni, & perfecti ut etiam avolare poſſint.* 6. Hæc tamen diverſitas provenit ex mutatione generationis, quæ in procreatione inſectorum intervenire ſolet uti § 6. hujus Diſſertationis in exemplo generationis Erucarum diximus. 7. In cellulis crabronum paratur proli, tantùm mellis, quanta eſt gutta, & tale mel conſtituitur ex parte adverſa illi lateri in quo eſt conſtituta proles. Et crabrones, & veſpæ fœtus ſuos edunt non Vere, ſed Autumno, qui fœtus potiſſimùm in plenilunijs creſcunt. 8. Veſpæ naſcuntur etiam ex cadavere equi. *Generantur ſiquidem non ex coitu tantùm, ſed etiam ex putri: uti & alia aliqua inſecta.* 9. Si dividatur crabro vel veſpa, adhuc nihilominùs, ſeorſim vivit caput, & ſeorſim corpus, ut habet Ariſtot. lib. 4. Animal. cap. 6. 10. Si veſpa perfundatur oleo, moritur,

ritur, aceto autem postmodùm perfusa reviviscit. 11. Adultiores vespæ ampliùs non laborant, sed à vespis operarijs aluntur, ut scribit Aristoteles lib. 9. Hist. animal. cap. 41. n. 3. 12. Ex vespis operarijs, aliæ carent aculeis, aliæ aculeô sunt præditæ. *Atque hæ sunt reliquis pugnaciores, & in universum similia insecta, quæ aculeum habent in alvo, sunt animosa, utpote bene armata.* 13. Duces vesparum sunt majores ac placidiores vespis operarijs. *Atque juxta Aristot. cùm vespæ operariæ, annum vivendo non compleant, Duces complent, & hyeme latent sub terra, & vere novas vespas edunt.* 14. Generatio vesparum, est quodammodo similis generationi apum. *Ita tamen ut illis desint multa admirabilia, quæ dantur in generatione apum, ut ait Aristot. lib. 3. de generatione Animal. cap. 13. n. 19.* 15. Vespæ solent nasci annis squallentibus ac siccis, & in locis asperis ac præruptis. *Hoc enim tempus, & hic locus naturæ illarum maximè convenit.* 16. Vesparum diversa sunt genera. *Aristot. tamen duorum meminit: unum ferum, quod rarum est, nascens in montibus, & pariens non sub terra, sed in quercu, specie grandius, porrectius, nigrius, robustius, magísque aculeatum, ictúque acerbius; aliud magis cicurum, quod inculta, sed nobis vicina loca incolit.* 17. Crabrones licèt in multis conveniant cum vespis: differunt tamen inter se: *Crabro enim multo major est, alvum etiam habet minùs gracilem, cujus pars ea, quæ cum tenui ligamento thoraci annectitur, latior est multò, quàm in vespis, itémque compactior.* 18. Crabrones inter, major est societas, quàm inter apes. *Apes siquidem nova examina, seu novam sobolem ad alias sedes quærendas cogunt; non item crabrones, sed qui subinde oriuntur novelli ibidem manent, & alveum terrâ egestâ faciunt ampliorem & capaciorem pro nova quoq; sobole.* 19. Crabrones non reponunt cibum more apum, sed hyeme latent, & magna ex parte moriuntur. 20. Crabrones non vescuntur floribus ut apes, sed carnibus, & in fimetis solent versari, ac ibi majores muscas venantur, quarum abscisso capite reliquum corpus secum auferunt.

§ XIII.

De Locustis.

1. LOcustæ sunt animalia crustata. *Crustata autem animalia illa dicuntur, quæ foris locò corij teguntur crustâ durâ, ac testaceâ, intra quam est pars corporis mollior & carnea, vel quasi carnea.* Locustæ sunt senis pedibus præditæ. *Connumeratis etiam pedibus forcipatis, quibus locò manuum utuntur.* 3. Locustæ habent caudas, & pennas utrinque quaternas.

nas. 4. Sunt duobus dentibus instructæ, in ore. Locò linguæ, quâ carent, habent fungosam proboscidem, quâ utuntur, ad sapores percipiendos. 5. Locustæ dum pariunt, multæ conveniunt in unum locum, atque in eodem deponunt fœtum, ita ut fiat quasi quidam favus. *Ex qua fœtura postmodùm oriuntur quidam veermiculi, habentes speciem ovi. qui vermiculi, terrâ quâdam pertenui, quasi quâdam membranulâ ambiuntur, eáque disruptâ emergunt, atque sic avolant.* 6. Non edunt fœtum in terræ superficie, sed paulò infra, pariunt autem sub finem veris. 7. Ex mente Aristot. Hist. Animal. cap. 28. Locustæ prolem enixæ, moriuntur. *Vermiculis circa collum innascentibus tempore partûs, qui eas strangulant.* 8. Locustæ ex fœtura relicta tempore veris, hyeméque exactâ sub initium alterius veris emergunt ex terra, sicque prodeunt locustæ initiô parvæ, & nigræ, quæ deinde disruptâ membranulâ, quâ involvuntur; statim crescunt, & majores efficiuntur. 9. Locustæ non generantur in locis montanis, & squallidis, sed solùm in locis planis ac rimosis. 10. Asserit Aristot. & confirmat Albertus Magnus, locustas fœminas, absque masculo etiam gignere. Idque Vincentius Histor. Natural. lib. 20. cap. 140. ait experientiâ comprobatum esse. 11. In maxima autem copia comparere solent. *Nam instar nubis volant, & ubi steterint, omnia gramina, fruges, ipsáque folia arborum consumunt.* 12. Potissimè autem proveniunt ex Africa, maréque transvolant. *Cujus rei rationem addit* Strabo lib. 17. Quòd ex diuturna Africæ siccitate, stagna exsiccentur, ex illisque locustæ, pro magnitudine stagnorum generentur. 13. Subinde, uti scribit S. Augustin. de Civitate Dei lib. 3. cap. 31. Ingens multitudo locustarum, post devastatas Regiones plurimas, ingentium instar imbrium, in mare fuit demersa, quibus mortuis, redditísque littoribus atq; corruptis, orta erat maxima pestilentia, ita ut in solo Regno *Massinissæ* in Africa octingenta millia hominum perijsse referantur, & multò ampliùs in terris, littoribus proximis. *Nec id mirum erat, cùm hæ bestiæ plenæ sint tabo, & sanie.* 14. Locustæ crura priora, & posteriora habent longiora medijs. *Ratio cur priora habeant crura longiora, est: ut his oculos possint defendere, protegere, & abstergere, & quæ in oculos incidunt, eadem amovere. Ratio autem cur posteriora habeant longiora medijs, est tum ut meliùs ambulent, tum ut ijs saliendo corpus à terra attollant, & faciliùs avolent.* 15. Author de Natura rerum, apud Aldrovandum lib 4. de Insectis cap. 1. locustæ formam sic describit: locusta inquit colore viridis est, caput habet formatum ut equus, os ad modum quadranguli, aculeum pro cauda, crura longiora, & ad seipsam reflexa, unicum intestinum sanie, & immunditiâ repletum. 16. Locustarum species sunt multifariæ. Aldrovandus citato lo-

co, in quatuor tabulas earum species, & figuras distribuit, & in prima ponit 6. in secunda 14. in tertia 4. in quarta 3. varias earundem formas. 17. Locustæ alarum operâ cùm volant, sonum edunt. *Membris scilicet saltatorijs, membranam quamdam movendo, & atterendo inclusum spiritum seu aërem.* 18. Locustæ duros habent oculos. *Nempè quia palpebris carent: quod enim alijs animantibus præstant palpebræ, id insectis præstat oculorum durities, ut docet Aristoteles.* 19. Admiranda est illarum in India magnitudo. Nam cùm nostrates exiguæ sint digito nunquam majores, in India sunt quaternorum cubitorum longitudinis, ut Plinius lib. 9. cap. 3. ac itidem lib. 11. cap. 29. ternorum pedum esse tradit, fœmoribúsque ac cruribus serarum usum præbentes, cùm exaruerint. 20. Locustæ mortuæ subinde revivi-scunt, vel saltèm ex putredine illarum novæ generantur. Nam teste Georgio Cedrino cùm aliquando ingens copia locustarum viventium in Hellespontum vento abjecta fuisset, atque inde in littus ejecta, altero dien anno examina locustarum inde rursus prodiêrunt, & omnia Helesponti loca devastârunt.

§ XIV.

De Bruchis.

1. Bruchi ova sua ponunt eodem modo, quô Locustæ. *Verùm hi ova sua ponunt in foraminibus subterraneis.* 2. Ex his ovis nascuntur novi bruchi, & alij, cùm pepererint, pereunt. 3. Dicta ova, si tempore Autumni multi imbres ingruant, corrumpuntur. *Et ideò talibus annis subsequente Vere, pauciores, aut nulli bruchi prodeunt.* 4. At verò sicciore Autumno, ova dicta non corrumpuntur. *Et idcircò subsequente vere, ingens bruchorum copia prodire solet.* 5. Sic verò geniti novi bruchi sub terra manent, donec omninò ad justam quantitatem excrescant. *Unde accidit non rarò, ut aratores integros sulcos, plenos bruchis viventibus, inveniant.* 6. Hinc parvos, & minutos bruchos non videmus, sed omnes in justa quantitate. *Quia ex his cavernis non prodeunt, nisi dum jam alati, ad volandum apti sunt.* 7. Nascuntur subindè bruchi etiam ex hominum cadaveribus. *Duplici siquidem generatione producuntur. Nempè: vel per veram generationem, vel ex putri.* 8. Bruchos aliqui ad genus locustarum referunt. *Imò Liranus censet bruchum, & Locustam differre, sicut perfectum, & imperfectum in eadem specie, & S. Chrisost. in ea verba Psalmistæ: Venit locusta & bruchus. locusta inquit, & bruchus, non simul existere solent, aut enim præcedens locusta bruchum parit, aut bruchus auctus in locustam evadit.* Verùm hi

hi authores, & alij hujus sententiæ, nomine bruchi non intelligunt hos nostrates bruchos, sed progeniem propriam locustæ necdum perfectæ in locustam formatam. Nam ut Glossa habet, bruchus vocatur fœtus locustæ antequam alas habeat, deinde cùm incipit parùm volare Attolabus, cùm verò pleniter volat, locusta dicitur.

§ XV.

De Scarabæis.

1. SCarabæi fiunt ex vermibus, qui nascuntur ex lignis aridis. *Tales enim vermes postquàm creverint, fiunt immobiles ac se claudunt, more erucarum, posteà verò rupto putamine egrediuntur scarabæi. Aristot. lib. 5. Histor. animal. cap. 19. n. 9.* 2. Scarabæorum variæ sunt species. *Quas accuratè quoad nomina, formam, & figuram enumerat Aldrovandus lib. 5. de Insectis cap. 3.* 3. Juxta diversa genera, & species scarabæorum diversa est etiam eorum generatio. *Hinc qui ex lignis aridis procreantur, seu potiùs ex vermibus natis in lignis aridis, dicuntur Carabi.* 4. Scarabæi porrò virides, oriuntur ex vermibus, qui in fimo boum, aut jumentorum generantur. 5. Scarabæi autem pilularij dicti, qui nimirum pilulas faciunt ex fimo eásque volvunt, hyeme abdunt se intra tales pilulas, & parvos vermiculos pariunt, ex quibus progenerantur ejusdem rationis scarabæi. 6. Licèt autem carabi dicti scarabæi, juxta Aristotelem & alios, nascantur ex lignis aridis, maximè quercûs aut roboris, observavit tamen Aldrovandus nasci, & propagari etiam per coitum. *Neque id negat Aristotel. (licèt fortè nunquam hoc observaverit) cùm passim admittat Insecta utroq; modo procreari, & ex putri, & viâ generationis.* 7. Philosophi veteres nonnulli dixêre scarabæos omnes esse mares, nec esse in genere scarabæorum, rationem fœminei sexûs. *Quia observârunt scarabæos pilulares ex puro puto fimo nasci & generari.* 8. Verùm neque hæc generatio scarabæorum perficitur sine omni semine. *In dictam enim pilam ipsi mares semen emittunt, quam dein octo & viginti dierum spatio, & volutant, & calefaciunt, sicque fœtum procreant, ut scribit Ælianus Histor animal. lib. 9. cap. 10. Quod idem affirmat S. Augustinus lib. Retractionum cap. 7.* 9. Scarabæi illi, qui cervi nuncupantur, etiam dissecti vivunt diù, & abscissum caput seorsim, & seorsim corpus, *Ut tradit Vincentius Natur. Histor lib. 1. cap. 124.* 10. Licèt autem tanta sit vis scarabæis, ut divisi etiam vivant, rosarum tamen odore, vel si rosarum ungantur ungvento, illicò emoriuntur. *Quia cum ex*

 fimo

fimo oriantur, fimum pro delicijs habent, æquum proindè est, quæ alijs sunt pro delicijs, his ex fimo ortis animalculis in mortem sint. 11. Cornua, quæ gestant scarabæi, cervi volantes dicti, fortissima sunt, támque illa potenter stringuntur, ut vix divelli queant. *Omne siquidem robur in his cornibus habent.* 12. Unde ipsos quoque homines ijs interimere valent *Nam ut tradit Ælianus lib. 10. cap. 157. viginti suis morsibus, seu puncturis hominem interficiunt.* 13. Ex asini quoque cadavere gigni dicuntur. *Ex vilissimo scilicet animali quadrupedum, vile quoque insectum.* 14. Scarabæi, qui dicuntur Gullerucæ habent quatuor alas sicut apes, sed duas quâdam, quasi vaginâ absconditas. *Quas tamen inde sine difficultate extrahunt, atque explicant: sunt autem quasi in vaginis absconditæ, quia cùm sint admodùm delicatæ, attererentur, & læderentur facilè, evaderentque ei inutiles, nisi sic à natura munirentur.* 15. Parùm autem volare possunt. *Quia habent alas proportionaliter ad reliquum corpus parvas & imbecilles.* 16. Scarabæi pilulares, interlunij sunt indices. *Totidem enim pedibus innituntur, quot mensis diebus constat, in quibus exoriens sol suos persequitur cursus.* 17. Qui proinde solis & lunæ coitum seu novilunium nobis manifestè demonstrant. *Quandoquidem ex bubulo stercore pilulam ab ortu ad occasum rotando versantes in Orbis figuram effingunt, eámque viginti octo diebus facto humi scrobulo obruunt, & tantisper celant, donec luna ad iter menstruum revertatur, & cum sole conjungatur, tunc enim primò novam prolem edunt, atque sic solis & lunæ conjunctionem nobis indicant.*

§ XVI.

De Scorpionibus.

1. DE Scorpionibus pauca occurrunt hîc dicenda. *Siquidem patria nostra à turpissimis his insectis prorsùs est libera.* 2. Hi autem non frugibus, sed hominibus sunt noxij. *Ictu siquidem hominem feriunt, vulneríque venenum immittunt.* 3. Alicubi tamen prorsus sunt innoxij. *Quod vel benignitati cœli, vel boni aëris temperamento, vel patrocinio alicujus Sancti est attribuendum, cùm constet multas plagas terræ, Sanctorum precibus, & meritis, à varijs venenatis animalibus in perpetuum esse liberatas.* 4. In aliquibus Regionibus ingens est scorpionum copia. *Nam, ut narrat Plinius lib. 8. cap. 19. circa Cynamologos Æthiopes integra una Regio deseri debuit à populo, propter eorundem copiam ac magnam multitudinem.* 5. Et quod mirabilius est, tradit Ælianus lib. 16. cap. 41. In Ægypto

pro alatos esse scorpiones, & duplici aculeo armatos. Similes inveniri, & in Africa testatur Plinius lib. 11. cap. 25. *Ægyptus enim, & Africa abundat vel maximè insectis varijs, plurimisque monstris.* 6. Hoc autem in admirabilem Dei providentiam referendum est: quòd scorpius ipse sit medicina ijs, quos vulneravit. *Nam scorpionum cinis potus in vino, est remedium, homini à scorpione icto.* Nec hoc caret admiratione, quod tradit Aristot. in Latino Cariæ monte, à scorpionibus hospites, & advenas non lædi, indigenas verò ab ijs perimi. *Fors ideò, quia cum his majorem habent à natura antipathiam.* 8. Scorpiones autem edunt multos vermiculos specie ovorum. *Ex quibus dein generantur scorpiunculi, qui parentes expellunt, & interficiunt.* 9. Nascuntur etiam scorpiunculi in ipsis libris, *Sed hi sunt valdè parvi, & carentes caudâ, & consequenter etiam aculeô, adeóque nocere non valentes.* 10. Nascitur etiam scorpius, ex cancri mortui, & in sicco sepulti cadavere. *Utpotè ex putri, & cadavere animalis multùm sibi similis.* 11. Scorpius habet aculeum in extremitate caudæ. *Quia non volat, sed graditur, potest igitur pondus ejus gradiendo trahere, & nisi hic aculeus esset, in extremitate caudæ, quam flectendo, potest aculeo ferire, esset scorpioni ad pugnam inutilis. Ita Aristoteles lib. 4. de Partibus Animal. cap. 6. num. 7.*

§ VII.

De Cicadis.

1. CIcadæ nulli obsunt, súntque admodùm canoræ. *Ideóque circumvolantes, & saltantes cupiunt ab omnibus audiri.* 2. In aliquibus tamen Regionibus ut in Insula Scripho nascuntur & vivunt mutæ. *Ob loci forsitan indispositionem. nam si aliò transferantur, sunt canoræ. Theophrastes autem id adscribit aëris, & aquarum frigiditati illius Insulæ.* 3. Verùm non videtur hujus taciturnitatis frigiditas aquarum, & aëris esse adæquata saltèm causa. *Nam in Italia apud Rheginos sunt mutæ, cùm in Locrina vicina Italiæ parte sint canoræ; censent proindè, in secundo casu aliqui cœlum Rheginum valdè ob imbres frequentes humescere, indéque ibidem cicadas ad cantum non excitari; cùm contrarium sit in Locrino agro, ubi sol ferventior est.* 4. Etiam in eo loco, in quo cicadæ sunt canoræ, cicada fœmina muta esse fertur. *Quia cicada fœmina humore multum superat masculum, & humor intendens in ea frigiditatem, silentium ei indicit. Contrarium fit in hominibus, quos inter, fœminæ sunt magis loquaces, & garulæ quàm viri.* 5. Cicadæ æstatem indicunt. *Quia cùm sint frigidæ à natura, ea*

propter circa illud tempus, quo sol attingit Tropicum, primò incipiunt canere. 6. Hinc tempore meridiano sunt vocaliores, & sole recedente desinunt canere. 7. Sola cicada inter animalia caret ore. *Ast locò oris habet partem quamdam longam, compactam, ac non divisam, similem linguæ.* 8. Cicadæ solo rore victitant. *Unde nullum excrementum in alvo illius reperitur.* 9. Illud magis mirandum, quòd si cicadæ abscindatur caput, vivat adhuc, diuque canat in pectore, & quandóque etiam avolet. *Ita se expertum scribit Albertus lib. 26. in cicada.* 10. Cicadæ sunt canoræ, per sonum editum, ex attritione aëris ac spiritûs interni. *Alia siquidem instrumenta vocis non habent.* 11. Cicadæ non nascuntur locis frigidis, & in locis opacis. *Quia sunt naturâ frigidæ ideò calida, & soli exposita loca amant.* 12. Cicadæ duplicis sunt generis, majores, & minores. *Et quidem minores primæ nascuntur, & ultimæ pereunt, majores verò ultimæ nascuntur, & primæ pereunt.* Cicadæ quæ canunt, habent quamdam secturam seu incisionem, ad septum transversum. *At quæ non canunt, tali incisione carent, ac proinde prædita sunt corpore continuo.* 14. Si quis digitum contrahens, ac remittens paulatim cicadis appropinquet, illæ non avolant, sed exspectant, & in digitum ascendunt. *Quia cùm visu hebeti sunt præditæ, motus digiti videtur illis motus frondis, ideóque ascendunt ad digitum, perinde ac ascenduut ad frondem.* 15. Si verò quis repentè digitum exerat, sive extendat, statim avolant. *Quia sic territæ fugiunt.* 16. Cicadæ, tempore quo adhuc cortice clauduntur, & quo necdum sunt in perfectas cicadas formatæ, sunt svavissimæ ad vescendum. *Apud Græcos nimirum: qui eas comedebant, & inter dapes pro delitijs habebant.* 12. In Insula *Celaphonia*, est amnis, in cujus altera ripa sunt copiosæ cicadæ, in altera verò nullæ. 18. Cicadæ juxta Theophrastum tempestates magnas præsagiunt. *Ideóque illâ imminente aliò se recipiunt, gaudent enim solis radijs, siccóque aëre, quemadmodum, & pleráque alia insecta; quo fit, ut ex eo loco fugiant, in quo humidior & frigidior sit futurus aër.*

§ XVIII.

De Gryllis.

1. GRylli sunt insecta formâ corporis locustas imitantia. 2. Grylli juxta *Agricolam* alij sunt domestici, alij sylvestres, illos ait æstate & hyeme aridam terram fodere, hos verò ante hyemem perire. 3. Grylli domestici in focis, seu in fumibulis, parietibus, imò etiam in fornacibus latere solent, suáque ingratâ multis cantillatione, dormientes sæpè mo-

pè moleſtant. 4. Quibus inſtrumentis, & quâ ratione ſtridorem locuſtæ excitant, ſimilibus inſtrumentis, & ſimili formandi ratione, ſtridorem à gryllis edi profitetur Julius Caperius Placentinus. *Nam, & in his inquit, duo obſtrepentia reperiuntur corpora, quæ motu, & agitatione alarum, colliſa, atq; percuſſa obſtrependi vim habent.* 5. Cardanus obſervavit Cicadam, & Gryllos capite abſciſsô non tantùm ſupervivere diù, ſed per medium diviſos etiam canere. 6. Juxta alios autem edunt hunc ſonum grylli, gubernaculis ſuis ſeu membris ſaltatorijs movendo membranam quamdam, & atterendo incluſum aërem ſeu ſpiritum. 7. Grylli, uti & locuſtæ, vel etiam muſcæ, aliáque inſecta volantia, pedibus poſterioribus, qui ſunt longiores, ſe attollunt, & ſic volitant: *Crura autem ſaltatoria gerunt non in parte priori, ſed in poſteriori.* 8. Grylli igitur & muſcæ aliáque inſecta volantia, ſunt ſex pedibus prædita, *Connumerando ſcilicet etiam crura ſaltatoria.*

§ XIX.

De Araneis.

1. ARanei generantur per veram generationem. *Poſt coitum enim ponunt parvos vermiculos, qui ab initio ſunt rotundi, ac deinde toti mutantur in araneos.* 2. Aranea poſtquàm peperit vermiculos ſubrotundos, ijs incubans ſpatio t ium dierum, araneunculos efformat. 3. Aranei ſtatim ac nati ſunt, ſaliunt, & filum mittunt. *Non quidem ab intrinſeco, & tanquam excrementa quædam, ſed de ſuo corpore tanquàm corticé.* 4. Aranei octo pedibus incedunt ut ſcorpio, súntque venenoſi; *Qui tamen non ita, ut ſcorpiones, ſed morſu virus ſuum ejaculantur.* 5. Varia autem ſunt araneorum genera, variæque ſpecies. *Eorum triginta genera, & ſpecies enumerat Aldrovandus lib. 5. de Inſectis cap. 12.* Inter araneos fœminæ ſeu araneæ majores ſunt, quàm maſculi ſeu aranei. *Quod licèt Ariſtot. dicat de uno tantùm genere araneorum, nempè Phalangiorum, id tamen verum eſt de omni araneorum genere.* 7. Eſt autem omne araneorum genus prorſus infirmum ac debile. *Nam vel leviſſimo tactu deficit.* 8. Aranei quatuor circiter hebdomadibus perficiuntur, atque ex parvis adulti fiunt. 9. Non omnes aranei eodem artificio telas ſuas texunt. *Alij enim telam ſimplicem texunt, ut ij qui ſunt circa ſæpes, & vepreta: alij imperfectam, & parvam uti ſuni ij, qui ſunt ſub arboribus: alij autem optimè figuratam & artificioſam, ac quaſi ad Geometriæ regulam.* 10. Aranei hujus generis, primò initiò ſumptò à medio, ſtamina ac fila quaqua verſus in

in orbem ducunt, ac medium seu centrum non inscitè inveniunt: Secundò subtegmina addunt stamini, ac telam perficiunt: Tertiò cubile in quo habitant, ac prædam deponunt in loco opportuno, extra telam constituunt. Quartò ipsi consistunt in medio suæ telæ, atque ex eo loco venationem exercent. *Ideóque Ælianus Histor. Animal. lib. 6. cap. 56. sic scribit: Aranei non solùm præclarè texunt, verùm & Geometriam nôrunt, centrum servant, & quasi circino circumducunt, & circumscriptionem exactè sciunt: sed & sarcinandi artificium excolunt, si quid telæ suæ fuerit disruptum.* 11. Venantur autem aranei circa tempus solis orientis, & occidentis. *Quia his præsertim temporibus muscæ, & alia similia animalcula solent in telam illorum incidere.* 12. Ex araneis fœmina texit, & venatur, mas comes est fruendi, non laborandi. Ut habet Aristot. lib. 9. de Histor. Animal. cap. 39. n. 4. 13. Dum aranei fila per aërem ducunt, indicium est serenitatis. *Quia aranei faciunt suas telas & ducunt fila per aërem, nonnisi dum aër serenus est.* 14. Si autem hæc fila per aërem hinc inde ferantur, signum est venti mox secuturi. *Quia tunc signum est, quòd aër infrigidetur, & ingravescat, infrigidatio autem aëris, est signum venti.* 15. Aranei postquàm muscam vel aliud animalculum venatione cœperint, illud exsugunt, & postmodum per os foras ejiciunt: *Solo siquidem succo similium animalculorum vivunt.* 16. In Hybernia veneno carent aranei. *Nullum siquidem animal venenatum tolerat Hybernia, per Benedictionem S. Patritij, qui precibus suis, id à Deo impetravit.* 17. Alicubi autem prorsus sunt venenati. *Qui dicuntur Phalangij, præsertim ij, qui mordaces appellantur.* 8. Sunt autem hi aranei adeò feroces, ut cùm adoleverint, matrem circumstent, & interficiant, ac ejiciant, & si patrem comprehenderint, qui solet etiam incubare, illum quoque perimant. 19. Strabo scribit lib. 11. in Albania araneos esse, quorum morsus homini mortem inferat. *Et quidem opposito planè modo, alios scilicet in ipsum risum, alios in fletum solvendo, nempè juxta dispositionem diversam corporis. Sic & vino madentes, alij ad fletum, & tristitiam, alij ad risum & lætitiam solvuntur, alij ad iram incitantur.* 20. Est & aliud genus aranearum in Appulia, quas Tarantulas vocant, à qua morsus homo non aliter, quàm per musicam sanatur, hâc enim auditâ illicò in choreas se dat, donec nimio saltu fessus, & lassus per sudorem vis veneni dissipetur penitùs. 21. In Insula Hispaniola novi Orbis, adeò ingentes sunt araneæ, ut mole corporis pilas lusorias quandóque, nuces verò pleræque adæquent. 22. In Brasilia verò est quoddam genus aranearum pergrande, quales sunt cancri, attamen crabro parvulus illis infensus, easdem vincit, capit, ad latibula sua pertrahit ac depascitur. 23. In Orbis novi quibusdam partibus, telæ aranearum aureum

aureum colorem præferunt. *Sed fortè humor ipse ex solis radijs hunc, in tela aranearum efficit vel ostendit.* 24. Illud mirandum magis, quòd in eodem Orbe novo viridem colorem, æqualem viridi serico, telæ aranearum certarum præferant, ut habet Ovet. Histor. lib. 15. cap. 13. 25. Est quoque Genus aranearum aquaticum dictum, non quòd id in aquis (neque enim id fieri potest) telam texat, sed quòd aquas sicco pede permeet, & percurrat cruribus semper emergentibus, atque erectis, perinde, ac si terram ipsam obambularet, ut tradit Albertus Magnus apud Majolum in colloquio 5. dierum Canicularium.

§ XX.

De Formicis.

1. FOrmicæ quandam Reipublicæ speciem habent. Non quidem Monarchiæ, nullum enim Regem aut Ducem habent veluti apes. *Sed Democraticæ, aut Aristocraticæ: omnes siquidem ex æquo servatis ordinibus in commune bonum agunt.* 2. Sunt valde solertes, Unde Salomon Prov. 6. ait: *Vade ad formicam piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam, quæ cùm non habeat Ducem, nec Præceptorem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.* 3. Genus formicarum est operosissimum. *Nam non solùm totâ die, sed & noctu in plenilunijs laborant, operantur verò simul, eâdem viâ semper incedunt, simul cibum parant, condunt, & depromunt.* 4. Formicæ habent intra os linguam, vel potiùs membrum proportionale, quô sapores gustant. 5. Formicæ licèt sint animalia exanguia, tamen sunt prudentiores & ingeniosiores, multis animalibus sanguineis. *Quia habent locò sanguinis humorem proportionalem sanguini, minùs crassum, & minùs turbidum, quàm sit sanguis multorum animalium sanguineorum.* 6. Formicæ coëunt & pariunt quædam veluti ova, ex quibus nascuntur vermiculi ab initio parvuli & rotundi, qui dein fiunt oblongi, & mox formantur in formicas. 7. Myrmioleon, seu Formicaleon est de formicarum genere, sed multò major, éstque formicis infestum animal. *Quod cùm non laboret, in pulvere se abscondens formicas annonam deportantes, ex insidijs aggreditur, & interficit, & annonam ijsdem eripit.* 8. Formicis insidiatur etiam ursus formicarius dictus, quòd formicas gravissimè depascatur. *Hic enim linguam in nidum formicarum demittere solet, cui formicæ fraudis insciæ, humore & frigiditate linguæ illectæ, quàm plurimæ, quotquot lingua capere potest, adhærent, quasi ad pastum, ille verò ubi senserit linguam onustam esse, eandem retra-*

hit, adhærescentésq; illi formicas depascitur. 9. Ex formicis aliquæ sunt alatæ, quæ scilicet per decursum temporis alas acquirunt, non secus ac eruca in Papilionem transmutata. 10. Etiam per durissima saxa, excavatam subinde semitam faciunt. *Ne quis dubitet, quid posit in qualibet re constans assiduitas.* 11. Solæ formicæ ex irrationalibus animalibus sui generis sepeliunt. *Quod habent ex speciali sibi à natura indito instinctu.* 12. Formicæ domicilia sibi parant, non tamen venantur ut aranei, nec cibum sibi conficiunt ut apes, sed facta ab alijs, vel per se procreata colligunt, & recondunt. 13. Qui novum Orbem lustrârunt, scribunt novo quodam modo formicas gigni, videlicet à parentis jam defuncti cadavere fieri innumeros vermiculos, eósque mirô modô vivere, donec ex habitaculis subterraneis jam alati erumpant. *Ita Josephus à Costa, quamquam & viventes parentes, etiam ibi, uti apud nos aliquando pariant, ut idem tradit* 14. Formicæ pro proportione corporis maximarum sunt virium. *Sæpiùs enim majora se portant onera, & quidem solo morsu.* 15. Habent insuper singularem, in comparata jam annona conservanda industriam. *Non enim, nisi arrosa condunt grana, ne rursus infruges è terra exeant; majora ad introitum cellularum dividunt: madefacta imbre, proferunt, atque exsiccant.* 16. Formica (ut loquitur Nierembergius Hist. Natur. lib. 1. cap. 13.) minimum animal, non minimæ admirationis, sine Calculis, sine Calendario, sine epacta, sine ratione, sine respectu lunæ, ejusdem vices noscit, & ostendit: *Utpotè cujus quies aut labor signa interlunij aut plenilunij sunt.* 17. Genus quoddam serpentum est, quod in formicarum cuniculis vivit, & eas sequitur cùm foras prodeunt statis anni temporibus. *Ob idque mater formicarum dicitur. Pulcherrimus est autem omnium serpentum hic serpens, nec cuiquam noxius: hunc pro lusu circumvolvunt Indi collo.* 18. Formicarum variæ sunt differentiæ: differunt enim, & colore, & magnitudine, inter se, & multò magis eæ, quæ reperiuntur apud Indos, à nostratibus Europæis. 19. Cardanus formicas visu omninò carere ait: ex eo quòd terrestre animal non adeò visu egeat, cornibus auxiliantibus, quæ illis locò baculi sunt, ad tendendam viam, velut & limacibus, aliunde verò oculi formicarum non apparent. Addit autem nullum animal volans potuisse esse sine visu. Sed contra est. *Quia formicæ cùm senescunt, alas acquirunt, & volant non parùm: quas videre quomodo in senectute dicemus, cùm in juventute non viderint?* Melius igitur Albertus Magnus scribit formicam propter parvitatem capitis sui, non habere in eo oculos, sed super quædam additamenta; *Quæ ceu duo pili egrediuntur de capite, cujus rationem addit: quòd quando illa amputantur formicæ, tunc vadat errando, nesciens quò eat, proximam quámque apprehendens, & quàm tenacissimè amplectens, ut ad gasam revertatur.* § XXI.

§ XXI.

De Erucis, & Papilionibus.

1. ERucis adjungimus hîc Papiliones. *Siquidem ex erucis fiunt papiliones, & ex horum semine generantur erucæ.* 2. Erucæ aliæ sunt inutiles imò noxiæ, quales sunt vulgares erucæ, *quæ nullam suâ telâ nobis utilitatem adferunt, imò cuncta pastu suo devastant, aliæ utiles, ut Bombices sericum conficientes.* 3. Vulgarium erucarum, quàm plurimæ sunt species, imò singula ferè genera arborum, herbarum, & olerum, suas quasi peculiares erucas habent. 4. Quomodo autem generantur erucæ & ex his Bombices, ac vicissim ex horum ovis erucæ, alibi diximus; nempe §. VI. hujus Dissertationis. 5. Erucæ omnes in varias figuras mutantur per decursum temporis suæ vitæ. *Nam imprimis sunt veluti minuta ova, milij grano minora, quæ sunt papilionum semina, deinde formantur in tenuissimos & minutos vermiculos, ex his fiunt dein erucæ molles, pedibúsque instructæ, & serpunt ac incedunt. Hæ deinde folliculos sibi texunt, iísque se includunt; tum indurescunt, nec pedes earum apparent ampliùs, non moventur, nisi ad tactum, quem omninò percipiunt, nec ampliùs edunt, sed veluti durioris ovi speciem accipiunt, & tunc vocantur aureliæ, sive chrystalides. Ex his deinde quasi ovis papiliones prodeunt, & hi iterum ova pariunt, ex quibus erucæ rursus generantur.* 6. Hinc Bombices meritò inter erucas computantur. *In his enim vel maximè apparet hujus mutationis erucarum modus, & forma ac species.* 7. Porrò morus peculiare est Bombycibus pabulum. *Hac tamen nondum germinante alio etiam cibo vescuntur, ut rubo, lactucâ, urticâ, sed ex his sericum minimè generatur.* 8. Papilionum similiter ac erucarum multiplices, & variæ sunt species; *Non secus ac erucarum, quæ juxta diversitatem, in diversas abeunt papilionum formas ac species.* 9. Aldrovandus tamen censet, non omnes erucas abire in papiliones. *Nam multæ cùm universa, quibus insistunt, consumpsêre, ipsæ etiam consumuntur.* 10. Idem existimat, erucas non semper ex ovis papilionum nasci, sed quandóq; etiam ex putri. *Verùm addit has nunquam abire in papiliones.* 11. Harum autem præcipuum ortum esse ait, aërem nimiâ humiditate, aut nimiâ putredine peccantem; *Hoc etenim tempore, maximè erucæ progenerantur.* 12. Papiliones cùm adhuc leviores sunt, levissimo volatu hinc inde per aërem feruntur, cùm autem graviori corpore sunt prædití, vel arborum truncis, vel parietibus ac fenestris, velut affixi hærent. 13. Papiliones dum

adhuc volant, ex floribus & aliis herbis cibum capiunt, dum verò grandiores jam alicui loco se affigunt, cibum nullum capiunt, id quod certum est de Bombylio seu papilione ex Bombyce formato, & de alijs idem ob paritatem rationis arguitur. 14. Papiliones ejusdem coloris sunt, cujus erant erucæ, ex quibus orti sunt, quod universaliter asserit Arist. de omnibus animalibus ex erucis ortis lib. 5. de Histor. Animalium cap. 19. num. 7.

§ XXII.

De Muscis.

1. MUscam describit Aristot. quòd sit Insectum bipenne, & aculeo armatum in parte anteriore. *Quæ quidem descriptio convenit omni muscæ, sed non soli.* 2. Musca senos habet pedes. *Quatuor tamen solùm incedit, duobus autem anterioribus etiam ut manibus utitur.* 3. Musca naturâ est audax, præterea importuna. *Quamquam enim sæpiùs repellatur, redit tamen, pungitque iterum.* 4. Ulciscitur non aculeo ut apis, vel vespa, sed ore & proboscide. *Quam & ipsa eodem modo habet, quo Elephanti.* 5. In fine hujus proboscidis, quasi dens quidam foras prominet quo pungens sanguinem animalium bibit. 6. Multifariæ sunt muscarum species, colore, magnitudine, & nominibus distinctæ. *Quarum ipsas etiam figuras longo numero videre est, apud Aldrovandum lib. 3. de Insectis cap. 1.* 7. Aristoteles lib. 1. Histor. Animal. cap. 1. Muscam inter illa animalia recenset, quæ domicilia sibi comparant. *Sed id non ita accipiendum est, ut in ijs morari continuò eas putemus: nam animal est inquietum, nec manet in certo, firmo, tenacique loco.* 8. Ubique terrarum reperiuntur muscæ, & nullus penè locus datur, in quo eas non sit reperire, nisi sit, quod eas interimat. *Uti sunt Metallorum fodinæ: nam teste Plinio lib. 4. cap. ultimò omnium metallorum halitus noxius sentitur, & pestilens est muscis ac culicibus.* 9. Cranzius scribit lib. 4. Saxon. cap. 19. propè Ecclesiam Bremensem esse pratum feracissimum, quod eidem Ecclesiæ obtulerat *Emma* Luderi Comitis Hermanni Saxoniæ inferioris Ducis filij Uxor, in quo pecora nullis muscis, nullis crabronibus, nullis vespis unquam vexantur. *Quod sanè in merita ejusdem Venerabilis Emmæ referendum est.* 10. Lipsius tradit lib. 2. de Cons. cap. 19. muscas levibus, politisque rebus non diù insidere, nempe quuòd his minùs, quàm scabris adhærere queant. 11. Muscæ volando edunt suum murmur, & sonum; *Attollendo scilicet, & deprimendo membranam quandam, ijsdem, uti & apibus à natura ad hunc finem attributam,*

butam. 12. Generatio muſcarum fit etiam ex fimo. *Idque hâc ratione, ut primò appareat quoddam parvum rubeſcens, deinde appareant vermiculi exigui, qui ab initio ita moventur, ut hæreant fimo, in quo nati ſunt, deinde abſolvuntur ab eo, poſt evadunt immobiles, ac ſe claudunt quôdam putamine, demum putamine fractô perficitur muſca, quæ à ſole vel ſpiritu excitata movetur & volat. Ita Ariſtot. lib. 5. de Hiſtor. Animal. cap. 10. n. 17.* 13. Muſcæ carnium, & cadaverum ſunt avidiſſimæ. *Hinc ad lanienas, & ubi conſervantur carnes, undique fluunt, & advolant.* 14. Pari ratione ad lac, & mel convolant, ſed in melle præ nimia aviditate ſuffocantur. 15. Præterea omnibus ferè edulijs inſidiantur, & advolando omnia guſtant, omnia lingunt, maximè verò dulcia. *Excepto tamen oleo, quod muſcis exitioſum eſt.* 16. Muſcæ dentibus carent, & ſolo liquore aluntur, quem ex omnibus rebus exſugunt. 17. Muſcæ locò linguæ extra os gerunt quemdam aculeum fungoſum, & cavum, eóque ſimul alimentum guſtant, ac ſugendo attrahunt. *Ita Ariſtot. lib. 2. de partibus Animal. n. 13. & lib. 4. cap. 5. n. 7. Hæc duo autem in idem recidunt, quod diximus hîc numero 5.* 18. Cæterùm odoratu ac viſu etiam muſcas pollere clarum eſt, cùm ad ea quæ ſibi grata ſunt à longinquo advolent. 19. Licèt verò morſus muſcarum ſit ſine dolore, acriores tamen interdum morſus habent, qui dolorem majorem cauſant. *Quod fit cùm ſerpentem, vel bufonem, aut aliud ejuſmodi priùs attigerunt.* 20. Inter cæteras, quas inferunt noxas, illud quoque eſt, quòd veſtes ac potiſſimùm candidas, maculis nigerrimis, & frequentibus, quæ difficillimè eximuntur, inquinant, conſpurcántque, & in carnes, quæ nobis in cibum ceſſuræ ſunt, multos vermiculos ingenerant. *Emiſſis his ſordibus ex alvo, quod idem faciunt, pecoris ulceribus adhærendo.* 21. Breviſſima autem eſt earum vita, atque frigore præſertim, ferè omnes extinguuntur vel quaſi emoriuntur. *Utpotè parùm caloris interni habentes, ſed hæ calore ſuperadveniente rurſus reſuſcitantur.* 22. Unde verno tempore muſcæ, magnæ ſtatim apparent, quas certum eſt ob juſtam perfectionem, non eo tempore genitas, ſed ut mortuas vixiſſe, nam anteà non fuerunt viſæ.

§ XXIII.

De Culicibus.

1. CUlicem ab aculeo putat dictum Iſidorus. *Habet enim inquit in ore fiſtulam (vel rectiùs ad modum aculei) in modum ſtimuli, quâ & ſanguinem ſugit, & carnem terebrat.* 2. Differunt autem hi aculei

lei in singulis speciebus culicum. *Quibusdam enim durior est aculeus, ut meritò stimulus nuncupari possit, quibusdam paulò laxior, omnibus tamen durior quàm muscis, qua de causa acriùs pungunt, ita ut cruorem eliciant, & cutem animalium penetrent.* 3. Ipsi quoque culices inter se differunt. *Imprimis magnitudine, sunt enim culices alij maximi, qui Leones ipsos impugnant, alij mediocres, quorum quoque magnitudines inter se differunt: alij minimi, qui in aëre vix conspiciuntur, ob parvitatem, corpus tamen cùm insederint, acutissimo maximéque tenui stilo terebrant.* 4. Differunt dein in generandi modo, seu ortûs materiâ. *Alij enim sunt vinarij, qui in vino, aceto, seu ex vermiculis in aceti fæce natis nascuntur*: alij muliones, qui mulis sunt infesti, & juxta Aristotelem ex ascaridibus generantur. (Sunt autem ascarides species parvulorum lumbricorum, qui in puteis generantur, & ubicunque in fundo aquæ stagnantis, ubi fit quædam concoctio terrena) alij aquarij, quòd circa aquas, & paludes nascuntur: alij ficarij, qui in caprifico ex ficibus seu vermiculis in ijs natis generantur. 5 Generatio autem hæc culicum ex vermiculis perficitur tribus hebdomadibus. *Eo scilicet modo, quo generationem, & mutationem in generationibus similium insectorum perfici superiùs diximus.* 6. Culices gustum habent, non tamen advolant ad dulcia, sed ad acida; ut tradit Aristot. lib. 4. de Histor. Animal. cap. 8. n. 12. 7. Quædam aves vescuntur venatu culicum. *Quas proinde Aristoteles ait posse dici culicivoras.* 8. Culices recensentur ab Aristotele inter insecta, quæ pellem senectutis deponunt. lib. 8. de Histor. Animal. cap. 17. n. 6. *Omnia autem quæ deponunt pellem antiquam, nonnisi novâ subnatâ, antiquam deponunt.* 9. In aliquibus locis subinde tanta exorta fuit copia culicum, ut populum exire coëgerint. *Sic ad Myontem Civitatem Joniæ, ex vicino lacu tanta fuit orta culicum multitudo, ut eandem licèt maximè florentem, incolæ deserere debuerint.* 10. Culices sonum acutum, & audientibus ingratum, præsertim semidormientibus, edunt: *Non aliter ac volantes muscæ, quoad modum edendi sonum, sed longè acutiorem, utpotè delicatioribus instrumentis, & ad hunc strepitum magis aptis præditi.* 11. Occasionaliter hîc addimus aliquid de Perlis sic dictis volatilibus insectis, à capitis (ut arbitratur Aldrovandus) rotunditate, quæ perlam, seu unionem æmulatur. 12. Volatum hæc insecta exercent velocissimum. *Utpotè longis, robustis cartilagineis quatuor alis prædita.* Eorum multa sunt genera, omnibus tamen commune est, ut quatuor habeant alas, alvum verò admodùm proceram, æstate, vere, ac autumno cernuntur, hyeme latent, vel moriuntur.

§ XXIV.

De Cantharidibus, Cicindelis, Curculionibus, Blattis, & Tineis.

1. CAntharides sunt animalia alata parvis scarabæis similia, coloris virido aurei. 2. Sunt variæ earum species. *Quas enumerat Aldrovandus lib. 4. de Insectis cap. 4. earúmque formas & figuras exprimit.* 3. Inter segetes frequentissimè inveniuntur. *Unde, & fruges consumere natæ dicuntur.* 4. Stabulantur etiam in fraxinis, ac rosis & oleastris, aliísque quàm plurimis arboribus. *Quarum folijs nutriuntur perinde, ac Bombices folijs mori.* 5. Cantharides autem generantur ex erucis præsertim fici, & pini. *Fiunt autem ex hisce omnibus vermes, & ex vermibus cantharides.* 6. Cantharides sunt fœtidæ, quia generantur ex fœtidis erucis. 7. Cantharides si tanguntur, & perterrefiunt, cessant à motu, & intra suas incisuras, abscondunt se, & obdurescunt. 8. Cantharidum venenum est potentissimum. *Quo tamen non obstante varius est in medicamentis cantharidum usus.*

Cicindela. 1. Est ex scarabæorum genere. 2. Ab aliquibus nuncupatur etiam noctilux vel noctivigila. *Eo quòd noctu volet, & luceat.* 3. In varijs alijs Idiomatibus, Musca Sancti Joannis vocatur. *Eò quòd circa tempora festi S. Joannis Baptistæ compareat.* 4. Cicindelæ, seu noctilucæ sunt incerti generis inter insecta alata, & alis carentia, siquidem aliæ sunt alatæ, aliæ sine alis. 5. Ex erucis quibusdam pilosis ac non magnis fiunt Cicindelæ, ut vult Aristot. lib 8. de Histor. Animal. cap. 19. n. 12. *Et quidem priùs non volantes, quæ deinde mutantur in volantes.* 6. Lucent ignium modo noctu. *Laterum, & clunium fulgore.* 7. Hyemis tempore nullibi apparent. *Sunt siquidem frigoris impatientissimæ, propterea in frigidioribus Regionibus nullibi sunt conspicuæ.* 8. Julius Scaliger autem, & alij, Cicindelas ajunt ex coitu nasci, sícque à fœmella multa ova edi, & ex illis Cicindelas generari. *Hoc si ita est, ut ipse id se comprobatum experientiâ habere asserit: tenendum est ex ijs ovis, quæ parit cicindela, erucam quamdam priùs fieri, quàm impennem cicindulam, nominat Aristot. & ex hac tandem alatam cicindelam gigni, sícque combinabitur utraque sententia.* 9. Porrò ea, quæ pertinent ad cicindelæ lucem facilè explicantur. *A nullo tamen Authorum clariùs, & patentiùs, quàm ab Honorato Fabro, Societatis nostræ eximio prorsus Philosopho.* 10. Juxta hunc igitur præclarissimum Authorem cicindelæ volantes, quæ sunt minores minùs lucent, ídque quasi alternis scintil-

latio-

lationibus. *Minus quidem, quò minùs quoque de illa lucente materia, cum proportione ad sua corpuscula habent: alternis verò scintillationibus, propter alarum motum, quas modò contrahunt, modò explicant, quas dum explicant, lux illa videtur, dum contrahunt obtegitur.* 11. Præterea illarum, quæ non volant, duplex genus est, unum majorum, quæ ad erucas pertinere videntur, aliud minorum, quæ sunt frequentiores; *Hæ omnes tamen lucem modicam extremâ alvo habent, quæ in tenebris tantùm videtur. Quia de die modica hæc lux obruitur à majore solis & diei luce.* Hæc primò lux in cicindulis ab igne est. *Nulla siquidem lux est sine igne saltèm refracto qualis est mixtus corporibus.* 13. Ille autem ignis in cicindulis, ex collectione subtilissimarum partium ejusdem accenditur. *Quæ colliguntur, & præparantur singulari percolatione, vel humoris expressione, ad quod corpus animatum est aptissimum per vitalem calorem.* 14. Illa verò materia, quæ in cicindelis lucet, multis quasi pelliculis coagulatis continetur. *Nempè ne tam facilè resolvatur, vel exhaletur.* 15. Et licèt perenni profluvio aliquæ partes illius avolent, aliæ tamen semper succedunt. *Quia non sunt aliud, quàm excrementum illius succi, quo insectum illud vivit.* 16. Hinc lucentem hanc materiam habent in extrema alvo, *Quâ quasi projiciuntur, & extruduntur succi illius excrementa.* 17. Lucem hanc ita moderatur cincidula, ut majorem aliquando, minorem aliàs præferat. *Nempè, quia aliquando membranulam illam, quâ lucens hæc materia tegitur, magis aperit, aliquando magis contrahit.*

1. Curculio demum est animal parvum, frumentum corrodens: *Sic dictum, quasi gurgulio, eo quòd nihil in eo penè aliud, quàm guttur videatur.* 2. Nascitur autem curculio ex ipsomet frumento. *Cùm scilicet hoc afficitur calore extraneo ac putredinali, ascendente humore superfluo.* 3. Singula autem genera frumenti, singulares producunt curculiones. *Juxta singulares suarum dispositionum qualitates: ut Hordeum, Fabæ, Lens, Pisum, & alia cætera legumina.*

1. Blattæ, & Tineæ nomina à quibusdam nomenclatoribus ferè pro eodem accipiuntur. *Differunt tamen inter se. Nam Aristot. Blattas sic describit: Blattæ sunt vermes quidam, qui alvearia lædunt, gignuntur in alveariis, & mox alas acquirunt, lib. 5. Histor. Animal. cap. 19. n. 10. De Tineis verò sic scribit: Tineæ generantur in lanis præsertim pulverulentis, lib. 5. Hist. Animal. cap. 32. n. 2.* 2. Plinius blattarum ponit tria genera. Ait enim alias esse blattas frumentarias, quas molles vocat, quæ reperiuntur in saccis, & arcis farinaceis, & quibus avidissimè lusciniæ vescuntur. Sunt hæ insecta oblonga, & tereta, colore subrubro: Alias pistrinas, quæ in molendinis, & pistrinis gignuntur colore quidem nigro, sed ob farinam conspersam albi-

albicantes: alias demum fœtidas, quæ in aggeribus terrenis & apricis inveniuntur. 3. Verùm nos cum Aristotele in acceptione horum nominum *Blattæ & Tineæ* sentimus. Nam, & Calepinus sic illa interpretatur: Blatta est vermis, qui alvearia rodit, & Tinea est vermiculus, qui ex pulvere ac putredine nascens, vestes aut libros abrodit. 4. Item Plinius pulverem, authorem tinearum putat, & siccitatem, quod ab Aristotele accepit, qui eadem paulò prolixiùs hunc in modum scribit. Quin etiam aliæ bestiolæ, tum in lanis, & quibuscunque lanificio confectis, ut tineæ, quæ ex lanis pulverulentis præcipuè oriuntur. 5. Uterque autem addit tineas, in lanis & rebus laneis citiùs oriri, si in ijsdem unà araneus includatur, vel in easdem subrepat. Et rationem dant, quia hic quidquid humoris ijs inest absorbens, ampliat siccitatem. 6. Cæterùm id mirum, quod multi Philosophi naturales tenent: tineas in rebus lineis nullo modo generari, ex eo quòd linum non arrodat tinea, cùm tamen in charta, quæ ex lino constat, tineæ generentur, librósque arrodant. 7. Præcipuè autem in ijs rebus laneis tineæ generantur, quæ sunt ex lanis ovium, quibus necem lupini dentes intulerunt. *Quod ad venenatum quasi morsum luporum est referendum, nam, & pediculi in talium ovium pellibus faciliùs nascuntur.*

§ XXV.

De Cimicibus, Pediculis, & Pulicibus.

1. DE his quidem agere videtur esse infra dignitatem Philosophi, utpotè vilissimis & abominandis animalculis. Ast differere, de his quoque non indecorum sibi putârunt esse maximi nominis Philosophi, uti sunt: Aristoteles, Plinius, Æmilianus, Aldrovandus, Majolus, pluresque alij, præterquam quòd maneat illa *maxima* à nobis sæpiùs per decursum omnium harum Dissertationum supposita: Quod nimirùm, Philosophi munus sit cujuscunque tandem rei naturalis naturam, & proprietates examinare, earúmque naturalem causam assignare. Adde quòd omne vivens, etiam vilissimum, sit in præstantiori gradu entis, quàm quodcunque corpus, etiam nobilissimum, non vivens, adeóque vilissima hæc animalcula in præstantiori gradu entis, sunt quàm ipse sol, & reliquæ stellæ. Si ergo de his differere gloriosum est Philosopho, cur indecorum erit de illis quoque philosophari. Primò igitur insecta hæc non vescuntur carnibus mortuorum, ut vermes, sed corporum vivorum succo pascuntur. 2. Imò pediculi, ubi hominis corpus jam tabescere sentiunt, & emori, mem-

bráque sensim sanguine & spiritu vitali destitui, vel ipsum deserunt, vel illas corporis partes occupant, quibus sanguis, calórque nativus diutiùs inhæret. 3. Generantur autem pediculi ex carnibus, vel potiùs sanguine corrupto aut sudore corporum vivorum. 4. Pulices verò generantur ex minore quadam putredine, & fiunt ex sordibus siccis & aridis, tanquam ex materia. 5. Cimices demùm generantur ex halitu qui ex cute animalis egreditur. 6. Quidam exuberante, eóque putrescente quasi humore abundant, unde quandóque morbum pedicularem contrahunt, quo nonnulli pereunt, & moriuntur. 7. Ex quibusdam etiam aliorum morborum generibus copia pediculorum nascitur. *Quorum scilicet vi, caro vel sanguis, aut sudor viventis corporis magìs inficitur. Sed & ex neglecta corporis munditia nasci pediculos communiter neminem latet.* 9. Capita puerorum & mulierum, pediculis magìs scatent. *Quia sunt humidiora, quàm capita virorum.* 10. Ijs, qui pediculis in capite laborant, capita minùs dolent. *Quia humores noxij extrahuntur ab his animalculis.* 11. Non solùm homines, sed etiam plura animalia laborant pediculis. *Qui tamen differunt, tum inter se, tum à pediculis hominum: oriuntur siquidem pediculi, ex ipsis animalibus, in quibus generantur, igitur pro illorum diversitate sunt diversi.* 12. Imò pediculi, qui nascuntur in capite, non infestant in tantùm reliquum corpus, & vìcissim, qui nascuntur ex corpore reliquo, caput non infestant in homine. 13. Dantur pediculi, qui dicuntur feri: & hi sunt duriores, atque ita carni adhærent, ut difficilè ab ea avelli possint. 14. Pediculi magìs generantur in capite humano, quàm in reliquis partibus corporis humani. *Quia caput est humidius, propter cerebrum humidum, reliquis partibus corporis humani.* 15. Mutatio aquarum in potu facit, ut generentur plures pediculi. *Quia incoctionem causant.* 16. Hinc qui utuntur pro ordinario haustu *aquâ*, magìs obnoxij sunt pediculis. *Ex tali enim potu generatur malus & vitiosus sanguis, qui est materia pediculorum.* 17. Pediculi ex coitu generant quædam, quæ vocantur lendes, & pulices quosdam vermiculos, speciem ovi gerentes. *Sed hæc juxta Aristotelem permanent in suo esse sordium, ita ut ex ijs neque fiat animal simile generanti, neque ullum aliud animal.* 18. Non obstante tamen hâc authoritate Aristotelis, negari non poterit, quòd tam pediculi, quàm pulices generant sibi similia per coitum. *Licèt nascantur etiam ex putri.* 19. Vulgò jactatur, à cimicibus contritis, novos exoriri cimices. *Sed id non videtur verisimile Scaligero, & Aldrovando.* 20. Pulices non solùm animalia infestant, sed & olera, & fruges arodunt. *Sed hi pulices sunt alterius generis.* 21. Temporibus frigidioribus languescunt, vel omninò deficiunt: æstivis calidisq; vigent maximè, & infestant, & tunc, cùm imminent pluviæ, acerbiùs mordent.

§ XXVI.

§ XXVI.

De Antipathia, & Sympathia Insectorum.

1. SErpentes habent cum homine antipathiam, & viciſſim, quam multi Authores putant eſſe fundatam in mundi primordio, quando Deus ſerpentem alloquens dixit: Ponam inimicitias inter te, & Mulierem, & inter ſemen tuum, & ſemen ejus, ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus. Geneſis cap. 3. 2. Plinius ſcribit: inter ſerpentem & hominis jejuni ſputum, tantam antipathiam eſſe, ut ab hac tanquàm à ferventi aqua abhorreat. *Serpens ſiquidem frigidæ ac ſiccæ eſt temperaturæ, homo autem calido, & humido præditus eſt temperamento.* 3. Circa Heleſpontum, genus hominum fuiſſe ſcribunt Authores, quos Ophiogenes, ſeu Anguineos nominant, qui ſerpentum ictus, ſolo tactu ſanabant, & manu ſuper patientem impoſitâ venenum à corporibus extrahebant. *Ob ſingularem ſcilicet antipathiam.* 4. Serpentes antipathiam habent etiam cum Aquilis. *Hinc aquilæ oċtidim lapidem in nidum deferre ſolent, ne illis ſerpentes appropinquare poſſint.* 5. Intercedit quoque antipathia inter ſerpentes & pavones, uti & ciconias. *Pavo enim clamore ſuo perterrefacit, & cuncta venenata animalia depellit. Ciconia autem eoſdem interimit.* 6. Cervi, uti etiam Elephanti, ſerpentes è cavernis halitu attrahunt, & devorant, & his conſpectis ſerpentes ſe ad cavernas conferunt eóſque fugiunt. 7. Simpathiam verò habent ſerpentes cum vulpibus, unde in cryptis ſæpè ſimul degunt. Item cum anguillis, *Ob ſimilitudinem formæ, & naturæ.* Item cum felibus & muribus, cum quibus interdum colludunt. 8. Viperæ muribus ſunt inviſæ, unde ſi hi viperæ ſibilum audiant, muſculos à proprijs cavernis ſtatim aliò transferunt. 9. Eſt quoque magnum diſſidium inter viperam, & oſſifragam aquilam, uti & terreſtrem teſtudinem. Cum his enim ſæpiùs viperæ pugnant: & hæ contra viperæ venenum antidoto ſe muniunt, oſſifraga quidem herbâ quadam ſimili ſoncho, teſtudo verò rutâ vel origano. 10. Veſpas averſantur apes, quæ contra eaſdem ſe defendunt, & à ſuo examine ſecernunt. 11. Noctua quoque veſpis eſt inimica. 12. Veſpæ viperis ſunt tam malignæ, ut in illas veneno infectum aculeum dimittant, quo dein multò perniciosiores ictus faciant. 13. Sunt, qui adeò à cicada ſibi cuculum timere putent, ut nunquam cantet, ubi illa fritinnit. 14. Locuſtæ teſte Ariſtotele contra ſerpentes pugnant, collúmque illorum ſeu fauces apprehendentes eoſdem necant. 15. Apibus inimica eſt formica. 16. Eaſ-

dem nonnulli Elephanti metui esse dicunt, ne scilicet eorundem promuscidem subeant. 17. Scorpius, & crocodilus genuino se odio prosequuntur, simúlque, ubi alter alterum conspexerit, in mutua funera rapiuntur. 18. Si scorpiones stellionem intueantur, solo aspectu illius immobiles, ac demùm mortui redduntur. 19. Theophrastes ait: Scorpionum ictu serpentes interire, homines non item. 20. Idem Theophrastes scribit, quòd cùm quidam scorpionem cum vipera in eadem phiala inclusisset, invenerit mutuo se ictu interemisse. 21. Hoc quoque mirum, quòd cùm sol in cancro est, serpentes ictibus scorpionum torqueantur, ut tradit Plinius lib. 8. Histor. c. 29. 22. Torpescunt scorpiones *aconiti* tactu, stupéntque pallentes, & vinci se confitentur, ut scribit idem Plinius lib. 22. cap. 2. 23. Aranei nulli animantium sunt concordes, nec inter se quidem, quin & aliquod araneorum genus est, quod adeò vel ipsos parentes oderit, ut etiam ipsos necet. 24. Nullum est animal in hoc terrarum orbe, quod Basiliscum innato odio non prosequatur.

§ XXVII.

De varijs Vermium generibus.

1. Vermis dicitur à vertendo, aut verrendo teste Isidoro, quasi vertens, & verrens. *Quia in multas partes se vertit ac torquet, dum repit, vel quia verrit, idest, ut idem exponit, ad partes appositas se trahit.* 2. Vermium varia sunt genera. *Differunt enim inter se magnitudine. Sunt enim alij parvi & minuti, alij magnitudine medij, alij longissimi.* 3. Differunt præterea inter se coloribus, ídque vel in toto corpore, vel in aliqua ejus parte. 4. Alij rursus sunt caudati, alij sine caudis: alij item pilosi, & hirsuti, alij paucos, aut nullos pilos habentes. 5. Differunt præterea inter se secundùm materiæ diversitatem. *Nascuntur siquidem alij in animalibus tum vivis, tum etiam mortuis, alij in stirpibus, & plantis, alij in fossibus aut lapidibus & metallis, alij in meteoris.* 6. Alij item sunt sine pedibus, alij pedes multos habentes, alij terrestres, alij aquatici. 7. Vermes nonnisi ijs aluntur, è quibus enati sunt. Ut animalium animalibus, stirpium, stirpibus, meteororum, meteores corporibus. 8. Sensus, tactus, & gustus omnibus inest. Percepto enim sonitu latescunt, & sapores optimè discernunt, amara enim & salsa refugiunt, dulcia verò appetunt, & sugunt. 9. Materia omnium vermium est putredo. *Atque hæc oritur ob humoris nimiam ubertatem, quæ calorem, cujusque materiæ, puta animalium, plantarum, aquæ, aut terræ opprimit.* 10. Calida, & humida intemperies, maximè gene-

generandis vermibus idonea est. *Quo fit ut æstivis temporibus, auráque subtepidâ vermes faciliùs generentur.* 11. Nulli vermes ab alijs vermibus per coitum generantur. *Sed omnes ex putri materia.* 12. Nati autem vermes per se augentur, principio enim parvi, mox grandiores evadunt. 13. Nasci vermes etiam in hominibus adhuc vivis certum est, non tamen in omnibus ejusdem partibus. *Sic Lumbrici nascuntur in intestinis: nascuntur subinde vermes etiam in cerebro: in auribus, item & sub lingua: nec dentes ab hoc malo immunes sunt: in pulmone item, & aspera arteria.* 14. Possunt tamen, & in alia quavis parte corporis humani vermes generari. *Accedente scilicet tumore aut ulcere.* 15. Vermes non solùm in homine, sed & in alijs animalibus producuntur. In quadrupedibus quidem, ut equo, asino, porco, cervo, capra, ove, cane, lupo, in avibus, ut accipitre, pullis sturnorum & quibusdam domesticis: in piscibus ut mullo, in insectis ipsis, ut araneis, locustis. 16. Nascuntur etiam vermes ex fimo, ex sterquilinio, uti & alia multa insecta. *Ut habetur experientiâ.* 17. In plantis quoque omnibus, ut herbis, fructibus, arboribus sui sunt vermes, quos generant. 18. Nec certam definitámque partem habent plantæ, ex qua suos vermes generant, sed quandóque ex varijs partibus earum, ij oriuntur. Omnes autem hi vermes differunt plurimùm inter se, unde ex semine, fructu, radice, folijs, floribus, alij oriuntur, quàm ex caule truncóque. 19. In radicibus autem arborum natus vermis maximè pernitiosus est illis. Arbor enim quantacúnque sit, & hæc floreat, fructúsque proferat, si vermis in radice lateat, indubiè exarescit, vel si non exarescit, amarorem quemdam per omnes fructus, & ramos diffundit per ipsa fructuum semina. 20. In frugum quoque radicibus, ut hordei, & avenæ, nascuntur vermiculi. 21. Sentiunt etiam semina vermiculos, ut fabæ, & milij, inter frumenta autem maximè tritici, atque ciceris. 22. Avellanæ quoque fructus vermem patitur, qui nucleum consumit, & corticem pertrudit. 23. In spinosis quoque herbarum fructibus cernuntur vermes, iique asperi lanuginosique. 24. Etiam in seminibus acribus, & acerbis, ut nasturcij, porri, sinapi, & similibus nasci vermes testatur Theophrastus. 25. Existimant tamen aliqui immunes esse à vermibus, salviam, buglossum, borraginem, & alias quasdam herbas. 26. Similiter cucurbita, quamvis turgeat, nullos tamen vermes patitur. 23. Mirum autem est, & in absinthio certos vermes nasci, cùm id sit amarissimum, oportunúmque remedium arcendæ putredini. 28. Frequentiùs autem in ijs rebus fit vermiculatio, quæ dulci abundant succo. *Talis enim succus cùm sit calidus, & humidus ex propria natura præstat aptam materiam vermiculationi.* 29. Sunt etiam vermes Teredi dicti, qui linguâ terunt, & corrodunt.

dunt. 30. Sunt itidem etiam Lumbrici terrestres. Hi sunt in corpore humano nascentibus similes magnitudine, colore subalbo, & interdum sanguineo, qui pluvijs cadentibus subitò è terra prodire solent. 31. Alij item Ascarides dicti, vermes parvi, nec unius, & ejusdem coloris, qui reperiuntur sæpè multi in unum aliquem locum congregati. Hi vel maximè segetes devastant. 32. Reperiuntur etiam vermiculi in terra cœnosa. *Quia putredo aquæ est materia oportunissima ad eorundem generationem.* 33. Sunt qui affirmant, & è medio lapidum quorumdam, ex quibus calx uritur nasci animalia diversarum specierum, itémque vermes denso pilo, multísque pedibus. 34. In ipsis quoque saxis, & metallis reperiuntur quandóque vermium instar insecta, quamvis id accidat rarissimè. 35. Sed quod mirum videtur, etiam in nivibus, vetustis diuturno tempore permanentibus (uti accidere solet in altissimis alpibus) generantur certi vermes, quos Theophanes Oripas vocat. *Cujus rei Julius Cæsar, Scaliger, hanc causam assignat: quòd in nivibus multùm est aëris, & spiritûs, qui posteà calefactus hos generat.* Est enim inquit, ea nivis natura, ut terram etiam impinguet, & lutum ex ea fiat.

§ XXVIII.

Usus Insectorum in Medicinis.

1. OLeum de Serpentibus modo Medicis noto præparatum remedium est podagræ. 2. Cineribus serpentis strumæ curantur. 3. Jecur serpentis (teste Plinio) si quis degustaverit, deinceps à nullo serpente lædetur. 7. Facies sanguine serpentis peruncta nullam dicitur contrahere maculam. 5. Carnes angvium, Lepræ medentur. 6. Easdem carnes ad vulnera, & incisos nervos sanandos admodùm conferre testatur Joannes à Porta. 7. Senectam angvium combustam, & illitam ad decorem pilorum conducere Galenus autumat. 8. Eadem membrana angvium, sed melius viperarum utilis est ad hebetudinem visûs, & suffusionem oculorum tollendam, ut tradit Cardanus. 9. Fel testudinum cum senecta angvium & aceto, purulentis auribus prodesse aliqui Medici opinantur. 10. *Archigenes* apud Galenum senectam angvium, cum capitibus papaveris in oleo coctam auri dolore vexatæ, infundere docet. 11. Eandem senectam angvium cum masculo cancro tritam morsibus canis rabidi imponendam svadet Plinius. 12. Major adhuc est usus in medicinis viperarum, nam ut ait Aldrovandus: nulla est pars hujus bestiolæ, etiam minima, quæ usui Medicorum non famuletur. 13. Inchoando igitur à capite asseverat *Vicherius*,

caput viperæ collo appenſum adversùs gutturis affectiones efficax celebrari. 14. Cerebrum ejuſdem in pellicula ligatum dentitiones ex Plinio adjuvare perhibetur. 15. Sunt qui dentem viperinum in uſu medico commendent, quòd hoc dente tactus, nulla impoſterùm venena formidare feratur. 16. Jecur viperæ coctum magno uſui illis futurum arbitratur Plinius, qui morſus ſerpentum timent. 17. Exta viperina (juxta Plinium) impoſita cuique vulneri ſerpentino, quamvis inſanabili, illud perſanant. 18. Oſſa ejuſdem beſtiæ in purpurea ſindone ligata ſi deferantur, omnem effectum venenoſum ſuperant. 19. Carnes viperinæ ad multas affectiones conducunt, & eaſdem *Dioſcorides* ad propagandam vitam & arcendam ſenectutem commendat. 20. *Cardanus* non ſolùm Elephantiacos, ſed etiam phthiſicos, & lue gallicâ laborantes viperis ſanabat. 21. Ex qua ratione aliqui carnibus viperinis gallinas, & capones ſaginant, atque his ſic ſaginatis utiliter in conficiendis medicinis utuntur. 22. Demùm in conficienda Theriaca carò viperina primum quaſi locum obtinet. 23. Si corpus colubri totum in olla includatur luto probè circumlita, & in igne ex ſarmentis vitium excitato, cremetur, pulveres hi ſeu cineres oleo permixti, ad diſſolvendas ſtrumas magnificat *Sylvius*. 24. Lapis, qui in angve ſubindè invenitur, in deſiccandis humiditatibus ſuperfluis mirè deprædicatur à Medicis. Quo circa tanquam ſummum præſidium commendatur in Hydrope. 25. Fit ex veſpis aqua, quæ miras habet virtutes, faciendo tumores abſque dolore. 26. Erucæ olerum, cum oleo inunctæ, tutos à *Virulentorum Animalium* dicuntur conſervare. 27. Eædem oleo mixtæ, authore *Dioſcoride* fugant ſerpentes. 28. Bombycum ſericum combuſtum putrida vulnera mundare, ac corroborare, item cum ſale uſtum dentium rubiginem curare, tradit *Vincentius*. 29. Idem ſericum maximè aceto tinctum in vulneribus capitis duræ matri applicatum, cerebrum corroborat, & à putredine tuetur. 30. Cicadæ teſtæ pro cibo datæ, vel aridæ tritæ cum aqua, veſicæ doloribus proſunt. 31. Pro morbo Comitiali curando viginti muſcas rufas, & quidem mortuas, infirmioribus verò pauciores in potu dandas præſcribit Plinius. 32. Idem Plinius tradit lib. 10. cap. 8. pedes locuſtarum cum ſevo hircino lepras ſanare, ipſa verò habet virtutem pellendi calculum. 33. *Dioſcorides* teſtatur Locuſtam, ſiccatam, ſi ex vino bibatur, contra ſcorpionis morſus magnoperè juvare. 34. Sunt, qui aſſerunt locuſtam collo appenſam liberare hominem à quartana. 35. Scarabæum aurium doloribus prodeſſe, ſi oleum, in quo efferbuit, auribus inſtilletur, ait Galenus. 36. Cantharidum uſus apud Medicos contra varios morbos eſt prorſus frequentiſſimus. 37. Adhibentur itaque imprimis ad ulcera maturanda aperiendáque. 38. In pulveres

tritæ,

tritæ, sanguinéque hircino mixtæ, & in vino sumptæ, intumenti corpori sunt utilissimæ. 39. *Hypocrates* ad Hydropicos curandos præscribit tres Cantharides, demptis alis, capitibus, ac pedibus, in cyathis aquæ tribus tritas. 40. Eædem brachio ac scapulis appositæ urinam potenter procreant. 41. Sanant quoque albas faciei pustulas cum aceto illitæ, uti, & scabiem & carcinomata cum oleo coctæ. 42. Blattarum (ut docet Dioscorides) quæ in pannificijs, pistrinísque versantur, interanea exempta contritáque cum oleo, doloribus aurium medentur. 43. Formicæ alatæ potissimùm contritæ adjecto sale exiguo, lepras & lentigines sanant. 44. Scorpionum cinis in pane sumptus ad calculos pellendos utilis esse traditur. 45. Oleum è Scorpionibus lapidem, & verum calculum frangit. 46. Ejusdem olei mirabilis effectus est contra venena, & præcipuè serpentum, & aliorum venenatorum animalium. 47. Præstat idem oleum cùm in homines pestilentia sævit, quippe quod non modò peste infectos juvet, sed & sanos præservet. 48. Quòd si quis scorpiones attritos ex vino vel mulso sumat, qui regio morbo laborat, quamprimùm teste Galeno liberabitur. 49. Testatur Galenus scorpium convenire quoque putari ijs, qui à vipera demorsi sunt. 50. Item in Podagricis cum aceto rosaceo impositos, eorum inflammationes levare. 51. Araneus subactus *Splenio*, & illitus linteo, & sic fronti vel temporibus alligatus tertianam febrim sanat, ita *Dioscorides*. 52. Est item quædam aranea longa, & candida, tenues habens pedes, quæ si contrita fuerit in veteri olivarum oleo, rubiginem solvit oculorum. 53. Tela aranearum valet ad summæ cutis vulnera, si eidem imponatur, uti vulgo notum est. 54. Tela insuper aranei præsertim candida, & pura, vim constipandi habet, uti, & refrigerandi. 55. Recentibus item vulneribus apposita à sanie ea præservat: maculas adhuc recentes abstergit, inflammationem vulneris, quæ illud ad sanitatem pervenire non sinit, fieri prohibet. 56. Eadem admixta quibusdam ungventis, & temporibus imposita, febres curat. 57. Cum oleo instillata in aurem dolorem ejus sedat. 58. Cantharides telâ araneârum involutæ, & quartanâ febri laboranti suspensæ, eum perfectè traduntur liberare. 59. Vermes roborum, combusti cum pari pondere anisi, & oleo illiti ulcera omnia sanant. 60. Vermium terrenorum cinis, si oleum ei admiscetur, præstat ne capilli canescant. 61. Morbo quoque regio resistunt vermes terreni, in aceto vel mulso cum myrha poti, teste Plinio lib. 30. cap. 11. Sed de his plura Medici, & signanter Aldrovandus in Tomis de Serpentibus, & Draconibus, ac Insectis.

§ XXIX.

§ XXIX.

Variæ circa Inſecta curioſæ Quæſtiones.

1. QUærunt Theologi, cur Diabolus Evam ad peccatum incitans potiùs Serpentis, quàm Columbæ formam induerit? ℟. Quia Spiritus Sanctus, ſpecię Columbæ appariturus erat, unde DEUS hanc formam homini ſuſpectam & odioſam reddere noluit. 2. Quæri poteſt. Qualis fuit ſerpens, qui Evam tentavit in Paradiſo? ℟. Fuiſſe verum & naturalem ſerpentem, in quem tamen ſeſe Diabolus inſinuavit, & per eum, quaſi per organum ſuum, formavit humanas voces. 3. Quæri poteſt. Cur Eva non exhorruerit ad congreſſum ſerpentis? ℟. Quia in ſtatu innocentiæ omnia Animalia placidè atque obedienter fuerunt homini ſubjecta, & ſicut nihil mali poterant inferre homini, ita nec ullum timorem aut horrorem ullum incutere. 4. Quæri poteſt. Cur ſaltèm non obſtupuerit Eva audiens ſecum loquentem & diſputantem ſerpentem? ℟. Quia cùm Eva noviſſet ſerpentem à DEO creatum, ipſum quoque officium loquendi, à DEO accepiſſe putavit. 5. Quæri poteſt. Utrùm Maledictio ſerpentis ad vèrum ſerpentem, an ad diabolum ſit? ℟. Maledictionem illam ſecundùm Hiſtoricùm ſenſum ad verum ſerpentem pertinuiſſe, ſecundùm verò ſenſum Myſticum ad ipſum Diabolum, tanquàm Authorem illiùs ſceleris. 6. Quæri poteſt. Cur DEUS maledixerit ſerpenti, licèt is nihil peccâſſet? ℟. DEUM maledixiſſe ſerpenti, quia fuit inſtrumentum ejuſdem ſceleris; cujus cauſa principalis fuit Diabolus. 7. Quæri poteſt. Qualiſnam fuerit ille ſerpens, quem Moyſes in Deſerto exaltavit? ut habetur in Sacris Literis Numerorum cap. 20. ℟. Non fuiſſe verum ſerpentem, ſed ad ſimilitudinem ſerpentis ex ære fabrefactum, quem intuentes, ab ictibus ſerpentum ignitorum læſi ſanabantur, Myſticè enim ſignificabat Chriſtum Salvatorem Cruci affixum, qui vulnera noſtra ſanavit, & contemplatione ſuæ Paſſionis nos à peccatis curat. 8. Quæri poteſt. Qualeſnam fuerint ſerpentes illi igniti, quos DEUS in Populum Iſraëliticum immiſit, contra Moyſem murmurantem? ℟. Fuiſſe quidem veros ſerpentes, ignitos autem ex eo dictos, vel quia erant rubei coloris, qui ad inſtar ignis rutilabant, vel ob exquiſitum doloris ſenſum, nam corpora ad eorum ictus, contractâ febri, maximâ inflammatione corripiebantur, vel quia igneas ſpirabant ſcintillas. 9. Quæri poteſt. Utrùm ſerpentes illi, in quos virgæ Magorum incantationibus Ægyptiorum coram Pharaone, fuerunt tranſmutatæ, veri ac na-

turales serpentes fuerint? ℟. Veros ac naturales serpentes fuisse. Scriptura siquidem narrat, ijsdem verbis, eodémque modo Virgam Moysis & Virgas Magorum in serpentes mutatas fuisse. Atqui Virga Moysis mutata est in verum serpentem. Ergo. 10. Quæri potest. Quâ ratione dicti serpentes à Magis produci potuerant? ℟. Fieri id potuisse, ut Dæmones non advertentibus spectantibus, virgas à magis projectas, statim à conspectu eorum clanculum auferrent, & pro illis angves antè paratos, vel aliunde delatos oculis eorundem subjicerent, ita ut virgæ in serpentes transmutatæ viderentur. 11. Quæri potest. Cur Salvator nos monet, ut simus prudentes sicut serpentes? Matth. 10. ℟. Quia ut S. Chrysostomus Hom. 34. in Matthæum scribit: Sicut serpens, si in manus venatorum inciderit, aut etiam vulneribus sauciatus fuerit, capite tamen servato, vulnera illa parvi pendit, ita Christicolæ etiam, omnibus pereuntibus, caput seu fidem conservare & tueri debent. 12. Quæri potest. Utrum serpentes solis in cantationibus comprehendi & necari possint? ℟. Affirmant id non pauci nixi potissimùm varijs Poëtarum authoritatibus, & priscâ populi opinione. Antiquitas enim opinata est cantationibus & verbis incantationum, angves evocari ex cavernis, & ita inflari ut tandem disrumperentur & dissilirent. Verùm hæc pro anili fabula habenda sunt. Verba siquidem nihil aliud sunt, quàm voces linguâ, palato & dentibus ac labijs prolatæ, & ex aëre reverberatæ: quæ nullam corporibus impressionem facere possunt, adeóque nec ullam in illis alterationem vel immutationem. Si igitur ad similes incantationes aliquis effectus sequatur, id per magiam fieri necesse est: Dæmon siquidem, ut homines ad superstitionem inducat, ad similia lubens cooperatur. 13. Quæri potest. Quomodo igitur intelligenda sunt verba illa Scripturæ sacræ: *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non audiet vocem incantationum, & venefici incantantis sapienter?* ℟det S. Augustinus in Psalmum 57. Hunc locum intelligendum esse, ut incantationes (tanquam res superstitiosæ) damnarentur, & similitudines nos erudiant. Non enim (inquit) omnia quæ in Scripturis & sacris Literis ad aliquam similitudinem commemorata sunt, semper approbantur, sed ita accommodanda sunt, ut earum similitudinibus, erudiamur. 14. Quæri potest. Cur serpentes reliquo corpore quiescente caput in partem posteriorem vertere possint? ℟. Quia structurâ volubili constant & ex vertebris cartilaginosis & flexilibus integrantur, quas natura ijsdem tribuit, ut noxia vitare possint, nam aliàs ob longum corpus, & defectum pedum, inepti sunt ad se convertendum, sola verò erectio capitis, nihil utilitatis illis adferret, nisi illud convertere possent. 15. Quæri potest. Cur linguæ serpentum sint vene-

venenosæ. ℟. Quia sunt poris refertæ, per quos malitia humoris venenati, in animali prædominantis inde facilè egreditur. 16. Quæri potest. Cur morsus serpentum & maximè angvium sit venenosus? ℟. Quia per iram, in ijs bilis subtilissima & simul venenosissima per totum corpus diffunditur, consequenter & ad dentes penetrat, sicque in morsu relinquitur. 17. Quæri potest. Cur partes corporis demorsæ ab angvibus intumescant? ℟. Quia cùm bilis angvium sit calidissima & subtilissima, celerrimè partes corporis penetrat, & quascunque humiditates invenerit, omnes in crassos & venenatos vapores, convertit. 18. Quæri potest. Cur serpentes frigidâ aquâ aspersi illicò fugiant? ℟. Quia cùm sint animalia frigidâ temperie prædita, extrinsecum frigus superadditum horrent; hinc hyeme latibula quærunt, & oriente sole ex suis cavernis prodeunt, rursúsque eo occidente se occultant. 19. Quæri potest. Utrùm verum sit, quòd partus viperarum, matrem interimant? ℟. Id ordinariè non fieri: verum quidem est, quòd vipera priùs ova unius coloris & mollia instar ovorum piscium concipiat, deinde fœtum utero excludat; sed si partus fiat maturè & debito tempore; partus viperarum fit sine earum læsione; si verò permaturæ viperulæ ex utero matris erumpant, accidit ut in partu matrem interimant. 20. Quæri potest. Quâ virtute, & vi serpentes à cervis ex suis cavernis extrahantur. Tradit enim *Isidorus*, & cum eo alij rerum Naturalium Scriptores, quòd cervi statim atq; aliquâ ægritudine premuntur, latebras serpentum inquirant, iísque spiritu narium attractis pro palato utantur, & sic pristinæ sanitati restituantur? ℟. Aliquos existimare, quòd cervi narium spiritu serpentes attrahant è cavernis, quemadmodùm Magnes ferrum, & Succinum paleas. Alij verò ajunt serpentes à cervo non flatu latibulum ingrediente, sed potiùs aërem cavernæ, quoad fieri potest exhauriente protrahi, ita ut serpens sequatur aërem non secùs ac vinum & aqua, attracto aëre ascendit per fistulam. 21. Quæri potest. Quisnam sit verus modus generationis Apum? ℟. Quæstionem hanc esse solutam Dissertatione præcedente § IV. sicut & alia de earum melle § V. 22. Quæri tamen adhuc prætereà posset. Cur apes longissimè vivere dicantur? ℟. Hanc longitudinem vitæ apum, esse solùm respectivam, respectu aliorum Insectorum: nam apum vita, juxta Arist. lib Histor. Animal. cap. 22. est duntaxat sex aut septem annorum, vel ad summum decem, siquidem decimo intertentionis anno, gens universa (ut ait Columella) unius alvearis consumitur. Cur autem diutiùs vivant, quàm alia animalia Ratio est. Quia id quod in illis sanguini proportionaliter respondet, pingue est & dulce. Dulcedo porrò est calida, calidum autem in pinguedine & lentore diutiùs continuari & perseverare potest. 23. Quæri potest. Cur mel apum,

pum, ulceribus horridis & reficcatis sit acre, cùm tamen gustui dulce sentiatur? ℞. Quia mel tenuitate suâ horrida & reficcata ulcera subintrat, & acriter morsicat, gustus verò cùm sit humidus svaviùs lenitatem ejusdem mellis percipit. 24. Quæri potest. Cur mel morbo regio laborantibus videtur & est amarum? ℞. Quia lingua eorundem, bile amarâ redundat. 25. Quæri potest. Cur mel, quò recentiùs, vinum verò quò vetustius, melius sit? ℞. Quia natura mellis naturæ est *aridæ*, vinum verò humidæ quod indè patet, quoniam Medici, quæ humectanda sunt, vino fovent, quæ exsiccanda, melle liniunt. Jam verò humor vini diuturnitate temporis cruditatem suam evaporat, sicque fit maturiùs & melius: mel verò diuturnitate temporis magis arescit, vigorémque suum deperdit, sicque fit deterius. 26. Quæri potest. Utrùm Bombyces, & serici ex ijs conficiendi ratio, veteribus Romanis & Græcis fuerint ignota? ℞. affirmativè. Quod vel inde patet, quòd nec Aristoteles, nec Plinius summi rerum Naturalium Indagatores *Veram* Bombycum & serici dederint descriptionem, esto prior faciat aliquam eorum mentionem lib. 5. Histor. Animal. cap. 10. n. 89. Unde meritò Zonaras scribit Bombycem, & rationem serici, ante tempora Justiniani Imperatoris Romanis fuisse incognitam. Primus autem qui sericum Romam detulit, fuit *Serus*, à quo hoc Bombycum opus sericum denominatum est. Prima autem telas texuisse, ex Bombycum opere in Insula *Coa* dicitur Pamphilia Laloi filia. Primus verò qui sericâ veste usus est apud Romanos fuit *M. Aurelianus Antoninus* Romanorum Imperator. 27. Quæri potest. Cur Cicadæ cantum suum æstate mediâ primò incipiant? ℞. Quia naturâ suâ valdè frigidæ sunt, unde post æstivum Solstitium canendi initium faciunt, nec nisi orto sole strepunt, ipsóq; meridie maximè canoræ sunt. 28. Quæri potest. Cur DEUS, Muscas, Culices, Vespas, & alia animalia pungentia, & noxia creaverit? ℞. S. Augustinus lib. 1. contra Manichæos cap. 16. fatetur se nescire cur muscæ & ranæ creatæ sint à Deo, aut vermiculi, videri tamen omnia in suo genere esse pulchra, quamvis propter peccata nostra, multa videantur nobis adversa, sufficit nobis scire quòd omnia in mensura, numero, & ordine sint creata à Deo, & quòd nullum animal sit tam vile, quod non ad utilitatem hominis, vel spiritualem vel corporalem à Deo conditum sit. 29. Quæri potest. Cur culices non omnes æqualiter mordeant, imò quosdam nec attingant, muscæ verò sine discrimine omnia, cùm homines, tum bruta impetant & affligant? ℞. Quia cùm duce odoratu, bruta & insecta etiam pascantur, naturæ & inclinationi suæ proportionato alimento, & culex gaudeat acidis (quod vel inde patet quòd fructus non attingant, priusquàm corruptione acrorem contrahant) ideò quibus sanguis

est

eſt purus & minimè putridus, culices non infeſtant. Muſcæ verò cùm ſit animal omnivorum, promiſcuè omnia infeſtat, licèt dulcibus maximè delectetur. 30. Quæri poteſt, Quales fuerant Locuſtæ illæ, quibus S. Joannes Baptiſta veſcebatur? Ut legitur apud SS. Matthæum & Lucam cap. 3. & apud S. Marcum cap. 1. ℟. Licèt alij putent nomine Locuſtarum hîc intelligendas eſſe herbas, eo nomine nuncupatas, ut teſtatur Brocardus in deſcriptione Terræ Sanctæ, quibus veſci Monachos ad Jordanem, ſe vidiſſe ait; alij autem affirment fuiſſe piſcem Marinum hujus nominis; Verò ſimiliùs tamen eſt, fuiſſe locuſtas communes, quibus ſalitis vel toſtis vel elixis, vel in *polliginem* redactis, multarum Regionum populi veſcuntur, & præſertim pauperes. Certè Levitici 11. ℣. 22. Locuſtæ inter mundas volucres numerantur, quod ſignum eſt, in uſu cibi locuſtas fuiſſe. 31. Quæri poteſt. Qualenam fuerit Mel illud ſylveſtre, quo victitabat S. Joannes Baptiſta? ℟. Sunt qui putant fuiſſe ſiliquas mellei ſaporis certarum arborum, quarum ingens eſt copia in Montanis Judææ, & etiam nunc vocantur, à multis Nationibus Panis S. Joannis. Sed apud nos in Hungaria hoc nomine, certæ radices, pariter mellei ſaporis, appellantur. Certiûs tamen eſt mel illud ſylveſtre ſeu agreſte, fuiſſe verum mel, quod tamen ab agreſtibus apibus conficiebatur, notum ſiquidem eſt in aliquibus Regionibus, præſertim calidioribus; tantam copiam eſſe apum, ut cùm alvearibus contineri non poſſint, in ſylvas avolent, & aut in cavitate arborum, aut in rupium ſciſſuris mellificent. Quod de Palæſtina maximè credendum eſt, & quia calida, & fertilis, & quia Scriptura ſacra ſæpè eam vocat, terram melle ac lacte manantem. 32. Quæri poteſt. Unde illud in ordine ad formicas adagium: *Triticum in cœno ſerito, hordeúmque in pulvere?* ℟. Quia ſi in ſicco ſeratur triticum, formicæ ejuſdem granis ſtatim inſidiantur, hordei autem granis non ita, quia non tam facilè ea portare ac deferre poſſunt, cùm ſint grandiuſcula. Quæri poteſt ultimò. Cur Aranea in medijs caſſibus, ſeu retibus, excubare conſvevit? ℟. Quia cùm illa fila, quæ in centro, ad peripheriam ducuntur, æqualia ſint, aranea in medio ſeu centro conſiſtens, pedibúſque tenens filorum exordia, facilè undique perſentire poteſt, ſi quæ in plagas temerè beſtiola convolavit.

§ XXX.

De modis, noxia Inſecta capiendi, repellendi & fugandi.

Licèt hac de re nonnulla attigerimus Decadis primæ Partis ſecundæ § VII. hujus Operis, ubi egimus de Inſectis, aliiſque rebus noxijs, à frumento, horto, & domo avertendis, reſtabunt tamen aliqua de his in præſenti quoque dicenda.

1. PRimò itaque Agyrtæ impunè tractant, & capiunt serpentes certo quodam unguento manus priùs illiniendo, vel statim salivâ perungendo, cujus contactu veneni feritatem deponunt. 2. Ut serpentes prorsus fugentur & dissipentur, varia media ex animalibus, plantis, & rebus inanimatis, ab authoribus adferuntur. Sic suffitus ex pelle elephantis, serpentes fugat, & ejus adipe teste *Portâ* inunctus, ab ijs timetur. 3. Albertus Magnus pingvedine Leoninâ perlinitum, non solùm à cæteris animalibus, sed etiam à serpentibus asserit. 4. Cervus multas habet partes, quæ prærogativam fugandi serpentes possident. 5. Sunt qui cornu Tauri in locis ab angvibus frequentatis comburunt, ad eosdem depellendos. 6. *Dioscorides* Erucas in oleribus genitas, cum oleo miscere jubet, & compositionem ad arcendos serpentes commendat. 7. Idem Author gravem abrotani odorem, serpentes fugare asserit. 8. *Gajates* lapis hanc peculiarem qualitatem habere dicitur, ut eum deferens, non mordeatur à serpentibus. 9. Veteramentorum quoque fumus, contra serpentes valet. 10. Aliqui calce vivâ in aqua dissolutâ cavernas serpentum ad eosdem interimendos irrigant. 11. *Avicenna* aquâ, in qua sal armoniacum dissolutum priùs fuerit, locum aspergendum ait, ut is à serpentibus securus reddatur. 12. Suffimenta ad arcendos serpentes idonea esse censentur, ex cornu cervi, capræ, aut damæ; item nasturcij, & urticæ. 13. Abrotanum quoque substratum in locis serpentibus obnoxijs, eosdem arcet. 14. Ijsdem autem medijs, quibus serpentes fugantur, fugantur etiam viperæ. 15. Curculiones (qui sunt insecta, quæ granaria depopulantur) arcentur, vel ortum eorundem inhibendo, vel si jam nati sunt, fugando & interimendo. 16. Inhibentur verò curculionum ortus, si frumentum debito modo reponatur, quod fiet, si reponatur sine pulvere, optimè siccum, atque refrigeratum, & granaria quoque rectè sint ædificata, quod fiet, si sint sublimata, & ad Septentrionem, vel Aquilonem spectantia ac disposita. 17. Liberum quoque est frumentum à curculionibus, si conservetur in fossis subterraneis (uti in Hispania citeriore, & in Hungaria moris est) si solùm illarum sit paleis bene substratum, & fossæ ita claudantur, ne humor, aut aër, eas attingere possit. Sic enim conditum frumentum manet ad annos quinquaginta, milium verò, plus centum annis. 18. Quòd si verò jam innati sunt curculiones in frumento, ne totaliter ab ijs id absumatur, expedit ut in aquam dimittatur, & inania grana, quæ protinus innatant, à solidis separentur, ac in sole rursus siccentur, & radice siphij tritâ cum aceto aspergantur, defricentùrque, atque sic rursus in sole exsiccatâ, & mox refrigerata condantur. 19. *Cato*, ne curculiones, aut mures lædant frumentum, murcâ arcas subigi præcepit.

20. Mul-

20. Multi opinantur (sed falsè) liberari posse frumentûm, jam ab innatis curculionibus, si excussæ fruges in horreo, vel granario eventilentur, & refrigerentur, neque enim hoc facto, expelluntur hæc perniciosa animalia, sed immiscentur reliquo quoque adhuc integro frumento. 21. Nihil autem ad perimendos curculiones, efficaciùs est, quàm salsugo, in qua allium decoctum est, si eâ irrigentur pavimenta, ac parietes, confestim enim aliò migrant ac granaria deserunt, odorísque tetri halitu exanimantur. 22. Idem quoque præstat sulphur, cornu cervinum, hedera, gallanum, ac graveolentia quæque, quorum suffitum nec curculiones, nec vespertiliones, nec serpentes, nec cæteræ noxiæ bestiolæ ferre possunt. 23. Similiter & sambuci odor non solùm curculiones, sed & erucas arcet, blattásque ac tineas perimit, quemadmodùm & absynthium, ruta, abrotanum, saturia, ita & glandis folia, lævendula, pulices cimicésque perimunt. 24. Experimento insuper habetur naporum semen, miram vim habere in prosternendis, conficiendísque curculionibus, svavitate enim hujus illecti, cùm id dulce, & oleosum sit, deserto tritico avidissimè illud appetunt. 25. Demùm sunt qui milium frumento miscent, contra curculiones, quòd hoc calorem frumenti temperet. 26. Ne muscæ ad carnes advolent, sunt, qui frustillum cæpæ carnibus apponunt. 27. Plinius foliorum minoris sambuci decocto, si locus aspergatur; muscas arceri asserit. 28. Idem Helleboro albo cocto, & cum lacte sparso, præstari ait. 29. Sunt, qui ubi ex cucurbitæ folijs factus est suffitus, adire muscas negant. 30. Similiter si cucurbitæ decocto locus conspergatur. 31. Alij absynthio trito, & cum lacte cocto, ad eundem finem consequendum utuntur. 32. Quidam etiam origani succum, cum lacte & suillo felle, & malo granato contuso, & aqua dilutum, terram ad muscas abigendas conspergunt. 33. Sunt, qui myrti, aut aliarum, hujusmodi plantarum fasciculos, è tabulato suspendunt, ad quos sub noctem congregatas undique muscas, tacitè simul cum fasciculis ad latum aliquem saccum immissas, quotidie magnâ copiâ occidunt. 34. Muscas, si voles, *Næpellæ* abiges odore? Item foliorum ejus decoctum respersum easdem fugat. 35. Ne pecora infestent muscæ, lauri succis & oleo inungantur. 36. Culices ne morsu hominem molestent, Divus Ambrosius & Plinius svadent, ut homo absynthium cum oleo coquat, & eo perungatur, aliqui tamen loco olei vinum adhiberi posse dicunt. 37. Laudatur ab alijs succus cumini, qui dentibus dum teritur, conficitur, sicque perungunt faciem, manus & alias partes corporis horum morsibus expositas. 38. Aliqui cannabis humidæ ramusculos, penes se dormituris apponendos svadent, alij addunt ad eos

non

non accedere culices, qui manum Thure, aut aceto, & oleo illiniunt. 39. Si spongiam acri aceto tinctam à capite suspenderis, & sub pedes, non te contingent; itémque si spongiam aceto simili imbutam è fastigio tabulati suspendas: omnes congregabuntur; ut scribit Aldrovandus. 40. Aliqui salviâ contusâ & mixtâ cum aceto, aut oleo corpus inungi jubent, alij ajunt, cumini semine contuso solummodò, aut cum vino albo subacto, & corpori illito præstari remedium contra morsus culicum. 41. Sed quia non solùm morsus culicum est hominibus molestus, sed & illorum sonus ingratissimus, ideò potiùs quærenda sunt media ad eosdem à domibus arcendis, ad quem finem efficacissima sunt variarum rerum suffimenta. 42. Talia suffimenta porrò sunt, ex fimo bovis masculi, Authore Dioscoride. Item absynthij, item lignipyri, & nonnullarum aliarum herbarum. 43. Locustæ pellentur, si lupinis amaris, aut cucumeribus sylvestribus in murca putrefactis, conspergantur. 44. Si captas locustas exusseris, cæteræ vivæ aut ab odore earum vertigine afficientur, & concident, aut emorientur, aut aliò illicò migrabunt. 45. Nihil omninò continget locusta ex ijs, quæ absynthio, aut porro, aut centauriâ aquâ tritis asperseris. 46. Cantharides vitibus noxias, stercoris bubuli, cui aliquantum galbani immixtum sit, suffitu procul abigi, nonnulli testantur. 47. Blattæ ab apibus arcentur acribus suffumigijs. 48. Libri à blattis defenduntur, si eorum involucra, acri alumine, aut nitri aquâ laventur, & sic exsiccentur. 49. Vestibus ne noceant blattæ in arculis, in quibus conservantur, collocandæ sunt herbæ calidæ & odoratæ, ex gr. folia lævendulæ, rosmarini, absynthij, & menthæ. 50. Ad cimices fugandos & tollendos, Varro lib. 1. de re Rustica cap. 3. jubet cucumerem angvinum condi in aquam, eámque infundi quo voles, ne ulli cimices accedant, item bubulo felle aceto mixto lectum ungi. 51. Aliqui ad cimices abolendos picem liquidam, & sylvestris cucumeris succum cubilibus aspergunt. 52. Alij ut pestem hanc arceant, taurino, aut hircino felle, addito acri aceto cubiculorum parietes illini svadent. 53. Dormientem non attingent cimices, si quis vas aquæ frigidæ plenum, lecticæ subjiciat. 54. Plinius lib. 22. cap. 9. folia utriusque Filicis, cimices arcere scribit. 55. Siliquæ Gelistæ semine prægnantes, si sub pulvinari, & lecto ponantur, cimices fugant. 56. *Ratis*, testatur, si ungatur corpus ex oleo, in quo decoctum sit absynthium, non appropinquare ad illud cimices. 57. Eosdem expellit fumus ex fimo bovino exsiccato. 58. Serum lactis, si quis adjecto aceto, in potione aliquoties sumpserit, teste *Marcello* ita liberatur à pediculis, ut penitùs extirpentur, nec posteà in eo nascantur. 58. Plinius in aceto tinctas vestes, vel indusia, pedi-

Pediculos ait non accedere. 60. Lendes, & alia capillorum animalia, alumen permistum aquâ interimet. 61. Gummi hæderæ junctum pediculos enecat. 62. Succus Genistæ cum raphanino, vel sinapino mixtus, tutissimum est remedium adversus pediculos. 63. Dioscorides allium cum origano decocto contra pediculos & lendes, utiliter adhiberi tradit. 64. Argentum vivum nonnulli pediculis internecionem afferre tradunt, præsertim si illud mixtum sit oleo, & corpus ungatur, vel si hoc inclusum corio, in collo gestetur. 64. Pulvis etiam argenti vivi cum pulvere plumbi, si super carbones spargatur & suffumigentur vestes, vel homo fumum hauriat, occiduntur pediculi, ut testatur Albertus Magnus. 66. Scoti, teste *Julio Scaligero*, adversus pediculos indusia croco tingunt. 67. *Marcellus* felle vituli caput perunctum, lendes ait exterminari. 68. Quod sunt pediculi in hominibus, hoc sunt ricini in brutis, ut igitur hi fugentur vel interimantur, oves ex. gr. detonsæ totæ amurcâ laventur sic, ut biduum vel triduum eandem consudent, tunc iterum aquâ salsâ abluantur. 69. Domus irrorata aquâ ex decocto semine rapæ, necat pulices. 70. Pariter decoctum rutæ vel rubi depellet pulices. 71. Nihil tamen æquè dejicit pulices atque res fortis odoris, velut ruta, mentha, allium, lupulus. 72. Fugantur etiam amurcâ frequenter per pavimenta aspersâ, vel cumino agresti aquâ trito. 73. Odor crematæ calcis eosdem expellet. 74. Pulegium recens incensum, pulices arcet. 75. Sanguis hirci si ponatur in fovea quadam in domo, pulices accurrunt & moriuntur. 76. Si quis scorpionem unum captum exusserit, reliqui quoque omnes scorpiones fugantur. 77. Quæcunque putredinem prohibent, quoque vermium, cujuscunque ferè generis, generationi, obsistent.



DISSERTATIO IX.

DE CALENDARIJ REFORMATIONE.

§ I.

Occasio hujus Dissertationis.


OCcasionem huic Dissertationi dedit, Annus præsens 1700. qui cùm deberet esse Bissextilis, utpotè quartus post intercalationem, non tamen erit Bissextilis. Cujus rei causa est. Quia licèt quartus quivis annus deberet esse Bissextilis, ex eo, quòd annus solaris præter dies 365. insuper habet sex horas, quæ sex horæ lapsu quatuor annorum conficiunt horas 24. adeóque constituunt integram diem, quæ proinde dies intercalatur, seu interponitur in quovis quarto anno, ita ut quartus quilibet annus sit dierum 366. Intercalatur autem hæc dies in anno Bissextili, mense Februario, ut tali anno, Februarius sit 29. dierum, cùm aliàs, communibus annis sit tantùm dierum 28. Et quia tali anno in Martyrologio Romano, bis legitur *sexto Kalendas Martij*, nempè 24. & 25. Februarij, ideò dictus est hic annus, *Bissextus*, seu *Bissextilis*. Verùm quia annus solaris non præcisè constat sex horis, supra dies 365. uti Sosigenes Julij Cæsaris Mathematicus, & Calendarium Julianum ab eo ordinatum supponebat, sed solùm horis 5. minutis 49. & 16. secundis ferè, uti Alphonsini, & recentiores Astronomi observârunt, cum quibus fermè consentit etiam Ticho Brache, ideò annus Julianus excedit annum Astronomicum minutis 10. & 44. secundis, sive resolutis minutis primis in minuta secunda 644. secundis. Quoniam verò unus dies habet 86400. secunda, facilè reperitur, quantum intervallum annorum Julianorum requiratur, ut unius diei integræ, fiat excessus dicendo 644. secunda sunt excessus unius anni, quot annorum erit excessus 86400. secundorum? operatione enim per Regulam auream institutâ provenient anni 134. intra quem numerum annorum, unâ die excedet, Calendarium Julianum, unum Astronomicum annum, prætermissis fractionibus. Unde accidit ut post annos 134. à Concilio Nycæno, quod celebratum fuit Anno Christi 325.

Æqui-

Æquinoctium cœleste non ampliùs contigerit 21. Martij, uti tunc temporis fuit, sed die 20. Martij, & post alios 134. annos, die 19. Martij, & sic consequenter, adeò, ut circa annum 1582. quo correctum est vetus, seu Julianum Calendarium, contigerit die 11. Martij, adeóque spatio 1257. annorum, quot elapsi fuerant à tempore Concilij Nycæni, usque ad annum correctionis Veteris Calendarij, nempè 1582. recesserit Æquinoctium à 21. Martij, usque ad 11. Martij per decem dies. Qui dein decem dies in reformatione Calendarij exempti sunt, & quidem in mense Octobri, ita, ut post quartam diem Octobris, loco quinti, assumptus fuerit dies decimus quintus Octobris, decem interjectis diebus omissis. Et ne rursus in eundem errorem posteritas delaberetur, quod necessum foret, ex eo, quòd annus solaris Politicus, seu Ecclesiasticus major sit Astronomico dictis 10. minutis, & 44. secundis, statuit Gregorius XIII. Pontifex, ut deinceps, non omnes centesimi anni (uti in veteri Calendario fiebat) essent intercalares, sed ut inter annos 400. post annum 1600. tres centesimi essent communes, quartus verò centesimus, *Intercalaris* esset. Itaque in Novo Calendario sequentes anni 1700. 1800. 1900. erunt communes, & annus 2000. Bissextilis. Item anni 2100. 2200. 2300. communes erunt, & annus 2400. Intercalaris. Atque ex hac ratione præsens annus 1700. licèt in ordine esset Bissextilis, non numerabitur tamen inter Bissextiles, seu Intercalares.

Altera verò causa hujus scriptionis est, multorum eruditorum Protestantium conatus novæ inventionis, pro Novo Calendario formando, tum à veteri, tum à Gregoriano diverso. Etenim vetus suum Calendarium seu Julianum, jam ferè 11. diebus, à vero Æquinoctio vernali aberrare recognoscunt, uti & Lunationem primam Veris quatuor diebus terminos per Nycænum Concilium præscriptos anticipare in suo Calendario, ultroneè profitentur. Verùm Calendario Gregoriano quóque aliquos errores aspergere conantur, adeóque tertium aliquod novum, se producturos spondent, quod ab omnibus erroribus liberum, & cœlestibus, ac Astronomicis observationibus, ad amussim correspondens fore adpromittunt, volúntque, utrumque modernum esse corrigendum, aut potiùs tollendum, & abolendum, atque hoc tertium toti Christianitati proponendum, & ab ea acceptandum, persvadere nituntur. Nos interim hâc Dissertatione, Calendarium Gregorianum omninò esse retinendum, & ad hoc vetus Calendarium reducendum, ostendere conabimur.

§ II.

De ijs, quæ ſunt neceſſaria ſcitu, ad Calendarij Eccleſiaſtici intelligentiam.

QUi ad quotidianam recitationem Breviarij, ſeu Horarum Canonicarum ſunt obligati in Eccleſia Catholica, habent quidem ſinguli præfixum ſuis Breviarijs Calendarium Eccleſiaſticum, ſunt tamen plurimi, qui illius exiguam habent notitiam, imò invenire eſt non paucos, qui illius uſum penitùs ignorant. In horum igitur gratiam, explicandæ ſunt hîc ſingulæ partes, Calendarij Eccleſiaſtici. Sunt autem hæ: 1. Cyclus Lunaris decennovenalis, ſeu Aureus Numerus. 2. Cyclus Epactarum. 3. Cyclus Solaris, ſeu Literarum Dominicalium. 4. Calendæ, Nonæ, & Idus, cum reliquarum dierum ab ijs denominatarum numeris. 5. Numerus dierum menſis. 6. Feſta tam mobilia, quàm immobilia. 7. Indictio Romana. De ſingulis igitur aliquid erit dicendum.

Primò igitur Cyclus Lunaris Decennovenalis eſt revolutio Numeri annorum 19. ab 1. uſque ad 19. quâ revolutione abſolutâ, iterum ad unitatem reditur. Atque hanc revolutionem Veteres appellabant Cyclum Decennovenalem Lunarem, eò quòd poſt intervallum novemdecim annorum, Novæ Lunæ ad eoſdem iterum redeant dies. Unde propter utilitatem illius, in Novilunijs per eum indagandis, vocatus eſt ab ijs *Aureus Numerus*, aureíſque literis deſcribebatur in Calendarijs. Potiſſimùm autem eo utebantur ad inveniendum Novilunium, & Plenilunium Paſchale ſeu XIV. menſis Paſchalis, & ex hoc cognoſcebant Dominicam Paſchatis, quæ fuit illa, quæ proximè ſubſequebatur Plenilunium Paſchale, atque ex Iſto definiebant totius anni Feſta mobilia. Sed quamvis in principio per annos complures à Concilio Nycæno id rectè factum fuerit, quia tunc poſt annos 19. Lunationes fiebant, ijſdem diebus, quibus ante annos 19. ſucceſſu tamen temporis irrepſit error in hunc computum, ita ut à Concilio Nycæno, quod celebratum fuit Anno Chriſti 325. uſque ad annum 1582. quo correctum fuit Calendarium, erraret quatuor diebus ferè. Cujus ratio eſt. Quia licèt poſt annos 19. redeant Novilunia ad eoſdem dies, non tamen redeunt ad eaſdem horas, ſed horâ unâ, & aliquot minutis citiùs eundem locum attingunt, quàm ante 19. annos, quæ minuta neglectá intra annos $325\frac{1}{2}$ faciunt unius diei errorem, adeóque annis 1250. (qui ferè interfluxerant à tempore Concilij Nycæni, uſque ad Correctionem Calendarij) diebus 4. ferè, & annis 2500. accidet error 8. dierum. Cùm igitur hic Cyclus Aureus per decurſum

sum deprehensus fuerit erroneus, ideò ex novo Calendario ejectus est, eique substitutus *Cyclus Epactarum.*

Secundò. Porrò Cyclus Epactarum est earundem revolutio ab unitate, usque ad XXX. numerum, & ab hoc rursus ad unitatem. Ipsæ autem Epactæ nihil sunt aliud, quàm dies illi undecim, quibus annus Lunaris dierum 354. superatur ab anno Solari, qui est dierum 365. Usus verò Epactarum in Calendario descriptarum in eo consistit, ut per eas Novilunia, Plenilunia, & ætas Lunæ inveniantur quotidie. Ex ijs enim ea, quæ est anni illius Epacta commonstrat Novilunia, non quidem ad amussim, & subtilitates Astronomicas, sed civiliter, & ad usum Ecclesiasticum. Quotiescunque tamen Novilunia versus fines mensium descendunt, per unam diem, indicabuntur ea, per Epactam inferiorem, proximè minorem, quando verò ascendunt per diem unum, per superiorem Epactam proximè majorem indicabuntur. Circa quas tamen Epactas:

Notandum est primò. Quòd Numerus Epactarum in Calendario Breviariorum, apponatur retrogrado ordine à XXX. vel Asterismo seu nota tali ✳ vel tali ⊙ per XXIX. XXVIII. & sic deinceps usque ad unitatem retrogradiendo. Nempè ut sic Numerus Epactarum distinguatur à numero dierum mensium.

Notandum est secundò. In sex locis ejusdem Calendarij, quod præfigitur Breviarijs, videlicet 5. Februarij, 5. Aprilis, 3. Junij, 1. Augusti, 29. Septembris, 27. Novembris, simul eidem diei adscriptas esse binas Epactas, nimirùm XXV. & XXIV. Ex hac ratione: Quia alioquin, si singulæ Epactæ ordine retrogradæ, ad anni finem usque, seu per omnes, & singulos menses ac mensium dies, se mutuò consequerentur, efficerent omnes omninò & singulas duodocim Lunationes dierum 30. & omnes 30. Epactæ duodecies repetitæ constarent diebus 360. cùm tamen Lunationes alternatim existant 30. & 29. dierum, & annus Lunaris constat duntaxat 354. diebus.

Notandum est tertiò. Epactam hanc 25. alio colore, in eodem Calendario, in ijs mensibus, in quibus binæ Epactæ non sunt copulatæ adscriptam esse ad latus Epactæ XXV. in quibus verò copulatæ sunt, ad latus Epactæ XXVI. Hoc nimirum fine: ne in uno Cyclo Decennovenali, duæ Lunationes incidant in eandem diem. Accidit enim aliquando, ut in uno eodem Cyclo Decennovenali, utraque harum Epactarum XXV. XXIV. in usu sit, unde tunc in illis mensibus, in quibus hæ duæ Epactæ copulantur, non erit assumenda Epacta XXV. sed Epacta 25. alio colore, ac charactere adnotata, & Epactæ 25. XXIV. duos semper diversos, in singulis mensibus occupant dies.

Notandum est quartò. Ad ultimam Decembris appositam esse alio colore, & charactere Epectam 19. Cujus tamen usus est rarissimus, & tunc solùm, quando Epacta XIX. cum Aureo Numero concurrit.

Notandum est quintò. Quòd licèt Epactæ retrogrado ordine progrediantur à ✱ vel ⊙ vel XXX. usque ad unitatem, per omnes menses totius Anni, in fine tamen Decembris inscribantur tantùm à ✱ usque ad XX. & Januarius rursus incipiat ab Epacta ✱.

Notandum est sextò. Lunationem illam, quæ aliquando finitur ipsis Calendis Decembris, non esse ultimam illius anni, sed penultimam, quia 30. illi dies superflui constituunt ultimam, & decimam tertiam illius anni Lunationem, seu Embolismalem illius anni Lunationem, ac proinde Epacta tunc erit ⊙ sive XXX. ac in Calendario hoc signo ✱ notabitur. Et annus Lunaris fiet Embolismicus, hoc est 13. Lunationum, & dierum 384. vel 383. Cùm annus communis solùm 12. Lunationes habeat, & dies 354. si sit plenus, vel 353. si sit cavus, seu deficiens.

Notandum septimò. Licèt Epactæ sint 30. ex illis tamen esse in usu solummodò 19. nempè, quæ correspondent 19. Aureis Numeris, singulæ singulis, ut habetur in Tabella Epactarum respondentium Aureis Numeris ab Anno 1600. usque ad annum 1800. quæ Breviarijs præfigitur. Longiori tamen temporis successu, aliæ ex residuis Epactis, iisdem Aureis Numeris erunt substituendæ.

3. *Cyclus Solaris*, seu Literarum Dominicalium, est intervallum 28. annorum, quo evoluto Literæ Dominicales Calendario appositæ, redeunt eodem ordine, quo antea, & ad easdem Ferias. Appellatur autem hæc periodus, *Cyclus Solaris*, quia dies Dominicus, ad quem inveniendum singulis annis est institutus, dies Solis vocatur.

4. *Calendæ*, *Nonæ*, & *Idus*, sunt eruditæ, & antiquæ denominationes, singulorum dierum mensium. Antiqui enim Romani quemlibet mensem dividebant in tres partes, nimirum in *Nonas*, *Idus*, & *Calendas*. Ac primam quidem mensis diem vocabant *Calendas*, deinde quintam, aut septimam *Nonas*, demùm decimam tertiam, aut decimam quintam *Idus*: reliquos verò dies retrogrado ordine, à *Nonis*, *Idibus*, & *Calendis* denominabant. Quas denominationes etiamnum docti passim, & Romana Ecclesia toto orbe diffusa in Calendario Ecclesiastico, & Martyrologia sequuntur.

5. *Numerus dierum*, est series eorundem in 12. menses per totum annum distributorum.

6. *Festa*, hæc alia sunt immobilia, seu certis anni diebus affixa, licèt in alios atque alios hebdomadæ dies incidant, ut sunt, Festum Nativitatis,

quod semper incidit in 25. Decembris. Circumcisionis, quod affixum est primæ diei seu Calendis Januarij. Festum Epiphaniæ Domini, sextæ diei Januarij. Festa Sanctorum alia sunt mobilia, quæ licèt eundem hebdomadæ diem constanter retineant, alijs tamen annis, in alios mensium dies incidunt, vel anteriores, vel posteriores, ut sunt, Festum Paschatis, à quo dependent Festum Ascensionis Christi, Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, Corporis Christi, & alia.

Cyclus Indictionis Romanæ, est Revolutio 15. annorum ab unitate usque ad 15. quâ revolutiône peractâ, iterum reditur ad unitatem. Institutus erat is olim, à Romanis, propter tributa pendenda, & adhuc in usu est in Diplomatibus, & Scripturis publicis. In Bullis verò Pontificijs, initium sumit quilibet annus Cycli, à Januario.

§ III.

Practicus usus Doctrinæ supratraditæ.

PRaxes hæ communi nomine *Computus Ecclesiasticus* vocantur, & nihil aliud sunt, quàm Regulæ quædam practicæ, facilè inveniendi omnia, ea, quæ ad Calendarium Ecclesiasticum spectant.

Sit igitur prima. *An annus sit Bissextilis, aut quotus post Bissextilem invenire.* Annum Christi propositum divide per 4. & si factâ divisione nihil supersit, erit Bissextilis: si autem aliquis Numerus superfuerit, ille tibi indicabit, quotus sit à Bissextili annus. Exempli gratia. Annus præsens 1700. dividatur per 4. remanebit nihil. Igitur hic annus est Bissextilis. Qui tamen non computatur pro Bissextili, quia est Centurialis primus. Tres autem anni Centuriales, post annum 1600. non debent computari pro Bissextilibus, ob rationem paulò superiùs datam.

Praxis secunda. *Aureum Numerum dati anni reperire.* Dato Anno Christi adde unitatem, totum deinde divide per 19. Residuum erit Aureus Numerus. Si nihil remanet, est Cyclus ultimus, sive 19. Exempl. gr. Proposito anno 1700. addatur unitas, erunt 1701. Hic Numerus dividatur per 19. residuum erit 10. Igitur Aureus Numerus hujus anni erit 10.

Praxis tertia. *Dati anni Cyclum Solarem rescire.* Anno Christi proposito addantur 9. Tum compositus ille Numerus dividatur per 28. Numerus residuus est Cyclus Solaris illius anni. Si autem nihil remanet, Numerus Cycli Solaris est 28. Exempl. gr. Anno Christi proposito 1700. addantur 9. erunt 1709. Hic Numerus dividatur per 28. remanet 1. Igitur Cyclus Solaris anni currentis erit 1.

Pra-

Praxis quarta. *Epactam dati anni invenire.* Aureus Numerus, seu Cyclus Lunæ anni dati ducatur in 11. productum dividatur per 30. Residuum indicat quæsitam Epactam pro Calendario veteri. Ab hac Epacta detrahantur jam dies 11. additis 30. (quando subtractio fieri nequit) & id quod remanet erit Epacta quæsita; Si nihil remanet, Epacta erit XXX. seu ⊙ sive ✱. Exempl gr. Anni propositi 1700. Aureus Numerus est 10. Hic Numerus ducatur per 11. erunt 110. Iste Numerus dividatur per 30. remanent 20. pro Epacta veteris Calendarij. Ab hoc subtrahantur XI. remanent 9. pro Epacta Calendarij Gregoriani.

Praxis quinta. *Novilunium Paschale, & decimam quartam Lunæ primi mensis invenire.* Epacta currens quæratur in Calendario Ecclesiastico ab octava Martij, usque ad quintam Aprilis, hæc ostendet diem Novilunij Paschalis. Ab eo inclusivè numerentur dies 14. & incidetur in diem Lunæ XIV. seu Terminum Paschalem. Quem proximè sequens dies Dominicus, erit dies Paschatis. Exempl. gr. Epacta currentis anni 1700. est IX. Hæc in Calendario Breviarij, correspondet diei 22. Martij, & ostendit diem Novilunij Paschalis (non quidem Astronomicè, sed Ecclesiasticè seu Politicè) ab hac numerentur dies 14. & incidetur in quartam Aprilis, quæ erit Luna XIV. Quam subsequens proxima dies Dominica erit dies Paschatis, nempè 11. Aprilis.

Praxis sexta. *Pascha, & reliqua Festa mobilia invenire.* A Termino Paschali, seu à XIV. Lunâ in Calendario Ecclesiastico inventâ, descendatur usque ad proximam Literam Dominicalem, & incidetur in diem Paschæ. Ab hoc si numerentur 70. dies, retrò in antecedentia, incidetur in Dominicam Septuagesimæ, quam proximè subsequitur Dominica Sexagesimæ, hanc Dominica Quinquagesimæ, post quam proxima Feria quarta est dies Cinerum. Si post Pascha numerentur in Consequentia Hebdomadæ 7. habetur Pentecostes, si tantùm quinque, & ab ea descendatur ad Feriam quintam, habetur Ascensio Domini. Dominicâ proximâ post Pentecosten, est Festum Sanctissimæ Trinitatis, post hanc proximâ Feriâ quintâ, Festum Corporis Christi. Dominica Adventûs est ea, quæ Festo S. Andreæ proximior est.

Praxis septima. *Quatuor anni Tempora, seu solemnia Jejunia, Numerúmque Dominicarum inter Pentecosten, & Adventum invenire.* Quatuor anni Solemnia Jejunia sunt, Feriâ 4. 6. & 7. post Dominicam III. Adventûs, seu Festum S. Luciæ. Post primam Dominicam Quadragesimæ. Post Festum Pentecostes. Post Festum S. Crucis. Quot Dominicæ sunt post Pascha, usque ad diem S. Georgij Martyris inclusivè, quæ in diem 23. Aprilis incidit, sive quot Dominicæ sunt post Festum Pentecosten, usque ad Festum S. Barnabæ Apostoli inclusivè, quod incidit in diem 11. Junij, tot Domi-

nicæ

nicæ addendæ sunt ad 24. ut habetur Numerus Dominicarum, inter Pentecosten, & Adventum. Si nulla Dominica inter dictos terminos comprehenditur, Numerus Dominicarum erit 24. Si Pascha, aut Pentecostes post dicta Festa celebretur, Dominicæ erunt 23. tantùm.

§ IV.

Fundamentum Calendarij Ecclesiastici.

CUm enim ex Præcepto Divino in Lege Veteri, Pascha celebrari debuerit die XIV. primi mensis verni, seu primæ Lunæ anni (quæ ea fuit, cujus dies XIV. in Æquinoctium vernum cadebat, vel proximè illud subsequebatur) voluit Ecclesia jam inde à temporibus Apostolorum, in hoc imitari Judæos, utpotè, quorum Pascha, imago, & figura fuerat veri Paschatis Christianorum. Ne tamen in celebratione Paschatis, cum Judæis concurrerent Christiani, eâdem prorsus die illud celebrando, & simul inter Christianos disconvenientia suboriri posset, quoad diem hujus solemnitatis, instituit eadem Ecclesia, ut non in ipsa die XIV. primi mensis, post Æquinoctium vernum, sed alia Dominicâ proximè sequenti, diem illam XIV. Christiani Pascha celebrarent, in memoriam Resurrectionis Christi Domini, qui illâ die surrexit à mortuis. Quia tamen, in observanda hac die, adhuc fuit aliqua differentia, inter Christianos præsertim Asiaticos, Apostolicam hanc traditionem postmodùm confirmavit, pro tota Christianitate Concilium Nycænum Anno Christi 325. Atque hæc tria circa celebrationem Paschatis constituit. Primò. Ut Pascha celebretur hebdomadâ tertiâ primi mensis Lunaris (qui est ille, ut jam dictum est, cujus Luna XIV. cadit in Æquinoctium vernum, aut illud proximè subsequitur.) Secundò. Ut Æquinoctium sit affixum 21. Martij. Tertiò. Ut Pascha celebretur Dominicâ proximâ post prædictam XIV. Lunationem, adeò ut si Dominica caderet in ipsam Lunam XIV. Pascha deberet transferri in sequentem Dominicam. Porrò Luna XIV. sumitur ab Ecclesia, pro die 14. Lunationis Paschalis, numerando eas inclusivè à Neomenia, sive à principio mensis Lunaris Paschalis. Ubi tamen valde bene notandum est. Computum hunc, uti & ipsum Æquinoctium accipi ab Ecclesia civiliter, & non Astronomicè. Neque enim Decreta hæc ita severè & in rigore accipienda sunt, ut velint Ecclesiam ex Tabulis Astronomicis, Æquinoctium debere explorare; sed ita solùm sunt intelligenda, ut præcipiant, Ecclesiam in Paschæ celebratione, observare debere diem Æquinoctij adscriptam, licèt Astronomicè nonunquam Æquinoctium, antecedat illam diem, vel subsequatur, dummodò non longè ab eo recedat. Nam Concilij Nycæni intentum præcipuum, ac ferè unicum fuerat, concordia, & uniformitas Fidelium in cele-

celebratione diei Paschalis, per universum Orbem Christianum, quæ sanè concordia, & uniformitas, vix, ac nec vix quidem retineri possit, si Æquinoctium habitâ ratione veri motûs, ad duos, vel etiam plures dies alligaretur, sapienter proinde à Concilio, affixum fuit uni diei, quæ tunc erat 21. Martij. Sicut igitur Ecclesia in Paschæ celebritate liberè ac spontè Æquinoctium, ac cursum Lunæ sibi observandum proposuit; ita liberè sibi elegit potiùs Æquinoctium Civile, quàm Mathematicum, magìs enim illi cordi fuit pax Fidelium, atque concordia & uuniformitas, adeò, ut si casu, aliquod detrimentum accipiendum sit, vel in Æquinoctio, motúque Lunæ Astronomico, vel in concordia Fidelium, exoptet magìs Pascha, eodem die ab omnibus Christianis, & præsertim Fidelibus celebrari, etiamsi non perfectè Æquinoctium, cursúsque Lunæ teneatur, quàm vel minimam confusionem Fidelium, in celebrandis Divinis pati, aut perturbari. Unde juxta Decreta Conciliorum, Summorum Pontificum, ac perpetuum usum Ecclesiæ, Pascha celebrandum est post Lunam XIV. primi mensis usque ad Lunam 21. ita ut dies Dominicus incidens in Lunam XV. vel XVI. vel XVII. vel XVIII. vel XX. vel XXI. solus aptus sit, atque idoneus ad Paschæ celebrationem. Unde perspicuum est, Pascha posse, ac debere celebrari, ex Nycæni Concilij decreto, in aliquo dierum à 22. Martij, inclusivè usque ad 25. Aprilis, adeò, ut tota solemnitas Paschatis, latitudinem habeat 35. dierum, quorum priores 10. ad finem Martij, posteriores 25. ad principium Aprilis pertinent, & hi vocantur Termini Paschales. Cur verò Æquinoctium vernale Ecclesiasticum, seu Politicum non uni diei affixum sit, sed duobus. Ratio est. Quia in aliquo anno Bissextili contingit, Æquinoctium Astronomicum v. gr. die 20. Martij, circa meridiem, idem anno sequenti accidet sex horis tardiùs, nempè eâdem quidem 20. Martij, sed sub solis occasum, propter sex illas horas, quæ in anno quolibet, post Bissextilem omittuntur, deinde rursus proximo anno, die quidem eâdem 20. Martij, sed circa mediam noctem, & alio iterum anno insequenti, die 21. sub ortum solis, ac tandem rursus sequenti anno, qui iterum erit Bissextilis, redibit ad priorem diem 20. circa meridiem, propter diem intercalarem illi anno adjectum. Cùm igitur Æquinoctium Politicum duas dies requirat, Concilium autem Nicænum unicam diem Æquinoctio semper assignaverit, videlicet 21. Martij, ut omnes Fideles eodem die Pascha celebrent ubique, proximâ scilicet Dominicâ post Lunam XIV. quæ cadit vel in diem Æquinoctio attributam, hoc est in 21. Martij, vel eam proximè sequitur, non autem antecedit, non est mirum, quòd Ecclesia in celebratione Paschatis non se accomodet semper Æquinoctio, & motui Lunæ, ad Calculos Astronomicos; sed ad Æquinoctium, & motum Lunæ, civiliter accipiendo.

§ V.

§ V.

Rationes, propter quas vetus Calendarium reformatum sit à Catholicis; & à Protestantibus reformari debeat.

RAtio potissima, ob quam Gregorius XIII. Summus Pontifex, Vetus Calendarium reformare voluerit, & Protestantes reformare deberent, est hæc: Quòd in illud irrepserint gravissimi duo errores. Quorum primus est, quòd in eo Æquinoctium ad diem 21. Martij, à Concilio Nicæno affixum, propter anni solaris quantitatem, justò maiorem assumptam, prolapsum sit jam in antecedentia, diebus ferè 11. ac semper prolabetur magis & magis. Alter verò ejusdem Calendarij error est, quòd in anno Lunari, in computu quatuor diebus, à vero cursu Lunari aberret. Atque hos duos errores ipsimet doctiores Protestantes, Veteri Calendario utentes, palàm confitentur, & recognoscunt, & reformationem ejusdem Calendarij, toti Christianitati suadent, eámq; magno zelo, modísque omnibus promovere, & effectuare conantur. Ex his eruditissimus Doctor Veigelius in Consilio, seu propositione, de Combinatione Temporis, quàm commodissimè efficienda, sic scribit: *Quòd Antiquum Calendarium cum cœli cursu non omninò concordet, sed à tempore Concilij Nicæni (in quo Paschalis Regula juxta Solis & Lunæ cursum, sub pœna censuræ toti Christianitati præscripta fuit) usque ad initium Anni imminentis 1700. post Christi Nativitatem attendendo solum cursum Solis integris diebus 11. tardet, & attendendo cursum Lunæ 4. diebus præveniat, notorium est.* Alter verò ejusdem Collega, in Demonstratione errorum Calendariorum Part. 1. cap. 2. idipsum his verbis fatetur: *Principalibus, & sub excommunicatione, aut Hæreseos infamiâ, prohibitis erroribus obnoxium esse hoc Calendarium (nempè Vetus, seu Julianum) negari omninò nequit, postquàm scilicet labente à Concilio Nycæno tempore, tum Æquinoctium ex die 21. Martij, diebus 10. de die in diem retrogressum est, & Luna à Terminis Nycænis ad 4. usque dies anticipavit.* Et citat pro confirmatione suæ sententiæ *Stofflerum*, sic ante Annos 146. scribentem: *Errores in ætate Lunæ, in positione Æquinoctij, apud nos in præsens, in celebratione Paschæ, post 21. Lunam, & in mense pro immundis deputato, & alij, heu heu ita manifesti, & palpabiles sunt, quòd haud quaquam celari possint. Hi etiam errores in dies crescunt, ut futuris annis (horribile dictu) Pascha quod in Plenilunio celebrari deberet, si non providebitur, in Novilunio celebrabitur, quare his erroribus mox obviandum est.*

Ex his duobus erroribus: Æquinoctij scilicet anticipati, & Novilunij postpositi, accidit, ut juxta Vetus Calendarium Pascha celebretur 7. aut 28. aut 35. diebus tardiùs, quàm Decreta Patrum, & Conciliorum præcipiant.

Præterea, nisi hoc Calendarium fuisset à Catholicis correctum, & nisi à Protestantibus corrigatur eveniet, ut dies Natalis Christi, à Solstitio hyberno, & Natalis S. Joannis, & Solstitio æstivo, & omnia alia festa in antecedentia enormiter prolabantur: anni tempora, quæ certis mensibus antè contingebant, ut Solstitia quæ fiebant in Junio, & Decembri, Æquinoctia, quæ mense Martio, & Septembri, &c. in menses antecedentes migrent, quoniam menses omnes in Calendario Veteri (si ilud non reformabitur) à dictis temporibus recedent, propter nimiam Solaris anni Politici, amplitudinem. Sufficientes igitur rationes sunt, cur à Catholicis Vetus Calendarium reformatum fuerit, & cur à Protestantibus reformari debeat.

His accedit, quòd Catholici prudenter præsumere possint, quòd sicut hos errores palpabiles licèt (saltem doctiores) Protestantes manifestè agnoscant, nihilominùs pertinaciter Calendario Veteri adhærent, præcisè in odium Pontificis Romani, per quem, Vetus Calendarium reformatum est, & Novum introductum; ita etiam in dogmatibus Fidei, licèt (doctiores illorum) se errare sciant, tamen errores tales ex sola pertinacia tueantur, sequantur, & defendant.

Jam verò ex diversitate horum Calendariorum (Veteris, & Novi) quàm plurima alia sequuntur incommoda. Primum incommodum est *Ecclesiasticum*. Quando tum ad mobilia, tum ad immobilia Festa, ex una parte Cœtus Christianus devotè convenit, ex altera verò parte, ad labores manuarios, & rurales strenuè quisque deproperat. Hinc fit, ut subditi sequentes Vetus Calendarium, sub Dominio Catholicorum (uti sunt Rutheni, & Valachi, in Hungaria, & Croatia) ferè nunquam Festa celebrent, dies siquidem Festi juxta Vetus Calendarium, non sunt Festi juxta Novum Calendarium, quibus proinde Catholici Domini labores sibi præstare solitos, severè ab ijsdem exigunt; e contra Festis in Novo Calendario præscriptis, labores rusticanos & rurales, ac serviles, ijsdem non permittunt, atq; hoc est secundum incommodum *Oeconomicum*. Tertium incommodum est *Politicum*, quando scilicet, publica negotia, Festorum ejusdemmodi reiteratione, magno interdum partium cum dispendio, non raro impediuntur. Quartum incommodum est *Historicum*, ob hanc enim diversitatem stili, series rerum gestarum, atque temporum, & præcipuarum anni celebritatum, plurimùm perturbantur. Quæ solæ Rationes sunt sufficientes, ut Protestantes relicto Veteri Calendario (& etiam judicio eorundem valdè erroneo) ad uniformitatem in forma Calendarij Catholicis accedant, præsertim, cùm Calendarium secundùm se non sit Fidei negotium. Atque utinam etiam in negotio Religionis, omnes Christiani idem saperent, & non essent tot schismata, tot hæreses, tot sectæ, tot diversa dogmata Fidei, tot dissidia, & discrepantiæ, circa Fidei Articulos!

Tu

Tu ô Veritas, lumen veræ Fidei, in nobis auge, in alijs ignorantibus accende. Et da, ut in eo per semitas Justitiæ, unanimiter, ambulantes, ad felicem perveniamus æternitatem.

§ XVI.

Utrùm Calendarium Vetus, sit à Gregorio XIII. rectè correctum?

GRegorius XIII. Summus Pontifex, tum proprio motu, (videns tantam necessitatem corrigendi vetus Calendarium) tum ad instantiam Augustissimi Imperatoris, & Potentissimorum Principum Europæ, maximâ ut par erat sedulitate, in hoc negotium incubuit, serióq; aggressus novam restituendi Calendarij Rationem, celeberrimos quósq; Mathematicos, hac de re consuluit, quos inter præcipui fuerunt: Aloysius Lilius Veronensis, & Antonius Lilius ejusdem frater, ac Christophorus Clavius, qui ultimam manum novæ formæ Calendarij imposuit. Quæ forma deinde missa fuit ad celeberrimas Europæ Academias, atque integro decennio elaborata, examinata, propugnata, ac demùm authoritate Pontificiâ à Gregorio XIII. Anno Christi 1582. tanquam Capite totius Christianitatis promulgata, & ab omnibus summo applausu & aggratulatione fuit acceptata, præterquàm à Schismaticis, & Protestantibus, ab illis quidem ob ruditatem, & ignorantiam, ab his verò ob pertinaciam, qui scientes & volentes maluerunt errores Calendarij Juliani pertinaciter amplecti, quàm parti meliori, & saniori Christianitatis accedere.

Quòd autem hæc Calendarij reformatio rectè instituta fuerit, patet tum ex eo, quòd ea à prædictis Veteris Calendarij erroribus, Novum hoc Calendarium liberum & immune reddat. Tum quia per illud cautum est, ne imposterum per longa temporum intervalla, rursus in illud, similes errores subrepant, per duplicem æquiationem. Unam *Æquinoctij* verni, alteram *Epactarum*: per illam enim cavetur, ne Pascha cadat in mensem secundum, per istam, ne cadat post habdomadam tertiam. Consistit autem *Æquatio Æquinoctij* in eo, quòd in quibuslibet 400. annis tres dies intercalares omittantur. *Æquatio* autem *Epactarum* consistit in hoc, ut certis annorum intervallis Epactæ augeantur, vel minuantur. In tribus proinde consistit totum correctionis hujus Gregorianæ, negotium. Primò, in Æquinoctij ad 21. Martij restitutione, ac in propria sede retentione. Secundò in Cycli Lunaris emendatione, ad indicanda Novilunia. Tertiò, in innovatione Cycli Solaris, ad inveniendam literam Dominicalem. Et quidem restitutio Æquinoctij, in suam sedem facta est per exemptionem decem dierum, ex mense Octobri Anni 1582. ita ut post quartum diem Octobris, locò quintæ diei assumptus fuerit statim dies

decimus quintus, decem diebus interjectis omissis. Emendatio verò Cycli Lunaris facta est, per illius ejectionem, & in locum ejusdem Cycli Epactarum substitutionem. Innovatio demùm Cycli Solaris emendata est, per ejusdem immutationem, ejúsque intervalli 28. annorum definitionem. Quæ immutatio prorsus fuit necessaria. Quia licèt hæ septem Alphabeti literæ A, B, C, D, E, F, G, in Calendario Ecclesiastico ordine adscriptæ, quarum una singulis annis diem Solis, seu Dominicam denotat, reliquæ verò, reliquos septimanæ dies, sic, ut singulis annis, litera superior, seu antecedens, sit pro die Dominica assumenda (si non interveniant anni intercalares) singulis septem annis in orbem redirent. Verùm quia quarto quovis anno, intervenit annus intercalaris, qui constat diebus 366. & si dividantur per 7. remanens 2. fit ut in anno tali sint duæ Literæ Dominicales, quarum una inservit usque ad diem 24. Februarij, seu usque ad Festum S. Matthiæ, post quam intercalatur unus dies, ac propterea transilienda est Litera illa Dominicalis, & assumenda alia, nempè illam antecedens: hinc manifestum est, propter hanc Literarum Dominicalium interruptionem, eas anno septimo evoluto, in orbem redire non posse, sed opus esse, ejusmodi septem interruptionibus, per saltum. Cùm igitur ex ductu 4. ad 7. nascatur numerus 28. tot anni requirentur, antequam Literæ Dominicales in orbem redire possint. Atque hoc 28. annorum intervallum, quo Literæ Dominicales in orbem redeunt, vocatur *Cyclus Solaris*, ex eo, quòd dies Dominicus, ad quem inveniendum est institutus, *dies Solis* vocetur.

§ VII.

Solvuntur Objectiones, quæ contra Calendarium Gregorianum objici possunt.

LIcèt Josepho Scaligero, & Mæslinio, reliquísque oppugnatoribus Calendarij Gregoriani, statim ad initium promulgationis illius, contra illud insurgentibus, abundè responderit, eorúmque argumenta luculenter solverit, ipsemet Clavius præcipuus hujus Calendarij Author, & post illum Guldinus, aliíque, nihilominùs non desunt adhuc hodie quoque, qui eidem aliquos nævos, & errores aspergere nituntur, quorum utique objectiones, erunt hîc solvendæ.

Objiciunt igitur Primò. Quòd Novum Calendarium Pascha celebret, subinde in ultimo quadrante, uti celebravit Anno 1656. & 1659. subinde etiam post primum quadrantem, uti celebrabit Anno 1744. & 1754. quin nec à secundi mensis Paschate abstinet, ut incidit Anno 1590. & 1637. quæ omnia sunt contra Concilij Nycæni statuta. *Respondetur*, Intentum Con-

Concilij Nycæni (ut ex decretis Pontificum, aliorúmque Conciliorum, ac perpetuo usu Ecclesiæ patet) non fuisse aliud, quàm ut Pascha celebretur die Dominico, post primi mensis Lunam XIV. usque ad 21. Ita, ut dies Dominicus incidens in Lunam XV. vel XVI. vel XVII. vel XVIII. vel XIX. vel XX. vel XXI. solus aptus sit, atque idoneus ad Paschæ celebrationem. Non verò qui præcedat XV. vel subsequatur XXI. Luna porrò XIX. sumitur ab Ecclesia, pro die XIV. Lunationis Paschalis, numerando eam inclusivè à Neomenia, sive principio Mensis Lunaris Paschalis, uti jam iteratò dictum est, accipiendo scilicet Lunationem Politicè, seu Ecclesiasticè, non Astronomicè. Unde non potuit ullo tempore, neque ipsius Concilij Nycæni temporibus, quando Canon Paschalis primò confirmatus est, atque à Concilio editus evitari, quin interdum Pascha celebraretur ultimo quadrante, mensis, vel post ultimum quadrantem, vel mense secundo, dummodò is non excederet diem XXI. Lunationis Paschalis, qui est Terminus Paschalis.

Objicitur secundò. Juxta Novum, seu Gregorianum Calendarium, nos Pascha subinde celebrare cum Judæis, uti accidit Anno 1582. 1585. & 1602. Quod est contra Canones Concilij Nicæni. *Respondetur.* Nos nunquam sequendo Formam Calendarij Gregoriani, celebrâsse, vel celebraturos, Pascha cum Judæis. Judæi enim Pascha suum celebrant semper Lunâ XIV. Paschali, in quamcunque illa feriam inciderit, & agnum illâ die ad vesperam immolant. Nos verò ante XV. Lunam nunquam celebramus Pascha. Idque solùm tunc, quando Luna XIV. Paschalis incidit in diem Sabbathi, sed semper illâ Dominicâ, quæ proximè sequitur Lunam XIV. primi mensis. Sic quia Anno 1602. Luna XIV. incidit in sextam Aprilis, in diem Sabbathi, nos celebravimus Pascha die Dominicâ subsequenti, quæ fuit 7. Aprilis. Quòd autem in tali casu debeat celebrari Pascha Christianum Lunâ XV. inde patet, quòd alioquin cadente Lunâ XV. sive Plenilunio, in Dominicum diem, si alius dies Dominicus esset exspectandus, celebraretur Pascha Lunâ XXII. hoc est in quarta hebdomada mensis Lunaris, quod sanctionibus Conciliorum repugnat.

Objicitur tertiò. Nos cum Quartadecimanis hæreticis, in celebrando Paschate subinde convenire, uti contigit Anno 1598. & 1609. *Respondetur.* Cùm juxta Calendarium Gregorianum nunquam celebretur Pascha Lunâ XIV. sed post, & quidem die Dominico semper illam proximè subsequente. Quartadecimani autem hæretici, celebraverint semper illud, in ipsa die Lunationis XIV. in quamcunque feriam incidisset: manifestè

patet

patet nostrum Calendarium, in celebratione Paschatis nunquam coincidere cum Quatuordecimanorum hæreticorum Paschate. Sic quia Anno 1609. Luna XIV. incidit in diem 18. Aprilis. Nos Pascha celebravimus 19. Aprilis, quæ fuit Luna XV. Præterea hæretici Quartadecimani, volebant celebrare Pascha, strictè ex Cœna, & Passione Christi, Catholici autem celebrant Pascha, recolendo non Cœnæ, vel Passionis, sed Resurrectionis Dominicæ memoriam.

Objicitur quartò. Ex eo, quòd per tres Annos Centuriales, eximantur juxta Calendarium Gregorianum, tres dies, ita, ut illi non censeantur esse, nec sint Bissextiles, non fit perfecta adæquatio Æquinoctij, plus enim per illos tres Centuriales eximitur, quàm per hunc quartum Centurialem restituatur, siquidem tres illi dies deberent omitti intra 402. & non præcisè intra 400. annos. *Respondetur* primò. Si annus Solaris Astronomicus exactè est dierum 365. horarum 5. minutorum 49. & 12. secundorum, per hanc æquationem vernum Æquinoctium, in perpetuum in die 21. Martij permansurum, quod sic ostenditur. Anni Juliani 400. habent dies 146200. ut patet si 400. multiplicentur per 365. & tunc summæ productæ addantur dies 100. intercalares (quot scilicet sunt inter 400. annos) sed quia ex his tres Centuriales, non computantur intercalares, juxta Calendarium Gregorianum 400. Anni Gregoriani habebunt dies tantùm 146097. si ergò 146097. dividas per 400, & residuum convertas in horas, & minuta, & secunda, provenient dies 365. horæ 5. minuta 49. secunda 12. Perpetua ergo, & legitima est hæc æquivocatio Æquinoctij, si annus Astronomicus (uti plurimi Astronomi tenent) est dierum 365. minutorum 49. & 12. secundorum, præcisè? Quòd si verò Annus Solaris Astronomicus non sit præisè 365. dierum, 49. minutorum, & 12. secundorum, ita ut 400. anni non sufficiant ad æquationem hanc, sed anni 402. requirantur. *Respondetur* secundò. Hanc minutiam vix ullam considerationem mereri, cùm intra multa millia annorum, vix in diem excrescat, qui error facilè tunc (si tam diù mundus duraverit) unicâ diei intercalatione corrigi poterit, & idem est circa alias quoque de quantitate Anni Astronomici Mathematicorum sententias. Cùm enim non planè adhuc inter eos constet, quotnam sint ea minuta prima, vel secunda, vel tertia, quæ desunt ad complementum illarum sex horarum, quæ supersunt singulis annis præter 365. dies, assumamus illam, quæ tenet, quòd ratione horum minutorum, omitti debeant per 400. annos, dies 3.

& una $\frac{8}{13}$ Itaquè per omissionem intercalationis primorum Centesimorum trium annorum, supplentur requisiti dies. Nihilominùs tamen in 400. neque illa $\frac{1}{13}$ diei pars erit prætermittenda, hæc autem in 5200. annis facit integram diem, ad quam componendam, pariter post anno 5200. intercalari poterit aliquis annus, qui aliàs non esset intercalaris juxta Gregorianum Calendarium. Et iterum à tunc post 5200. idest post 10400. annos alius (si tamen mundus tamdiù stabit) & sic consequenter, atque ita semper Calendarium Gregorianum, cum Solis cursu concordabit. Assumamus adhuc tertiam sententiam Astronomorum, quæ tenet ex his minutijs tres dies componi intra annos 384. intra annos 400. tres dies cum horis tribus. Hæ tres horæ, quæ sunt supra tres dies in annis 400. spatio 3200. annorum, seu 32. sæulorum, constituent unum diem, qui omitti debebit ab ijs, qui tunc temporis vivent, si tamen aliqui vivent, similiter per intercalationem unius diei post alios annos 3200. ab inde, in anno, qui aliàs non esset intercalaris. Quamcunque igitur sententiam Mathematicorum circa hoc punctum supponamus, inconcussum manebit Calendarium Gregorianum.

Objicitur quintò. Non videtur esse Ratio, cur in Novo Calendario primus mensis Lunaris ponatur *Cavus*, hoc est 29. tantùm dierum, cùm Cyclus Lunaris, adeóque & Paschatis mensis deposcat dies 30. *Respondetur.* Rationem hujus esse hanc: quia in 19. annis, seu Cyclo Lunari, ex 11. diebus, qui in puolibet anno supersunt constituuntur 209. qui conficiunt sex Lunationes extraordinarias, 30. dierum singulas, & unam 29. quæ dicitur *Cava*, ex cò, quòd ei unus dies desit, ad complendum numerum 30. aliàs, si septem dictæ Lunationes singulæ essent 30. dierum, constituerent dies 210. adeóque unâ die plùs justò.

§ ULTIMUS.

Utrùm tam Julianum, quàm Gregorianum Calendarium sit abrogandum, & novum ab utroque diversum substituendum, quod utriusque errores, illius quidem, apertos, & hujus prætensos, penitùs sublatos redderet

Quod ad hanc sententiam attinet, circa eam.

TEnendùm est 1. Unicè optandum esse, ab omnibus rectâ ratione pollentibus, ut per universam Christianitatem servetur omnimoda

uniformitas Calendariorum. Plurima siquidem eam per hanc diversitatem invehuntur incommoda, tum in rebus Ecclesiasticis, tum in Politicis, tum in œconomicis, tum in Historicis, ne dicam scandala in ijs, qui sunt à Fide Christiana alieni, ut sunt Judæi, Mahometani, quando vident in Christianitate tantam diversitatem, & disconvenientiam, & quidem publicam, in observatione suarum Festivitatum, & Solemnitatum. Neque hæc conclusio indiget multis probationibus, siquidem illius veritatem, non solùm Catholici, sed & Protestantes, intelligentiores, ultroneè recognoscunt, & hanc Uniformitatem Calendarij, summis desiderijs exoptant, atque utinam & Fidei Uniformitatem sic exoptarent, quæ multò magìs est necessaria, ad æternam salutem.

Tenendum est 2. Calendarium Vetus, seu Julianum, non esse tale, ut in illo omnes Christiani deberent convenire, & illud pro universali in observandis temporibus Regula, recipere. Ratio est. Quia propter illius palpabiles in celebratione Paschatis, & Novilunijs investigandis errores, jam semel Catholici ab eo recesserunt, neque unquam ad illud redituri sunt, & Protestantes quoque doctiores, ab eo recedere seriò intendunt, vel saltèm hos illius errores recognoscunt, & palàm confitentur.

Tenendum est 3. Calendarium Gregorianum tale esse, quod Catholici retineant, & Protestantes Julianum suum, ad ejusdem normam reforment, & cum eo concordent. Primò. Quia in eo præmentionati Veteris Calendarij errores, sublati sunt, & aliunde provisum est, ne imposterum temporibus successivis in eosdem prolabatur. Secundò. Quia hoc Calendarium à præstantissimis Mathematicis, summâ diligentiâ coordinatum est, & per præcipuas Europæ Academias, priùs examinatum, & eventilatum, ac tandem Auctoritate Apostolicâ publicatum, & à Cæsare, Regibus, Principibus, Regnis, ac Provincijs, ac Rebus-Publicis acceptatum, & usu ipso, jam plus, quàm uno Sæculo, minimè erroneum esse, deprehensum est. Et ut demonstrat Clavius, usque ad Annum 5000. rectè sumus celebraturi Pascha, & omnia Festa Mobilia, à Paschate dependentia juxta hanc Formam Calendarij. Catholicis proinde non poterit occurrere prudens Ratio mutandi Calendarij Gregoriani. Tertiò. Quia Julianum Calendarium facilè ad illud reduci poterit, per omissionem 10. dierum Anni currentis 1699. in Novembri, & intermissionem diei intercalaris Anni sequentis 1700. Quo facto omnes mensium, & immobiles Festi dies, à novo Sæculo per omnes consequenter Annos, ex utraque parte in

tota

tóta Christianitate coincident. Sicut & in Festis Mobilibus, si pro Novilunio Paschali indagando non utantur ampliùs Cyclo Aurei Numeri (quem jam 4. diebus certum est aberrare) sed illam Lunam pro prima accipiant, cujus Plenilunium, seu dies XIV. in Æquinoctium Vernale, (quod affixum est à Concilio Nycæno ad 21. Martij) aut proximè post illud cadit. Dominica siquidem proximè subsequens hoc Plenilunium, erit Dominica Paschalis, à quo omnia Festa Mobilia consequenter dependent. Sive jam posteà hoc Calendarium correctum per Protestantes appelletur Calendarium Julianum correctum, sive Tychonicum: & nostrum ab ijs nuncupetur Lilianum, (utpotè cùm hoc in Aloysij Lilij, & Antonij Lilij Fratrum, & illud in Tychonicis observationibus sit fundatum) sive Gregorianum, aut quocunque nomine indigitetur, dummodo re ipsâ hæc duo Calendaria inter se concordent, & quoad omnia conveniant.

Tenendum est 4. Minimè expedire, ut Novum aliud ab utroque hoc diversum Calendarium Christianitati proponatur, & obtrudatur. Primò. Quia per illud nequaquam obtinebitur, id quod unicè intenditur, nempè: *Conformitas* totius Christianitatis in Calendario. Etenim certum est, Catholicos illud non acceptaturos, sine Summi Pontificis approbatione, quæ prudenter sperari nequit. Secundò. Quia dubium est, an etiam ipsi Protestantes omnes, hanc novam Normam acceptaturi essent. Imò Tertiò. Quia fortassis subsequeretur major adhuc difformitas in Calendarijs, & inde eveniret id, quòd Protestantibus in reformatione prætenta Religionis. Nam cùm Lutherus rejectâ Veteri & Romanâ Religione, ex suo capite novam cudisset Religionem, mox aliam meliorem putabat se efformaturum Zvinglius, aliam rursus Calvinus, aliam Anabaptistæ, aliam Novi Ariani, aliam Puritani, &c. Sic eveniret huic Novo Calendario, & post paucos annos, aliud Calendarium haberet Germania, aliud Svecia, aliud Hollandia, aliud Anglia. Cujus rei ratio est. Quia apud Protestantes non est certa Regula doctrinæ, etiam in rebus Fidei, sed unusquisque sequitur suum Krytirion, & judicium. Quot autem sunt homines, tot sunt opiniones, & quot capita, tot sensus. Et si in rebus Fidei non conveniunt, quomodo convenient in Norma Novi Calendarij? cùm jam initio statim ejusdem, prodiverint in publicum complures diversæ illius formæ, & discrepantia inter se projecta, ex quibus tamen ad uniformitatem optatam, vel maximè accedit projectum Domini Weigelij. Reliqua verò aliorum projecta & judicia in hoc puncto Concordiæ, utriusque Ca-

lendarij, nempè Juliani, & Gregoriani, utpotè proprij ingenij inventa, sunt potiùs, ad majorem Calendariorum varietatem & discordiam, quàm ad inducendam eorundem conformitatem & uniformitatem per totum Christianum Orbem, quæ tamen conformitas & uniformitas, est præcipuus scopus ad quem tendere deberent, omnes in hac materia elucubrationes. Sed neque prudenter sperari potest, ut aliqua tertia forma Calendarij diversa ab utroque hoc Calendario, à Christianitate tota recipiatur. Quæ enim erit illa ex tanta varietate novarum inventionum? Quis Judex determinabit unam alij præferendam? An Collegium aliquod Mathematicorum? sit ita. Nunquid ideò, se illicò accommodabunt omnes aliæ Academiæ, illius judicio? Profectò multas sententias Philosophicas tenendas esse definivit Collegium Conimbricense, aut Complutense, nunquid ideò ab omnibus acceptantur? imò à multis, liberè & palàm impugnantur.



DISSER-

DISSERTATIO X.
ASCETICO-PHYSICO-THEOLOGICA.

De ſtatu Animarum Hominum, poſt hanc Vitam.

Laudabili ſanè methodo, in diſciplinis Mathematicis, & præſertim Geometricis, præmitti ſolent, rerum tractandarum certa Poſtulata, Definitiones, Axiomata, & Propoſitiones, ex quibus dein, mirandæ, & ſæpè inexſpectatæ, veriſſimæ tamen ac infallibiles, inferuntur concluſiones, ac conſequentiæ.

Porrò *Poſtulatum* eſt, quod ab omnibus prudentibus, & uſu Rationis pollentibus, facilè conceditur. *Axioma* autem eſt veritas, quæ non indiget aliâ probatione, ſed per ſeipſam unicuíque eam intelligenti, fidem facit, & aſſenſum extorquet. *Definitio* verò eſt rei ipſius, per ejuſdem eſſentiam, clarior explicatio. *Propoſitio* deníque eſt, veritatis alicujus haud difficulter probandæ, enunciatio. Hanc igitur methodum, etiam nos, in præſenti ſervabimus materia. Sit igitur.

§ I.

Præmittuntur, quædam Poſtulata, Definitiones, & Axiomata, huic materiæ ſubſervientia.

NUMERUS I.

Poſtulata.

I.

RAtio recta poſtulat, ut quis res venales ſuæ œconomiæ (quando id æquali labore, ac induſtriâ fieri poteſt) potiùs ſummo (juſto tamen) pretio eóque certo vendat, quàm infimo & viliſſimo, ac ſæpè incerto. *Conceditur hoc poſtulatum, ab omnibus prudentibus Oeconomis.*

2. Viciſſim, ut quis pro eadem moneta, ac eodem valore ejuſdem, potiùs comparare ſibi ſtudeat, res verè pretio dignas, & ſummè utiles, ac proficuas, quàm res viles, abjectas, & inutiles, imò & noxias, quando eadem omninò facultas datur ad utrúmque. *Conceditur poſtulatum ab omnibus prudentibus Emptoribus.* Sic convenientius eſt rectæ rationi, eâdem pecuniâ emere verum adamantem, quàm fracti vitri fruſtillum.

3. Pluris facere res in ſeipſis bonas, quàm apparenter ſolùm bonas: pluris item res bonas conſtanter durabiles, quàm citiſſimè perituras. *Conceditur poſtulatum ab omnibus prudentibus negotiatoribus.*

4. In æſtimatione rerum potiùs ſequi judicium prudentum, & doctrinâ, ſapientiâ, virtute, ac experientiâ præditorum hominum, & à fortiori ipſius divinæ ſapientiæ, quàm opinionem vulgi & rudis ac ſimplicis eæque vitijs immerſæ, ignorantíſque plebeculæ, minoris ſiquidem eſt, ſic res, imò nullius periculi, certè in æſtimatione alicujus gemmæ, aut rari lapidis, vel mineræ divitis, potiùs ſequendum eſt judicium gemmarij & metallarij expertiſſimi, quàm ad ſtivam ſemper hærentis, nec ultra proſpicientis, ruricolæ.

5. In promiſſis potiùs adhærere illi ex duobus promittentibus, qui majora promittit, éſtque in ſuis promiſſis verax, conſtans, ac fidelis, ac potens præſtare ea, quæ promittit, quàm ei, qui pauca & vilia promittit, éſtque fallax, mendax, inconſtans, ac infidelis, & nec pauca illa, quæ promittit, ſemper præſtare potens, præſertim, ſi utérque æqualia, & à fortiori, ſi ille minora, & hic majora ſibi obſequia præſtari exigat.

6. Ad conſequendum bonum, unicè neceſſarium, & ad evitandum extremum malum, nulli labori, nulli induſtriæ parcendum eſſe, omniáque media, eáque quàm efficaciſſima adhibenda, aut ſaltèm non minora, quàm ad conſequendum leve aliquod bonum, & ad evitandum leve aliquod malum.

7. Magìs timere eum, qui plus nocumenti nobis inferre, vel majori bono nos privare poteſt, quàm eum, qui vix aliquid mali inferre, & nihil ferè nobis nocere, aut boni auferre poteſt.

8. Viatori neceſſario ad certum terminum tendenti, ad quem ſi pervenerit, erit feliciſſimus, ſi ab eo aberraverit infeliciſſimus, illam viam præeligendam eſſe, quam qui tenuerunt, ſecurè ad optatum terminum pervenerunt, illi viæ, quam quot quot tentârunt, turpiſſimè à ſuo termino aberraverunt.

9. Si eidem Viatori mare procelloſiſſimum, vel flumen rapaciſſimum inevitabiliter tranſeundum ſit, præſtabit utique ei navim firmam conſcendere, quàm luxatam, rimoſam, & peſſimè compaginatam.

10. Inter duo bona majus bonum, & inter duo mala minus malum præeligere, cùm datur utriúſque optio.

11. Ad

11. Ad finem unicè desiderabilem, obtinendum, proportionata, & non opposita media adhibere.

12. Plus credere veraci, quàm fallaci, & mendaci.

13. Ei, à quo quis sæpissimè deceptus est, & quem constat fallacem & mendacem esse, ac semper fuisse, ampliùs fidem non adhibere.

14. De amissione rei abjectissimæ, minùs dolere & de ea amittenda minùs timere ac sollicitum esse, quàm de rei amissæ, vel amittendæ summi valoris, summi pretij, & summæ importantiæ.

15. Ad aliquod malum tollendum vel evitandum, non adhibere pro remedio, aliud longè majus malum.

16. Plùs amare eum qui omni amore est dignus, & magìs nos amat, magìs nobis bene vult, majora nobis bona præstitit & præstare paratus est, quàm eum, qui nullo amore est dignus, sed contemptu magìs: qui nulla beneficia nobis præstitit: vel illa vilia solùm & futilia, nec imposterum præstare vult, imò multa mala nobis intulit, & inferre intendit.

17. In Rebus agendis non ponere finem, in medijs ad eundem assequendis, nec in ijs felicitatem & præstantiam finis, constituere. Sed in fine ipso mediorum.

18. Pro Regula actionum suarum potiùs habere prudens dictamen rectæ rationis, quàm phantasiæ, & stultæ imaginationis, vel apprehensionis, & passione perturbatæ rationis. *Postulatum hoc nemo negat, nisi fatuus.*

20. Brevem præsentem & citissimè transeuntem patientiam, non recusare pro longissimis commoditatibus futuris.

NUMERUS II.

Definitiones.

1. DEUS est Ens perfectissimum, quo perfectius nec dari, nec cogitari potest.

2. Tempus est duratio, cujus finis datur.

3. Æternitas est duratio, quæ nullum finem habet.

4. Vita hominis est duratio, quâ anima unita est corpori.

5. Finis, & Beatitudo, & summum bonum hominis, sunt idem omninò & convertibilia inter se.

6. Anima Rationalis est actus primus corporis substantialis organizati, potentiâ vitam Rationalem, præter vegetativam, & sensitivam, habentis.

7. Vita humana est transitus seu via, ad terminum inchoandæ æternitatis.

8. Vita æterna, eſt Poſſeſſio omnium bonorum, & excluſio omnium malorum.

9. Mors æterna, eſt cumulus omnium malorum, & excluſio omnium bonorum.

10. Homo ſine anima eſt cadaver, ſublatâ enim animâ, nihil remanet in homine præter corpus inanime, inſenſibile, corruptibile, in pulveres, terram, vermes, & ſaniem proximè convertibile.

11. Peccatum eſt dictum, vel factum, vel cogitatum contra Legem DEI.

12. Pœnitentia eſt, commiſſa plangere, & plangenda non committere.

13. Mors eſt diſſolutio animæ à corpore.

NUMERUS III.

Axiomata.

1. DEUS, eſt Ens ſummè perfectum ſive perfectiſſimum, ſunt prædicata convertibilia.

2. Cùm DEUS ſit Ens perfectiſſimum, & omnem omninò perfectionem continens, ac Eſſentialis exiſtentia ſit una ex perfectionibus, neceſſe eſt, ut quóque hanc contineat, adeóque dari DEUM, & exiſtere, eſt evidens.

3. Cùm DEUS eſſentialiter exiſtat, hoc ipſo eſt Ens à ſe, hoc eſt, à nulla cauſa dependens, ſed vi naturæ ſuæ, in ſe ab æterno ſubſiſtens. Quidquid enim ab alio accipit ſuum eſſe tanquàm à cauſa, id formaliter, vel ſaltèm virtualiter, ſeu æquivalenter eſt contingens, hoc eſt, vel aliquando non exiſtit, vel ſaltèm potuit non exiſtere.

4. Cùm DEUS ſit à ſe, hoc ipſo eſt Cauſa prima rerum omnium, ſiquidem aliam Cauſam ante ſe non habet, & omnes res aliæ, à ſuis cauſis ſuum eſſe accipiunt.

5. Ex eo, quòd DEUS in exiſtendo, à nulla Cauſa dependeat, ſed ſit à ſe, ſequitur, quòd in omnibus ſuis perfectionibus, ſit illimitatus, ſeu infinitus. *Quia limites perfectionis in re quavis oriuntur à voluntate, vel diſpoſitione Cauſæ quæ non poteſt communicare effectui perfectionem ampliorem, quàm ipſa in ſe contineat.*

6. Cùm DEUS ſit in omnibus ſuis perfectionibus illimitatus, & infinitus, & omnes perfectiones in ſe contineat, conſequens eſt, ut eſſentialiter verax ſit tam in cognoſcendo, quàm in loquendo.

7. Cùm DEUS ſit eſſentialiter verax, tam in cognoſcendo, quàm in dicendo, nec falli, nec fallere, nec decipi, nec decipere, nec mentiri, nec falſum dicere poteſt.

8. Quid

8. Quidquid igitur DEUS de ſe revelavit, vel de rebus alijs, eſt verum, ac infallibile.

9. Unde Actus fidei Divinæ, utpotè, qui innititur revelationi Divinæ, tanquàm ſuo ſpeciali, & unico motivo formali, eſt eſſentialiter certus, & verus.

10. Ad hoc, ut homo poſſit quid divinâ fide credere, neceſſe eſt, ut DEUS homini revelet credendum Myſterium. Fides ſiquidem divina eſt eſſentialiter connexa ex ſuo modo tendendi, cum revelatione divina, tanquàm ſuo objecto formali.

11. Ad hoc autem ut homo obligetur ac teneatur, quid fide divinâ credere, neceſſarium inſuper eſt, ut DEUS locutioni, ſeu revelationi ſuæ ſigna quædam adjungat (quæ à Theologis motiva credibilitatis vocantur) ex quibus ſecurè, ac prudenter colligere poſſit, revelationem illam verè exſtare, ſeu locutionem, & manifeſtationem veritatis illius à ſolo DEO provenire.

12. Hunc modum cum hominibus loquendi inſtituit DEUS ab initio per oracula Moyſis, & Prophetarum, quæ cœleſtibus prodigijs, ac ſignis tam admirandis illuſtravit, ut non potuerint homines prudenter dubitare, quin doctrina ijs oraculis expreſſa, à DEO inſpirata, & vera DEI locutio fuerit.

13. Dein veritates credendas DEUS propalavit, & manifeſtavit per monumenta Scripturarum Sacrarum Veteris Teſtamenti, quas ipſe Scriptoribus Sacris dictavit, ac noviſſimè locutus eſt nobis per Filium JESUM Chriſtum, & nunc loquitur nobis per Eccleſiam, quæ eſt columna & firmamentum Veritatis. 1. ad Timoth. 3. Et adversùs quam portæ inferi non prævalebunt, juxta promiſſionem ipſius Chriſti. Matth. 16.

14. Unde quænam Scriptura, ſit vera Scriptura Sacra, & DEI locutionem continens? aliunde ſcire non poſſumus, quàm ex definitione veræ Eccleſiæ Chriſti. Ita ut nec ipſi adverſarij poſſint aliam rationem aſſignare, cur ex. g. Evangelium Matthæi ſit verum Chriſti Evangelium, & non v. g. Nicodemi, & aliorum, qui Apocrypha ſcripsêre Evangelia.

15. Non ſolùm ad veram Chriſti Eccleſiam pertinet declarare, quinam Libri, ſint veræ Scripturæ Sacræ Libri, ſed inſuper etiam, quinam ſit cujúſque Textus. Scripturæ Sacræ, ſenſus. Sicut enim ad hoc ut credamus, quid fide Divinâ, neceſſe eſt, ut certò ſciamus Librum illum, in quo aliqua veritas nobis manifeſtatur, eſſe veram Scripturam Sacram; adeóque eſſe veram locutionem DEI, ita neceſſe eſt, ut ſciamus hunc eſſe ſenſum locutionis Divinæ, & non alium.

16. Hinc Kritirion illud, ſeu privatum cujúſque judicium, non eſt ſuffi-

ciens regula ad diſcernendum, quinam ſint Scripturæ Sacræ veri Libri, vel quis ſit verus ſenſus alicujus Textûs, ipſius Scripturæ. Sæpè enim talia Kritiria ſunt diverſa & ſibi oppoſita, utrumque igitur Kritirion verum eſſe non poteſt, & pro uno non eſt major ratio, quàm pro altero, nec poteſt adduci pro veritate unius tale argumentum, quo non poſſet uti alter pro ſuo contrario Kritirio.

17. Notæ porrò veræ Chriſti Eccleſiæ ſunt: 1. Ut ſit Sancta, hoc eſt, & Viris Sanctis conſtet, & doctrinam talem tradat, quâ fideles ad ſanctitatem ſectandam inſtruat. 2. Ut ſit Una, hoc eſt, in omnibus articulis fidei conveniens. 3. Ut ſit Catholica, ſeu univerſalis, hoc eſt, quæ ſemper & ubique fuit, eſt, & erit. 4. Ut ſit Apoſtolica, hoc eſt, ſuæ doctrinæ & Paſtorum ſucceſſionem, ab ipſis Apoſtolis, uſque ad præſens tempus, continuatam habeat.

18. Hinc facilis eſt Analyſis, uniuſcujúſque articuli fidei, ſeu reſolutio in ſolida & indubitata principia. Si enim quis ex me quærat, cur credam DEUM eſſe unum in eſſentia & trinum in perſonis? Reſpondebo, quia hoc DEUS, qui nec falli nec fallere poteſt, in Scripturis de ſe revelavit, quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt. Item Matth. 28. v. 19. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Si dein quæras, Unde ſcis quòd in his textibus contineatur hæc Veritas: DEUM eſſe unum in eſſentia & trinum in perſonis, atque hunc eſſe ſenſum eorundem. ℟. Quia hunc ſenſum eſſe illorum, declaravit mihi Eccleſia, & ex authoritate, ac infallibilitate, quâ declaravit mihi, Evangelium Matthæi, & citatam Epiſtolam S. Joannis veram eſſe Scripturam Sacram, ſi demùm quæras, Unde ſcis in hoc non errare Eccleſiam. ℟. Ex eo me id ſcire, quòd DEUS Eccleſiam hoc affirmantem afficiat illis notis & ſignis, quibus teſtatur illam, ſuo nomine & ſe authore id hominibus annunciare, & manifeſtare, & declarare, quòd aliud non eſt, quàm ipſum DEUM per Eccleſiam hominibus loqui, & de re illa quam proponit, mentem ſuam manifeſtare. DEUS autem ſive per ſe, ſive per alium loquens, errare non poteſt. Atque ſic de omnibus fidei articulis.

19. Hinc actus fidei Divinæ eſt eſſentialiter verus, ita ut illius objectum, & prout ab eo enunciatur, abſolutè ſe aliter habere non poſſit.

20. Unde actus fidei Divinæ eſt certior, omni actu ſcientifico & evidenti, omníque demonſtratione Metaphyſicâ, vel Geometricâ: ita ut ſi intellectus alterutri diſſentire deberet, deberet potiùs huic, quàm illi diſſentire.

21. Actus Concluſionis, qui infertur ex duabus præmiſſis, quarum utraque eſt de fide, eſt etiam ipſe actus fidei Divinæ; ſicut & Propoſitio particularis, contenta formaliter in Univerſali, quæ eſt de fide.

22.

22. Actus verò Concluſionis qui infertur, ex una præmiſſa, quæ eſt de fide, & altera quæ eſt certa tantùm certitudine morali, vel etiam evidens, evidentiâ naturali, eſto non ſit actus fidei Divinæ, eſt tamen certiſſimus, vocatúrque actus Theologicus.

23. Non ſolùm ille actus, qui communi & publicæ Revelationi, ſed etiam is, qui innititur Revelationi privatæ, eſt actus fidei Divinæ, Re ipſâ enim & hîc innititur formali objecto fidei Divinæ, nempè locutioni ſeu Revelationi Divinæ.

24. Hæc tamen privata Revelatio, ad hoc, ut judicetur exiſtere, opus habet validiſſimis & minimè dubijs motivis credibilitatis.

25. Unde ſicut omnibus Revelationibus, quæ circumferuntur vel narrantur, aut etiam ſcribuntur, quòd ſint factæ, fidem adhibere ſtatim, eſt ſignum levitatis & ſimplicitatis (qui enim facilè credit, levis eſt corde) ita rejicere omnes, etiam eas pro quibus ſunt ſufficientia & evidentia motiva credibilitatis, quòd ſint omninò factæ, ſignum eſt, ſummæ pertinacitatis & ſtoliditatis.

26. Ex his duobus principijs, quòd DEUS ſit Ens perfectiſſimum, & conſequenter in ſuis perfectionibus illimitatus ac infinitus; & quod ſit eſſentialiter verax, ac proindè veriſſimum ſit quidquid de ſe, alijſque rebus nobis revelavit, facilè deducuntur omnes reliquæ ejuſdem perfectiones. Igitur.

27. DEUS ratione ſuæ infinitatis eſt *incomprehenſibilis* tam intelligentiâ, quàm amore, ita ut nullus creatus vel creabilis Intellectus eum ſic poſſit comprehendere, ut nihil DEI eum lateat: nulla item voluntas creata, vel creabilis pro dignitate amare.

28. DEUS eſt *immenſus & ubique præſens*, utpotè, qui eſt excelſior cœlo, profundior inferno, cujus magnitudo eſt longior terrâ, & latior mari. Job. 11. & qui cœlum terrámque implet. Jerem. 23. quem cœli cœlorum non capiunt. 2. Paralipom. 6.

29. DEUS eſt *immutabilis*. Non eſt DEUS, quaſi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur. Num. 23. Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis adumbratio. Jacob. 1.

30 DEUS eſt *æternus*. Ipſę enim eſt omnium rerum, ævum & tempus, ante dies, ante ævum, ante tempus. *Dionyſius cap.* 10. *de Divinis nominibus.* Priuſquàm montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à ſæculo uſque in ſæculum tu es DEUS. Pſalm. 89. v. 2.

31. DEUS eſt *omnipotens*. Apud quem omnia ſunt poſſibilia. Matth. 10. Et non eſt impoſſibile apud DEUM omne verbum. Luc. 1. id eſt nulla res, quæ animo concipi queat, aut verbo exprimi, imò plus DEUS poteſt facere, quàm intel-

intellectus creatus vel creabilis comprehendere. Unde certissimum est: DEUM omne id posse, quidquid non includit esse, & simul non esse, seu quod essentialiter repugnantiam non involvit in se.

32. DEUS est omniscius & infallibiliter cognoscens omnia cognoscibilia, quæ sunt, & quæ non sunt, quæ fuerunt, & quæ non fuerunt, quæ erunt, & quæ non erunt, quæ essent, vel non essent, sub hac vel illa conditione, & quæ possent esse, & quæ non possent esse, idque perfectissimè, & singula ita, ac si uni soli rei intentus esset. *Oculi enim Domini plus lucidiores sunt, super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Eccl. cap. 32. *Et est Discretor cogitationum & intentionum cordis, & non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus.* ad Hebræ. 4. & Psal. 138. *Mirabilis facta est, scientia tua ex me (supra captum meum) confortata est, & non potui ad eam.* Et Psalm. 145. *Sapientiæ ejus non est numerus.*

33. DEUS est *Summa Sanctitas.* Unde Ecclesia in Hymno Angelico meritò cantat: Tu solus Sanctus; (essentialiter scilicet ac modo infinito) & cœli, cœlorúmque virtutes ac beata Seraphin concinunt. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth.* Isaiæ 4. *Non solùm autem DEUS in se Sanctus est, sed & in omnibus operibus ejus.* Psalm. 144.

34. DEUS est *Summa Bonitas*, imò solus DEUS est bonus, & bonitatis illius non est finis, éstque Origo, Auctor; & Idæa omnis bonitatis.

35. DEUS est *summè benignus*, quâ benignitate nobis communicat omnia bona, quæ habemus, & paratus est nobis dare æterna bona, adeóque seipsum per totam æternitatem.

36. DEUS est *perfectissimus Dominus.* Idque tam Dominio Jurisdictionis, quàm Dominio proprietatis. *Ipse enim est solus Dominus, Rex Regum, & Dominus Dominantium.* 1. Tim. 6. *Rex sæculorum, quia omnibus sæculis dominatur; & ubique tenet Imperium in cœlo, in terra, in mari, in inferno. Regnum ejus est Regnum omnium sæculorum, & Dominatio ejus, in omnem generationem & generationem.* Psalm. 44. *In cujus Dominio cuncta sunt posita, & non est, qui possit resistere voluntati ejus.* Esther 13.

37. DEUS providentiâ suâ gubernat hoc totum universum, quâ attingit à fine usque ad finem fortiter; & disponit omnia suaviter: sine cujus voluntate vel positiva, vel permissiva nihil fit, & qui positivâ voluntate nihil potest velle, nisi bonum, permissiva quidem permittit malum, quod tamen non permitteret, nisi ex ejusdem permissione prævideret secuturum majus bonum. *Qui tribus digitis appendit molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in statera.* Is. 40. v. 12. nempè sapientiâ, bonitate, & omnipotentiâ. *Sine cujus*

cujus voluntate nec capillus cadit de capite nostro, utpotè omnes ab èo numerati, nec passer de tecto decidit, nec folium arboris movetur; nec fluctus aquarum crispatur: Qui ex rebus etiam pessimis, solet eruere optima, facit ut justis omnia cooperetur in bonum; Et ex tentationibus ipsis, ellicit proventum; *qui mortificat, & vivificat, percutit & sanat, humiliat & exaltat; deducit ad inferos & reducit: in cujus manibus sunt sortes nostræ, qui dat cui vult, quantum vult, & quando vult, quia non est currentis néque volentis, sed miserentis DEI gratia, cujus est, salus nostra, qui solus dat in nobis scire, velle, & perficere bonum, & evitare malum.* Nam ut loquitur S. Augustinus: Non est peccatum, quod facit unus homo, quod non faceret alter homo, nisi sustentaretur ab eo, à quo factus est homo. Unde hæc Divina providentia, excludit omne fatum, omnem casum, omnem fortunam, bonam aut malam, quæ mera sunt nomina sine re.

38. *Præscientia DEI omnium futurorum etiam quæ liberè futura sunt, sive absolutè, sive conditionatè, esto sit infallibilis, non tamen tollit libertatem actuum liberorum.* Hi enim non ideò fiunt, quia DEUS per suam scientiam, eos præscivit, infallibiliter futuros, sed quia futuri erant; ideò DEUS illos præscivit. Nam ut S. Damascenus, Dialogo adversùs Manichæos ait: Præsentia DEI, nunquam causa est, quòd fiat, quòd futurum est, quin potiùs, quia hoc vel illud futurum est, ideò illud prænoscit.

39. *DEUS est infinitæ misericordiæ*, quod luculenter commemorat Scriptura, ut Exod. 34. Dominator Dominus DEUS, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, & verax, qui custodit misericordiam in millia, qui aufert iniquitatem, & scelera, atque peccata. Et Psalm. 85. Et tu Domine DEUS, miserator & misericors, patiens, & multæ misericordiæ; Et Psalm. 32. Misericordiâ Domini plenâ est terra; Ac Psal. 144. Svavis Dominus universis, & miserationes ejus, super omnia opera ejus.

40. *DEUS ita est misericors, & tamen sit simul justissimus.* Unde Psalmista ait; Omnes viæ Domini, misericordia & veritas. Psalm. 34. Et Psalm. 96. Justitia & judicium correctio sedis ejus. Et alibi: Justus es DEUS, & rectum judicium tuum. Item: Annunciaverunt cœli justitiam ejus. Et Apostolus ait: Horrendum est incidere in manus DEI viventis.

41. DEUS est remunerator bonorum, & vindex malorum, *Reddet enim unicuíque secundùm opera ejus. Et qui bene fecerint, & vixerint, ibunt in vitam æternam, qui verò malè, in ignem æternum.* Et Matthæi 12. *Dico vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicij.* Misericordia nihilominùs DEI est super omnia opera illius. Unde bona opera remuneratur semper supra condignum, demerita verò punit, infra condignum.

42. DEUS est ultimus finis, cujus gratiâ sunt omnia. *Universa enim propter seipsum operatus est Dominus.*

43. Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum DEUM suum laudet, eúmque revereatur, hoc est amet, & timeat, eíque serviens, tandem salvus fiat.

44. Reliqua cuncta, quæ sunt in hoc universo. Sunt creata, ut hominem ad hunc finem consequendum, adjuvent.

45. DEUS ad hanc salutem vult omnes pervenire, quantum ex se est, *seu DEUS vult omnes salvos fieri, nec vult mortem peccatoris*, qui igitur hunc finem non assequuntur, ipsimet suæ damnationis Authores sunt.

46. In æternitate non datur medium inter cœlum & infernum, inter cœlestia gaudia, & pœnas infernales! inter summam fœlicitatem, & summam infœlicitatem. *Nam si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocúnque loco ceciderit, ibi erit.* Lucæ 11. v. 3.

47. Stultum est, finem velle assequi, sine medijs ad illius consecutionem, unicè necessarijs.

48. Finiti ad Infinitum nulla est proportio.

49. Anima est potior pars hominis, cujus proinde major cura habenda est, quàm corporis.

50. Quodvis damnum tantò majus est, quantò plus bonorum eripit.

51. Nullus actus virtuosus seu honestus, ex supernaturali motivo ellicitus caret apud DEUM suo præmio. Nullus actus vitiosus est sine supplicio.

52. DEUS omnibus hominibus indidit dictamen rectæ rationis, ut illud sequatur, quod eidem conforme est, illud vitare conetur, quod eidem est difforme.

53. Nullum Mysterium fidei est contra naturalem rationem, licèt sit supra rationem naturalem.

54. Si DEUS non posset plus facere, quàm intellectus creatus vel creabilis comprehendere, eo ipso non esset illimitatæ potentiæ, siquidem ipse intellectus creatus est limitatæ potentiæ.

55. Tale est opus quodve uniuscujúsque, qualis est ejusdem intentio.

56. In æstimatione & electione Rerum hujus universi aut Christus errat aut mundus, cùm Christus illa æstimaverit & elegerit quæ mundus horret & contemnit, & illa contempserit, & contemnenda verbo & exemplo docuerit, quæ mundus æstimat & magnifacit. Atqui Christus utpotè Sapientia Divina, errare non potest. Ergò mundum errare necesse est.

57. Christus est Via, Veritas, & Vita, quo igitur quis magìs accedit imitatione, & judicij conformatione ad Christi vitam & doctrinam, eò magìs securus est

est de via recta ad cœlum, de veritate assequenda, de Vita æterna consequenda.

58. Nihil nobis proderit etiamsi totum mundum lucrati fuerimus, etiamsi longissimam vitam duxerimus, eámque omnibus commoditatibus, & voluptatibus ac delicijs plenam, dignitatibus, divitijs, & honoribus affluentem, si animæ detrimentum passi fuerimus, quam enim homo dabit commutationem pro anima sua? Unde & ipsi damnati ingemiscunt: *Quid nobis profuit superbia, & divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Sapient. 5. v. 9.

59. Econtra oberit nobis nihil, esto totius mundi mala sustinere deberemus, omnésque sufferre adversitates, miseriásque, per totum, etiam longissimæ vitæ decursum, si finem ad quem conditi sumus, assequamur. *Non sunt enim condignæ passiones hujus mundi ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Et quidquid hîc patiamur modicum tribulationis est, ad illud gloriæ pondus comparatum*, quod per tribulationes, patienter toleratas, nobis comparamus.

60. Aut hîc, aut ibi, aut in hac, aut in altera vita, aut in tempore, aut in æternitate, gaudendum, vel dolendum, & patiendum. Non est transitus de hujus vitæ voluptatibus ad cœlestes, & æviternas delicias ac voluptates, nec de miserijs hujus vitæ pro DEO æquo animo susceptis, ad cruciatus infernales. Si enim compatimur, & glorificabimur. Clamat ex alto Abrahamus: *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Luc. 16. v. 25.

§ II.

Præmittuntur quædam Propositiones subservientes huic Materiæ.

PRopositio 1. *Datur anima rationalis in homine.* Homo siquidem constat corpore, & anima, non solâ vegetativâ & sensitiva, aliàs enim non differret à bruto. Ergò rationali insuper.

Propositio 2. *Anima Rationalis est vera forma hominis.* Est siquidem principium formale omnium operationum in homine, corpúsque humanum, quod est altera pars hominis, complet in ratione hominis.

Propositio 3. *Anima Rationalis in homine est forma substantialis.* Quia cum copore conficit compositum substantiale, éstque radix omnium operationum in homine.

Propositio 4. *In quolibet homine una duntaxat est Anima Rationalis.* Unusquísque

quisque enim homo, est unum tantùm compositum substantiale, & unum tantùm *Esse*, & quidem *Esse* hominis, non corporis seu compositi inanimati, nec bruti, nec solùm vegetativi. Igitur unam tantùm habet formam substantialem. Hæc autem forma in homine est anima Rationalis, ergò una tantùm est anima rationalis in homine.

Prupositio 5. *Hæc anima Rationalis est etiam formaliter sensitiva, & vegetativa.* Constituit siquidem hominem, ut homo sit non modò, principium discurrendi & volendi, sed etiam sentiendi & vegetandi.

Propositio 6. *Anima Rationalis est indifferens, ut producatur vel non producatur, & ut vel hoc, vel illo tempore producatur, ac ut huic, vel illi corpori infundatur.* Cùm enim sit forma substantialis, habet quóque prædicata & proprietates cæterarum formarum substantialium, quibus dicta indifferentia convenit.

Propositio 7. *Potentiæ animæ Rationalis, nec inter se, nec ab anima distinguuntur realiter.* Frustrà enim distinctæ essent, nam nulla id postulat necessitas, nulla svadet ratio.

Propositio 8. *Omnes animæ Rationales sunt æqualis perfectionis physicæ.* Quia similiter nulla est necessitas adstruendi hanc inæqualitatem perfectionis Physicæ in animabus Rationalibus, nec ullâ ratione aut experientiâ ea probari potest. Nam licèt nonnulli sint acrioris & subtilioris ingenij, vel fœlicioris memoriæ, vel maturioris judicii, vel generosioris & nobilioris indolis, vel agilioris, melioris, & habilioris habitudinis, cuncta hæc in perfectiorem organorum dispositionem, refundi possunt.

Propositio 9. *Anima Rationalis est purè spiritualis.* Quia Sacra Scriptura animam Rationalem vocat simpliciter spiritum, ut Lucæ 23. *In manus tuas commendo spiritum meum*, id est animam. Et Eccles. 12. Revertatur pulvis in terram suam, unde venit, & spiritus redeat, ad DEUM, qui dedit illum. 2. Quia Concilia omnia unanimiter dicunt, & fides vera docet idipsum: Verbum Divinum, assumpsisse carnem humanam, atque animam incorpoream. Denominatio autem incorporei est Negativa, igitur Anima Christi, prorsus nihil habuit de corporeitate, sed tota fuit purè spiritualis, Ergo & animæ cœterorum hominum, sunt puræ spirituales, siquidem sunt ejusdem rationis specificæ, cum anima rationali Christi.

Propositio 10. *Anima Rationalis, ex natura est creabilis tantùm.* Naturâ enim suâ exigit, tam ex nihilo sui, quàm ex nihilo subjecti produci, hoc ipso siquidem, quod sit substantia spiritualis, est independens in sui productione ab omni subjecto materiali.

Propositio 11. *Hinc anima Rationalis, non potest absolutè per eductionem produ-*

produci. Quia quæ ſunt naturâ ſuâ, creabilia tantùm, repugnat ea per eductionem produci, ſic enim, eductio deberet ſupplere creationem, quod fieri non poteſt Imperfectius enim ex ſuo genere, nequit ſupplere id, quod eſt perfectius ex ſuo genere. Eductio autem eſt imperfectior productio ex ſuo genere, quàm ſit creatio Ergò.

Propoſitio 12. *Anima Rationalis, non propagatur vi ſeminis.* Quia cùm ſit ſubſtantia purè ſpiritualis, adeóque indiviſibilis, & exigat tantùm creari, naturâ ſuâ, non poteſt per actionem materialem, (cujuſmodi eſſet productio., per propagationem ſeminis) produci, vel ex materia educi.

Propoſitio 13. *Anima Rationalis non producitur à Parentibus.* Ab his enim non producitur aliud quàm ſemen; propagatione autem ſeminis non producitur anima Rationalis. Ergò.

Propoſitio 14. *Anima Rationalis producitur per Creationem.* Quia cùm ſit ſubſtantia ſpiritualis, & natura creabilis tantùm, debet eſſe independens à materia, ſeu non produci per eductionem, ergò debet produci per Creationem, quæ eſt productio alicujus termini, ex nihilo ſui, & nihilo ſubjecti.

Propoſitio 15. *Animæ Rationales, non producuntur per Creationem ab Angelis, ſed à ſolo DEO.* Quia Creatio nulli Creaturæ, adeoque nec Angelis competit, ſed ſoli DEO.

Propoſitio 16. *Animæ Rationales, non fuerunt creatæ priùs à DEO, ante infuſionem illarum in corpus.* Quia cùm ſint formæ ſubſtantiales, non debent priùs creari, quàm habeant materiam, cui uniri, & quam informare debent, ad ſui unionem, ritè diſpoſitam.

Propoſitio 17. *Anima Rationalis, eſt naturâ ſuâ immortalis.* Id enim primò fides docet & probatur ex Scriptura, uti Sapient. 5. habetur: *Quòd Juſti in perpetuum ſint victuri.* Et Matth. 10. dicit Chriſtus: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Et Matth. 22. ipſe Salvator clarè ex illis verbis Exod. 8. *Ego ſum, DEUS Abraham, DEUS Iſaac, & DEUS Jacob*, infert contra Saducæos, animæ immortalitatem, eò quòd DEUS non ſit mortuorum, ſed vivorum. 2. Probatur idem ex Concilio Lateranenſi, quod Seſſione 8. ſic loquitur: *Damnamus & reprobamus, omnes aſſerentes, animam intellectualem, mortalem eſſe*; Et quidem ſaltem ex Decreto Divino animam immortalem eſſe, nullum eſt apud Chriſtianos, & maximè Catholicos, dubium. Major difficultas eſt, utrum Anima Rationalis ſit ex natura ſua immortalis. Verùm & hoc probatur. 1. Authoritate Divinâ, Sapientiæ enim ſecundo Capite. Cùm dictum fuiſſet impios negâſſe animæ immortalitatem, ſtatim ſubjungitur: *Hæc cogitaverunt & erraverunt excæ-*

excæcante illos malitiâ eorum. Ergò lumine naturæ immortalitas animæ Rationalis cognosci potest. Ergò est ex natura sua immortalis, Consequens hoc secundum patet, quia id quod lumen naturæ dictat esse tale, secundùm se, & non ab extrinseco tantùm, id ex natura sua est tale, aliàs enim id quod lumine naturæ est notum, posset esse falsum.

Prima autem Consequentia probatur: *Impij negantes immortalitatem animæ, non sunt excusabiles in suo errore.* Ergo veritas hæc est, evidens lumine naturæ. Probatur hæc Consequentia à pari. Ideò siquidem Existentia DEI, est lumine naturæ nota: quia DEUM existere negantes, sunt inexcusabiles, ut loquitur *S. Paulus.* Ergò ideò etiam Immortalitas animæ est lumine naturæ nota, quia hanc negantes non sunt excusabiles. Quod inde etiam confirmatur. Quia error hic in impijs dicitur esse naturalis, ob obcœcationem passionis. Erg. In intellectum liberum à passionibus cadere non potest, præterquàm quòd dissensus à veritate, quæ tantùm opinione probari potest, possit esse excusabilis. Ergò cùm si hic error sit inexcusabilis, debet esse dissensus veritatis lumine naturæ evidentis. Id ipsum testatur communis omnium SS. Patrum. & Doctorum Virorum authoritas, quâ hanc veritatem lumine naturæ esse notam, unanimiter approbant; Ex quibus S. Chrysostomus lib. 4. de Providentia ait: *Perinde est immortalitatem animæ negare, ac si quis contendat, in meridie diem non esse.*

Probatur Conclusio secundò Ratione. *Evidens est DEUM esse, & justissimâ providentiâ hunc mundum gubernare.* Atqui hoc non esset evidens, si anima rationalis non esset immortalis. Ergò evidens est, quòd anima Rationalis sit immortalis. Probatur minor. Quia si animæ Rationales non essent immortales, sequeretur, quòd quò alij homines essent nequiores & magis insipientes, hoc ipso essent fœliciores & beatiores, & magis prœmiarentur à DEO, & quò alij essent virtuosiores & sapientiores, hoc ipso essent infœliciores magisque miseri, & minùs prœmiarentur, vel etiam magis punirentur à DEO, quod sanè esset contra Divinæ Providentiæ justitiam. Ergò. probatur major. Quia multi virtuosi, vexantur, & plurima mala perpetiuntur à malis & impijs, variisque calamitatibus urgentur, & sapientissimi quique contemnunt bona temporalia, ut assequantur æterna, multi è contra improbi ducunt vitam in bonis, & maximis abundant divitijs, fruuntur voluptatibus & honoribus, si igitur anima Rationalis non esset immortalis, quò aliqui essent nequiores, eò magis essent beati & fœlices, quia in hac vita haberent summam fœlicitatem, & in altera nihil paterentur, & quò aliqui essent innocentiores, eò minùs præmiarentur à DEO, imò plus punirentur, quia in hac vita essent miseri, & in altera nullum reportarent præmium.

mium. Ergò poſt mortem hominis remanet adhuc anima rationalis, ut pro meritis ſuis vel præmietur, vel puniatur.

Probatur Concluſio tertiò. *Omnes naturali inſtinctu horremus mortuos homines, & plusquèm cadavera brutorum.* Ergò lumen naturæ nobis dictat, ſupereſſe aliquid hominis in rerum natura, etiam poſt illius mortem, quod non ſupereſt poſt bruti mortem. Plura omitto, ad noſtrum ſiquidem præſens propoſitum ſufficit, ſive anima Rationalis ſit naturâ ſuâ immortalis, ſive ab extrinſeco tantùm, hoc eſt vi Decreti Divini.

§ III.

De ſtatu animæ Rationalis dum eſt in corpore, qui ſtatus illius, eſt ſtatus Viæ.

NOn agimus hîc de conſtitutione & ſtatu animæ Rationalis prout conſtituit corpus humanum animatum Phyſicè; ſed de ſtatu ejuſdem, prout ea per vitam dirigitur ad ſtatum futurum poſt hanc vitam; unde hic ſtatus illius, eſt & dicitur ſtatus Viæ.

Propoſitio 1. *Anima Rationalis creatur à DEO in ipſo inſtanti generationis, in quo materia ultimò eſt diſpoſita, ſeu organizata, ad animam Rationalem, tanquàm formam recipiendam, ſtatímque corpori eodem inſtanti unitur.* Prima pars eſt, contra quoſdam antiquos Philoſophos, qui putabant omnes omnino animas Rationales initio mundi eſſe creatas & conditas, ac deinde ſucceſſive à DEO infundi corporibus humanis, quaſdam citiùs, quaſdam tardiùs, prout Numinis providentiæ viſum fuerit.

Probatur hæc Concluſio primò Authoritate Concilij Conſtantienſis, cujus hæc ſunt formalia verba; *Deliramentum eſt impudens, aſſerere animas ante corporis infuſionem eſſe creatas.* Probatur ſecundò ratione, quia nullus eſt finis, ad quem animæ Rationales, priùs creatæ fuiſſent; Quòd enim poſt mortem exiſtant, cauſa & finis eſt, ut puniantur, vel præmientur. Ergò animæ Rationales non creantur, niſi in ipſo inſtanti generationis. Ergò ſimul dum creantur, infunduntur corporibus, & ſimul eidem uniuntur, imò non pauci dicunt, animæ Rationalis actionem creativam in corpore eſſe ſimul realiter ejuſdem unionem, cum corpore.

Propoſitio 2. *Vita hæc noſtra eſt Via ad ſtatum æternitatis.*, ad quem omnes tendimus, quamdiù vivimus, unde & viatores ac peregrini dicimur & ſumus. Tendimus porrò ad immenſæ hujus æternitatis ſtatum, & progre-

dimur,

dimur, non corporeis pedibus, sed animæ affectibus, & cogitationibus, verbis & actionibus, intentionibus, ac operibus, pro ijsdem præmium vel pœnam in æternitate accepturi, prout illa bona vel mala, aut bene vel malè gesta fuerint. Convenit proinde, ut quemadmodum Viatores prudentes, sæpè exquirunt, indagant, considerant, ac examinant, quænam via sit rectissima, & tutissima ad terminum, ad quem tendunt (præsertim si à deviatione rectæ Viæ, immineat gravissimum aliquod periculum) ita & nos à potiori, inquiramus, indagemus, & consideremus, ac examinemus, quænam Via sit rectissima & tutissima ad fœlicitatem æternam ducens, ut illâ incedamus; quæ item sit illa, quæ est ducens ad interitum & damnationem æternam, ut illam evitemus, & caveamus; & si in illa sumus, errorem corrigamus, & ad viam rectam redeamus, implorando DEI super hoc auxilium, frequenter cum Psalmista suspirando: *Vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Psalm. 24. *Notam fac mihi viam in qua ambulem.* Psal. 14. *Perfice gressus meos, & semitas tuas, ut non moveantur vestigia mea.* Ps. 16. Præsertim cùm sit aliquando via, quæ videtur homini justa: novissima autem ejus deducunt ad mortem; Quod ut facilius assequamur, expediet scire certas notas, signa, & indicia indubitata, hujus, vel illius viæ; quæ ex ipsius Scripturæ Sacræ testimonijs collecta, hìc apponimus.

Signa igitur viæ rectæ & ducentis ad cælum, atque indicia & notæ sunt. 1. Via quæ ducit ad vitam, est *arcta* hoc est coarctata per Leges, & Divina mandata. Matt. 20. v. 14. 2. Est via *justa seu justorum*, hoc est justitiam sectantium, & nulli injuriam facientium. Psalm. v. 6. & 2. v. 12. 3. Est via, *quæ est in conspectu DEI*, hoc est eorum, qui in omnibus suis cogitationibus, verbis & operibus, præsentiam DEI in oculis & memoria habent, eámque reverentur Psalm. 5. v. 9. 4. Est via *dura*. Psalm. 16. v. 4. hoc est aspera & ardua, qualis est semita virtutis. 5. Est via *impolluta & immaculata*. Psalm. 17. v. 34 & 33. hoc est casta, & omni labe carens. 6. Est via *virtutis*. Psalm. 101. v. 24. hoc est variarum virtutum exercitio plena. 7. Est via *Testimoniorum & mandatorum Divinorum.* Psalm. 118. v. 14. & 32. hoc est, omnia mandata Divina observantium. 8. Est via *justificationum Divinarum & via veritatis.* Psalm. 118. v. 27. & 30. hoc est in gratia justificante proficiscentium, juxta veritates æternas, cogitationes, opera, & verba dirigentium. 9. Est via *Sanctorum.* Prov. 2. v. 8. hoc est Sanctorum vitam imitantium. 10. Est via *prudentiæ.* Prov. 9. v. 6. hoc est, conformiter ad dictamen rectæ rationis viventium. 11. Est via *justorum absque offendiculo.* Prov. 15. v. 19. hoc est, sine omni scandalo vitam ducentium. 12. Est via *virorum.* Prov. 21. v. 2. hoc est, constantium in virtute, & vitæ bonæ instituto. 13. Est *via*

æqua.

æqua. Ezechiel. 18. v. 25. *Cùm enim averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in his. Et cùm averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium & justitiam, ipse animam suam vivificabit.* 14. Est via Domini, *in qua omnis vallis impletur, & omnis mons & collis humiliatur, & fiunt prava in directa, & aspera, in vias planas.* Luc. 4. & 5. Hoc est, mores pravi mutantur in bonos, & rectæ rationi, Legique Divinæ consentaneos. 15. Est denique via vitæ & veritatis, seu Christi, qui de se dicit: *Ego sum via, veritas, & vita.* Hæc autem est eorum, qui per doctrinam, & exemplum Christi informati, eidem conformem vitam ducunt, atque sic per hanc viam in veritate ambulantes, ad vitam æternam perveniunt. 16. Est via *perfecta*, Job. 16. Hoc est, non solùm peccata caventium, sed & perfectioni studentium.

Notæ verò, inditia, & signa malæ viæ sunt. 1. *Hæc via est lata & spatiosa.* Matth. 7. utpotè, in qua laxantur habenæ omnium cupiditatum, voluptatum carnalium, desideriorum, sensualium oblectationum, & *multi intrant per eam.* quia longè, & minimùm millecuplo major pars hominum damnatur. 2. Est via *peccatorum*. Psal. 1. v. 1. Hoc est, DEI, Religionis, & Legi Divinæ contemptorum, vel ut Hebraicus textus habet, animo, & conscientiâ inquietorum, & quasi in fide & Religione inconstantium. 3. Est via *tenebrosa & lubrica.* Psal. 34. v. 6. Non enim vident, quid vitandum sit, & facilè tentationibus succumbunt, & cadunt, ac corruunt, juxta illud Proverb. 4. v. 19. Via *impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruunt.* 4. Est via *scandali.* Psaml. 48. v. 14. Hoc est, ratio eorum vivendi, est scandalosa, & alijs malo exemplo, & offensioni, quin etiam ipsismet, sunt causa ruinæ, & tamen ut ibidem mox additur: *Et postea in ore suo complacebunt*, id est, & cùm ita vivant, adhuc sibi complacent, *& gloriantur in studijs pessimis, quasi bene agerent*, nempè *quia non intellexerunt quæ recta sunt, & quæ post mortem manent*, v. 21. ibidem. & quod deceret dignitatem hominis creati ad imaginem DEI, & idcircò *comparati sunt jumentis insipientibus, & similes facti sunt illis per mores belluinos*, præsentiâ solùm & quæ sub sensus cadunt considerantes. Unde v. 15. subjungitur: *Sicut oves impositi sunt, mors depascet eos*, hoc est, gregatim & magno numero ad infernum detrusi sunt, & pabulum erunt æternorum cruciatuum & ignis, qui nunquam extingvitur. 5. Est via *iniquitatis*. Psal. 106. v. 17. in qua incedunt, *exacerbant eloquia DEI, & consilium DEI irritant.* v. 11. ibidem. Hoc est: consilia & monita DEI, quæ per legem suam illis suggerit non admittunt, ideoque hâc contumaciâ DEUM irritant. 6. Est via *mala*, quæ teritur ab hominibus, *qui perversa loquuntur, & relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas, qui lætantur cùm*

malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, quorum viæ perversæ sunt, & infames gressus eorum. Proverb. 2. v. 12. 13. 14. 15. 7. Est via *inferi.* Proverb. 2. v. 27. quâ *qui incedunt penetrant in inferiora mortis.* Hoc est, profundam gravem & æternam pœnam sibi conciliant. 8. Est via *stultorum, sed & invia stultus ambulans cùm ipse insipiens sit omnes stultos affirmat.* Eccles. 11. v. 3. Hoc est, cùm ipse sinistram teneat, & pravitatem sequatur, alios etiam sibi similes putat esse, & à recta via, scilicet à bono deflectere in malum. *Et initium verborum ejus stultitia & novissimus oris illius error pessimus.* v. 13. Nihil enim sanum loquuntur impij, sed tota illorum locutio scatet erroribus. Multiplicant verba illa: *Ignorat homo quid ante se fuerit, & quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare?* v. 14. ibidem. Hoc est, ut ab omni metu securi vivere possint & vuluptati vacare, sibi fingunt animam non esse immortalem, & qui antè mortui sunt, eos funditùs interijsse, idémque futurum de nunc viventibus. 9. Est via *erroris*, eaque difficilis, uti fatentur ipsi damnati. Sapient. 5. v. 6. dicentes: *Ergò erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non illuxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis, lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem bonam ignoravimus.* Nam licèt videatur hæc via initiò esse jucunda, & grata sensibus, ut habetur Eccles. cap. 21. v. 11. *Via peccantium complanata lapidibus.* mox tamen additur: *Et in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ, & medium viæ illius quasi sarcina*, molesta scilicet & gravis. 10. Est via *laboriosa*, & proxima ruinæ. juxta illud Eccles. 32. v. 25. *In via ruinæ non eas, & non offendes lapides, ne credas te viæ laboriosæ, ac ponas animæ tuæ scandalum.*

Propositio 3. *Brevis est hæc vita hominis.* Nam ut testatur scriptura: Job. 14. v. 8. *Breves dies sunt hominis, numerus mensium ejus apud te est, posuisti terminos ejus qui præteriri non poterunt.* Porrò longissimus hic terminus nostræ vitæ eâdem scripturâ teste: Psal. 29. v. 10. *Sunt septuaginta anni, si autem in potentatibus*, hoc est, in ijs, qui sunt firmæ corporis constitutionis & valetudinis, *octuaginta anni & ampliùs eorum labor & dolor.* Et quàm pauci hunc (esto brevem) terminum vitæ attingunt! Ætas námque vitæ humanæ communiter dividitur trifariam, nempè: in primam, mediam, ac ultimam. Prima se extendit ad 25. annum, media à 25. ad 50. ultima quod reliquum est, complectitur. Quæ partes vitæ rursus variæ subdividuntur, & prima quidem in infantiam, pueritiam, pubertatem, & adolescentiam. Infantiæ tribuuntur 3. vel 4. anni, pueritiæ quod reliquum est ad decimum annum, pubertas se extendit ad 14. annum, residuum usque ad 25. annum exclusivè est adolescentia. Ætas media distribuitur in juventutem, & virilem ætatatem. Juven-

Juventus à 25. ad 35. vel 40. porrigitur: inde virilis ætas ad annum 50. excurrit. Tertia ætas seu ultima continet primam & decrepitam senectutem. Senectus prima à 50. ad 65. protenditur. Ultima seu decrepita senectus vitam claudit, & hæc raro ad 70. annum, rariùs ad 80. extenditur. Jam verò quotus quisque ad hanc decrepitam senectutem pervenit? Vix sanè millesimus. Archidiaconus quidam in amplissima sua parœcia diligentissimè à se baptizatorum nomina in librum ad id deputatum conscribebat, post longum verò tempus cùm singulorum in dicto libro nomina revideret, ex ijsdem vix tertiam partem ad usum rationis, hoc est, ad septimum vel octavum annum pervenisse comperit. Ex hac dein tertia parte haud dubiè non omnes ad pubertatis pervenerunt annos, rariores ex his ad annos adolescentiæ, ex his vicissim non omnes ad virilem ætatem, pauciores ad primam senectutem, paucissimi aut fortè vix aliqui ad ætatem decrepitam. Tanta est humanæ vitæ brevitas! Jam si *mille anni sunt apud DEUM tanquam una dies*. Ps. 89. v. 4. quid erunt anni 100. quid 70. quid 50. quid 40. quid 25.? Ineamus paulisper computum arithmeticum. Mille anni in oculis DEI sunt sicut una dies, dies una, facit horas 24. igitur centum anni erunt sicut duæ horæ & 24. minuta, & 50. anni sunt hora una, & 12. minuta, & 25. anni sunt. media hora, & sex minuta. Et sic hoc, quod vocatur senectus paucorum minutorum tempore clauditur. Et quidem hic terminus vitæ 70. vel 80. annorum est per mortem naturalem, quot autem morte violentâ moriuntur? quod genus mortis prænominatas mortis partes non discernit? *Et quoties audîsti* (inquit Thomas Kempensis) *à dicentibus, quia ille gladio cecidit, ille submersus est, ille ab alto ruens cervicem fregit, ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit. Alius igne, alius ferro, alius peste, alius latrocinio interijt, & sic omnium finis mors est, & vita hominum tanquam umbra citò perit.* Unde meritò Regius Vates canit: *Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fœnum arui.* Psal. 101. v. 12. Et S. Job 15. v. 2. *Homo quasi flos egreditur, & conteritur, ac fugit velut umbra.* Et Ezechias Rex: *De mane, usque ad vesperum finies me.* Isaiæ 38. v. 12.

Propositio 4. *Vita humana est plena miserijs.* Appositè rursus hanc in rem idem Thomas de Kempis sic scribit: *Dies hujus temporis parvi & mali, pleni doloribus & angustijs, ubi homo multis peccatis inquinatur, multis timoribus stringitur, multis curis distenditur, multis vanitatibus implicatur, multis doloribus circumfunditur, multis laboribus atteritur, tentationibus gravatur, delitijs enervatur, egestate cruciatur.* Non minùs verè & Lessius de immortalitate animæ, ratione 9 ubi sic disserit: *Subjicitur natura humana in hac vita ærumnis innumeris, à quibus bestiarum natura est immunis*: Assiduè enim

sollicitatur curis, exagitatur timoribus, tabescit invidiâ, conficitur mœrore, cruciatur desiderijs, uritur alienâ prosperitate, semper anxia, semper querula, nunquam sorte suâ contenta, nunquam animo tranquilla. His adde paupertatem, exilia, carceres, servitutem, orbitatem, infamiam, matrimonij jugum, liberorum educationem, fortunarum jacturam, præteritorum pœnitudinem, futurorum sollicitudinem, tot labores, & sudores, ut caro misera sustentetur, ut ab injurijs aëris vindicetur, ut miseram vitam trahat, tot errores, tot suspiciones, tot morbos, languores & dolores, quibus mortalitas nostra est exposita, ut meritò dixerit quidam:

Nîl adeò est grave aut calamitosum
Cujus pondus non ferat humanum genus.

Accedit his S. Gregorius Nazianzenus, de vitæ itineribus: *Nullum* (inquit) *iter hominis bonum est, quod non habet admixtum vitij*. Opes sunt insidiæ, paupertas, pedica est, dignitatum fastus, mera sunt somnia, imperare periculosum, alterius imperio subesse molestum, juventus est temporis fervor, canities tristis vitæ occasus, gloria est aër, matrimonium est vinculum, liberi sunt seges curarum, satietas petulantiam, egestas impatientiam, svadet. Ac demùm & S. Chrysostomus in oratione de S. Philogonio, Tom. 3. cumulatim hujus vitæ miserias sic recenset: *Ubi morbi, ubi præmaturæ mortes, ubi calumniæ, ubi invidiæ, ubi iræ, ubi cupiditates, ubi innumerabiles insidiæ, ubi quotidianæ sollicitudines, ubi perpetua sibique succedentia mala, innumeros ex omni parte dolores afferentia.*

Propositio 5. *Vita nostra est plena tentationibus.* Inter hostes enim versamur à dextris, & à sinistris, nunquam securi in hac vita sumus, sed quoad vixerimus, arma spiritualia sunt nobis necessaria, ut ait Thomas de Kempis Lib. 3. de Imitatione Christi cap. 35. *Militia námque est vita hominis.* Job. 7. v. 1. Unde S. Hieronymus in Psal. 75. sic scribit: *Quamdiù in præsenti sæculo sumus, tempus est belli, cùm autem migraverimus de hoc sæculo, pacis tempus adveniet.* Nemo ergò se nunc putet securum in tempore belli, ubi certandum est, & Apostolica arma tractanda, ut victores quondam requiescamus in pace. Nam ut ait Apostolus: 1. Petr. 5. v. 8. *Adversarius noster diabolus, tanquam leo rugiens, circumit quærens, quem devorret.* Sedet in insidijs & in occultis, ut interficiat innocentem, insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Et quod majus est: inimici nostri domestici sunt, caro, & sangvis, & sensus quoque nostri ab adolescentia ad malum sunt proni. Ipsa quóque natura nostra corrupta est, & corpus quod auxilio deberet esse animæ, ipsam aggravat. Non datur in hoc bello requies, quod non finitur usque ad finem vitæ nostræ, imo tunc vel maximè ab inferna-

fernali hoste restaurantur. Nullus est locus tam sanctus, nullus status tam selectus, nulla persona tam perfecta, quæ sit immunis à tentationibus, plena sunt omnia laqueis, plena peccandi periculis. Mundus in quo degimus, totus in maligno positus est. Caro concupiscit adversùs spiritum. Unde & Apostolus de se ait, ad Rom. 7. v. 15. *Non quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago.* Hoc est, sæpè non perficio id quod bonum esse mente approbo, & judico, sed ad illud repugnantiam & obluctantiam carnis experior, & vicissim nimiam ad omne malum pronitatem sentio, quod tamen non approbo, sed odio habeo. Verùm *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit per illam, accipiet coronam vitæ.* Necesse est igitur, ut veniant tentationes, non enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit; sed quomodo certabit, si desit qui impugnet? DEUS tamen suos non permittit tentari supra id, quod per gratiam ejusdem tentati possunt ferre, sed cum tentationibus, facit & proventum. *Nam virtus in infirmitate perficitur.* 2. Cor. 12. v. 9. Unde S. Augustinus ait: *Tentatio, ignis est, in quo aurum rutilat, palea consumitur: Justus perficitur, peccator miserè perit, tempestas est, ex qua hic emergit, ille suffocatur.* Hinc Salvator noster non docuit nos, ut oremus ne tentemur, sed ne in tentationem inducamur. *Resistamus diabolo & fugiet à nobis.* Jacob. 4. v. 7. Neminem is vincit, nisi volentem. Non enim nocet sensus, nisi adsit consensus. Est enim diabolus (teste S. Augustino) tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortiferâ securitate conjunxerit.

Propositio 6. Omnia hujus vitæ bona sunt mera vanitas. *Homo enim vanitati subjectus est.* Unde Sapientis sapiens effatum est: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Sapient. 1. v. 2. Vanitas porrò omnium bonorum hujus sæculi, & vitæ humanæ, non tantùm quotidianâ experientiâ uniuscujúsque hominis, res hujus mundi considerantis, manifestè comprobatur, sed & ipsius omnium mortalium sapientissimi Salamonis, qui luculenter testatur, *se postquam magnificâsset opera sua, ædificâsétque sibi domos, & plantâsset vineas, fecisset hortos, & pomaria, & consevisset ea cuncti generis arboribus, extruxisset sibi piscinas aquarum, ut irrigarent sylvas lignorum germinantium, possedisset servos, & ancillas, multámque familiam habuisset, armenta quóque, & magnos ovium greges, comparâsset sibi argentum, & aurum, & substantiam Regum, ac Provinciarum, fecisset sibi cantores, & cantatrices, delicias filiorum hominum, scyphos, & urceos in ministeria ad vina fundenda, ac supergressus fuisset opibus omnes, qui ante eum erant in Jerusalem, & omnia quæ desideraverunt oculi ejus non negâsset eis, nec prohibuisset cor suum quin omni voluptate frueretur, & oblectâsset se in his quæ præpa-*

raverat, in his tamen omnibus non reperiſſe aliud quàm vanitatem, & afflictionem ſpiritûs. Id ipſum etiam, recta ratio ſvadet. Vanum enim dicitur id, quod vel naturæ ſuæ indole, eſt valde inconſtans, & mutabile, vel quòd fallacem tantùm habet ſpeciem, vel quòd eſt inutile, ad ea quæ nobis proponimus aſſequenda, vel quod non meretur tot curas, & moleſtias, tantóſque labores ac conatus, quos in illo adipiſcendo aut conſervando impendimus, vel quod nobis infert majores moleſtias incommoditates, & afflictiones animi, quàm ſi illo caruiſſemus. Item vanum illud dicitur, quod in multis deficit, quod leve eſt & inane, vel quo ſpes hominum fruſtratur. Unde vanitas apud Ambroſium Calepinum idem eſt, ac fallacia & mendacium. Notat item D. Hieronymus quoſdam græca illa verba *ἀτριὸς ατριων*, quæ latinus interpres vertit: *vanitas vanitatum*, interpretari: *vapor vaporum*, vel vapor fumi, & aura tenuis, quæ facilè ſolvitur. Atque hæ omnes proprietates, acceptiones, & deſcriptiones hujus vocis *vanitas vanitatum*, ad amuſſim bonis hujus ſæculi, & vitæ humanæ conveniunt. Sunt námque ea primò fucata ſolùm bona, & fallacia. Secundò. Sunt inutilia ad conſequendum fin.m ad quem aſſequendum unicè impendere nos debemus, ſi in illis ſolùm ſiſtamus, & in ijs finem noſtrum conſtituamus. Tertiò. Non merentur tot curas & ſollicitudines. Quartò. Creant nobis majores animi moleſtias, quàm ſi ijs careremus, ſunt ſiquidem multis malis immixta. Quintò. Sunt defectuoſa, & mutila, & nunquam ſimul cumulata. Sextò. Sæpè ſæpiùs illis ſpes humanæ fruſtrantur. Septimò. Sunt tranſitoria, & ut vapor fumi, evaneſcunt: Sic ex. g. divitiæ hujus ſæculi ab ipſo Salvatore noſtro non appellantur ſimpliciter divitiæ, ſed cùm addito, fallaces divitiæ, & non tantùm ſunt inutiles, ſed & noxiæ ad finé creationis noſtræ aſſequendum. Nam teſtante id ipsâ veritate: Faciliùs eſt camelum per foramen acûs tranſire, quàm divitem intrare Regnum DEI. Marc. 10. v. 25. *Et qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Eleganter ſanè quidam dicit: *Vitijs & divitijs affine eſt nomen, communis labes.* Quomodo ergò bonæ ſint, vel bonos faciant, quæ non re ſolùm, ſed nomine etiam cum malo conveniunt? Jam autem in divitijs comparandis quantus eſt labor? in retinendis quanta ſollicitudo? quæ animi carnificina? moleſtias ſecum afferunt admirandas & incredibiles, ijs latrunculi inſidiantur, furum ſunt præmium, pabulum timorum, ſitim excitant, non ſedant, corpori ſomnum, animo auferunt tranquilitatem, facilè & cum dolore amittuntur, & deperduntur, difficulter acquiruntur, & conſervantur, & ut plurimùm in ijs acquirendis ſpes hominum fruſtrantur. Sic voluptates corporis appa-

apparent quidem quasi bonæ, quasi amabiles, quasi jucundæ, quasi cupiditatibus satisfacientes, cùm re ipsâ sint fœdissimæ, contemptibiles, ac detestabiles, brutis magìs convenientes (utpotè ijs propriæ) quàm hominibus, quas non aliud consequitur quàm erubescentia, & pudor, & dolor, nulla siquidem est sine dolore voluptas. Sic favores magnatum & Principum, etiam post multos conatus vix acquiruntur, & tamen levi ex causa amittuntur, bona fama & existimatio in infamiam, amor in odium implacabile, sæpiùs vertuntur, pulchritudo corporis, vel unico morbo turpissimè defœdatur. Nec minor est fucus & fallacia, in titulis, honoribus, & dignitatibus, cunctísque hujus sæculi bonis. Quæ reverâ nihil aliud sunt, quàm nocturnum somnium, quod apparente die evanescit, quàm flores verni, qui vere exacto emarcescunt, quàm umbra quæ citò præterit, quàm fumus, qui citò solvitur, & dispergitur, quàm bulla, quæ momento disrumpitur. *Et ipse homo vanitati similis factus est, ac dies ejus, sicut umbræ prætereunt.* Psal. 145. Et Psal. 38. *Verùmtamen universa vanitas omnis homo.*

Propositio 7. *Non solùm omnia bona vitæ humanæ, sed & ipsa humana vita est mera vanitas.* Est siquidem primò mera fabula, mera comœdia, cujus Prologus est nasci, Narratio dolere, Epilogus mori. Unde quomodo fabula, sic vita, non quàm diù, sed quàm bene acta sit, refert (Senec. Ep. 77.) & hæc tamdiù peragitur, quamdiù vitæ Auctor voluerit, si brevem brevis, si longam longa (Epist. Ench. cap. 3.) Secundò. Est *peregrinatio* duntaxat, sic enim Jacob Patriarcha vocavit dies vitæ suæ, *Dies peregrinationis meæ inquit centum triginta annorum sunt parvi & mali.* Nostræ autem peregrinationis multò pauciores, & deteriores. *Et dum sumus in corpore peregrinemur in Domino.* 2. Cor. 5. v. 6. Tertiò. Est *merum somnium*, illúdque ludicrum, *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viti divitiarum in manibus suis.* Psal. 75. v. 6. Et velut somnium evolans quod non invenietur, *Transiet sicut visio nocturna.* Job. 20. v. 7. Quartò. Est velut *umbra*, *Dies mei sicut umbra declinaverunt.* Psal. 102. v. 12. Homo *quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra.* Job. 14. Quintò. Est *Cursor. Dies mei* (ait idem S. Jobus) *velociores fuerunt Cursore, fugerunt, & non viderunt bonum.* Job. 6. v. 25. Sextò. Est *vapor*, quæ enim est vita nostra? *Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Jac. 4. v. 15. Hoc est, quasi vapor, qui facillimè dissipatur, & evanescit. Septimò. Est *Diversorium*, ex quo migrandum est omnibus, & alijs succedentibus nobis, locus dandus. Nam *tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis, vita nostra est.* Sap. 5. v. 15. Octavò. Est *Exilium*, *Non enim habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* ad Hebr. 13. v. 14. *& ducunt peccatores in vita sua*

dies

dies & in puncto ad inferos descendunt. Nonò. Est *carcer* animæ, ex quo desiderabat Apostolus liberari: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* ad Rom. 7. v. 24. Hoc est, de mortali hoc corpore velut carcere. Decimò. Est *Tela aranearum*, quæ modico scoparum ictu dilaceratur. Undecimò. Est *ictus oculi*, in quo clauduntur omnia, & cupiditates, & voluptates, & deliciæ, & divitiæ, & tituli, & dignitates, & honores, & favores, &c. Duodecimò. Est *vallis lachrymarum.* In qua clamant & suspirant gementes & flentes exules filij Evæ. Decimo tertiò. Est *mors continua*, teste S. Gregorio hom. 31. in Evangel. dicente: *Temporalis vita, vitæ æternæ comparata, mors est potiùs dicenda, quàm vita, nec enim quotidianus defectus corruptionis quid aliud est, quàm prolixitas mortis.* Et ut Seneca canit: *Hora quæ prima dedit vitam carpsit.* Decimo quartò. Vita denique humana compendio est:

Somnus, Bulla, Vitrum, Glacies, Flos, Fabula, Fœnum.
Umbra, Cinis, Punctum, Vox, Sonus, Aura, Nihil.

Igitur *Vanitas vanitatum.* Concludat hunc Paragraphum Thomas Kempensis, Lib. 1. cap. 1. à v. 4. *Vanitas igitur est, divitias perituras quærere, & in illis sperare.* Vanitas quóque est honores ambire, & in altum statum se extollere. Vanitas est: carnis desideria sequi: & illud desiderare, unde postmodùm graviter oportet puniri. Vanitas est, longam vitam optare, & de bona vita parùm curare. Vanitas est: præsentem vitam solùm attendere, & quæ futura sunt non prævidere. Vanitas est, diligere, quod cum omni celeritate transit, & illuc non festinare, ubi sempiternum gaudium manet.

Propositio 8. *Finis vitæ humanæ, seu animæ Rationalis in corpus infusæ, est*, ut quamdiù in hoc corpore manet, Dominum DEUM suum laudet, & revereatur, (hoc est amet ac timeat) eique serviat, ac tandem æternùm in altera vita sit beata, qui est ultimus ejus finis ad quem à DEO est creata. Sunt autem hi duo fines ita invicem connexi, ut nisi ille præmittatur, hic nullatenus obtineatur. Est enim hæc vita permodum negotiationis, & nundinationis. Sicut itaque qui nullas merces vel viles vel pretiosas, vel prohibitas, in nundinis vendit, ac distrahit, nullum vel exiguum, vel magnum lucrum reportat, aut etiam pœnam & damnum; ita qui in laude, amore, & timore, ac servitio DEI in hac vita nihil, vel parùm, aut multùm proficit, vel ab his deficit, multùm, aut exiguum, vel omninò magnum prœmium in vita altera obtinebit, aut inenarrabile damnum pœnásque gravissimas reportabit. Nam ut S. Paulus 1. ad Corinth. 2. v. 12. scribit: *Si quis autem superædificabit super fundamento hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fænum, stipulam, uniuscujúsque opus manifestum erit, videlicet*

ut

ut pro eo vel remunerationem accipiat, vel pœnam sustineat, unusquisque enim propriam mercedem accipiet, secundùm suum laborem. 1. ad Cor. v. 8. *Et unicuique DEUS reddet secundùm opera ejus.* ad Rom. 11. v. 6. Unde meritò monet Sapiens: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare DEUM eique soli servire.* Et alius: *Sola DEO servire salus, sunt cætera fraudes.* Extra hæc enim, laudem scilicet DEI, ejúsque amorem ac timorem, DEIque servitium omnia sunt inutilia, vana, imò perniciosa etiam, in conspectu Divino, & in ordine ad ultimum finem nostrum, nempè ad æternam beatitudinem obtinendam. Certò nihil ad hunc obtinendum conferet divitiarum amor, & superbia vitæ, fatentibus ipsis damnatis. Sapient. 5. v. 8. *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Nihil magna famæ existimatio, *Perit enim cum sonitu memoria impiorum.* Psal. 9. v. 7. Et Psal. 33. v. 17. *Vultus Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Et oblivioni tradita est memoria illorum.* Eccl. 9. v. 5. Vel si aliquo exiguo tempore eorum memoria maneat, Laudantur ubi non sunt, & cruciantur ubi sunt. Nihil vana gloria, *hanc enim sequentes*, (si tamen eam consequuntur) *accipiunt in hac vita mercedem suam.* Matth. 6. v. 5. Nihil potentia, *Potentes enim potenter tormenta patientur.* Sapient. 5. v. 6. Nihil delitiæ: *Quantum glorificavit se, & in delitijs fuit tantum date illi tormentum & luctum.* Apocal. 18. v. 7. Nihil joci & risûs: *Risus impiorum in luctum convertetur.* Jacob. 4. v. 9. Et Luc. 6. v. 5. *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Nihil saturitas cibi & potûs: *Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis.* Nihil splendor vestium & epularum: *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpurâ, & epulabatur quotidie splendidè, mortuus est autem, & sepultus est in inferno.* Luc. 16. v. 19. & 22. Nihil humanæ & pseudo-politicæ rationes, nihil hujus mundi sapientia, nihil vanæ scientiæ: *Quia nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo ij qui hæc sequuntur, properant.* Eccl. 9. v. 10.

Propositio 9. *Reliqua omnia creata in hoc mundo seu universo, sunt ad hunc finem condita à DEO*, ut homini sint tanquàm media, adjumento, auxilio, & incitamento ad ejusdem finem prosequendum, qui est *laudare, amare, & timere DEUM, ei denique servire.* Et reverâ nulla creatura est in hoc universo tam vilis, quæ non possit hominem ducere ad cognitionem alicujus perfectionis Divinæ, & consequenter eundem excitare ad laudem, timorem & amorem DEI, & ad serviendum eidem. Unde S. Paulus ad Roman. 1. v. 19. & 20. ait inexcusabiles fore homines coram DEO, quòd hunc finem non fuerint prosecuti. *Quia quòd notum est DEI, id est, quod cognoscere possumus de DEO, manifestum est illis*, idest, manifestum esse potuit &

debuit. *Inviſibilia enim ipſius*, id eſt attributa & perfectiones DEI, quæ oculis corporeis conſpici non poſſunt, uti ſunt: ſapientia, bonitas, pulchritudo, juſtitia, &c. *à creatura mundi*, id eſt ex rebus creatis in hoc mundo, *per ea, quæ facta ſunt intellectu*, ideſt per creaturas cognitas *conſpiciuntur*, ideſt cognoſci poſſunt, *ſempiterna quóque ejus virtus*, ideſt vis & potentia Conditoris; ex quarum perfectionum cognitione incitari potuiſſent & debuiſſent, ad eundem laudandum, timendum, amandum, eique ſerviendum. Quare S. Proſper de vocatione gentium cap. 4. vocat hunc mundum *præconem* & *teſtem Divinitatis.* Et Apoſtolus 1. ad Corinth. 13. *ſpeculum* & *ænigma.* Denique mundus eſt inſtar tabulæ, in qua Divinitas adumbrata eſt, inſtar libri omnibus gentibus expoſiti, in quo ea, quæ ad DEUM pertinent, legi poſſunt. Sic pulchritudo creaturarum docet nos, quantò pulchrior ſit ille, qui eas condidit, à quo in quo & per quem pulchra ſunt, quæ pulchra ſunt omnia. Veritas & bonitas rerum creatarum docet nos, quantò veritas & bonitas major ſit in DEO, in quo, à quo, & per quem vera & bona ſunt, quæ vera & bona ſunt omnia, & quæ terrifica ſunt in creaturis monent nos, quantò magis terrificus erit Judex DEUS, qui non ſolùm eſt remunerator bonorum, ſed & vindex malorum. Unde Regius Vates meritò canit: Pſal. 18. v. 1. 2. 3. *Cœli enarrant gloriam DEI*, id eſt homines excitant ad enarrandam & celebrandam DEI potentiam, & ſapientiam, *& opera manuum ejus annunciant firmamentum*, id eſt firmamentum cœli oſtendit, quàm egregia ſint opera DEI. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*, id eſt viciſſitudo tam rata & conſtans dierum & noctium, diéſque diei ſuccedens, & nox nocti, oſtendit Divinam vim & poteſtatem, atque ſic de cæteris omnibus creaturis. Quare ſalubriter Aſcetæ, ad perfectionem conſequendam, & meritum augendum præſcribunt duas praxes, quibus velut duabus alis homo promoveatur ad aſſequendum finem ſuum, quarum una dicitur *mentis ad DEUM elevatio*, quâ ex conſideratione creaturarum mens elevatur ad cognitionem alicujus perfectionis Divinæ. Altera, *jaculatoria precatio*, quâ voluntas elicit proportionatum eidem cognitioni pium affectum.

Propoſitio 10. *Ex his clarè deducuntur ſequentes Concluſiones.* Prima eſt, quòd non debeamus ponere finem vitæ noſtræ, ſeu actionum, operationum, & intentionum noſtrarum in ulla creatura; cùm omnes omninò creaturæ habeant ſolùm rationem mediorùm, Id enim eſſet ordinem rerum invertere, nec unquam velle finem, ad quem creati ſumus conſequi, nec ullâ quiete internâ frui, nec beatitudinem hujus, & alterius vitæ velle aſſequi. Finis ſiquidem & beatitudo ſunt idem omninò, & una eadémque res. Secunda eſt; quòd ijs ſolùm creaturis, debeamus & in tantùm uti, quæ, & in quantum

nos

nós promovent ad finem, ad quem à DEO conditi ſumus conſequendum, & ex his, eas præeligere, quæ ad hunc finem nobis magìs conducunt, & ſecuritatem majorem nobis præſtant. Quemadmodùm artifex ea ſolùm inſtrumenta uſurpat, quæ magìs propoſito operi conveniunt, & Viator talem ſolùm viam ingreditur, quæ illum ad præfixum terminum rectà deducit. Tertia, quòd abſtinere debeamus ab omnium creaturarum uſu, quæ in quantum nos ab hoc fine (in quo tota noſtra beatitudo conſiſtit) abducunt, vel ſaltèm retardant.

§ IV.

De ſtatu, ſeu conſtitutione Animæ, in tranſitu ex hac vita ad alteram.

PRopoſitio 1. *Tranſitus animæ ex hac vita fit per mortem*, quæ nihil aliud eſt, quàm *Separatio animæ à corpore, ſive unionis, quæ eſt inter corpus & animam diſſolutio*, (hinc exploditur puerilis illa & anilis imaginatio & perſvaſio, quâ ſubindè aliqui narrant à ſe viſam mortem in forma fœminæ immanis proceritatis, & perſiccæ maciei ante habitaculum moribundi deambulantis, cùm enim mors ſit mera privatio, ſeu negatio unionis inter corpus & animam, hæc nec viſibilitatis, nec ullius denominationis poſitivæ eſt capax) ac conſequenter, atque in effectu, eſt omnium bonorum vitæ hujus, nempè: honorum, voluptatum, divitiarum, poſſeſſionum, commoditatum dignitatum, titulorum, cunctarúmque rerum, quas quis, vel in re vel in ſpe habuit, derelictio, amiſſio, & expoliatio. Eſt perpetuum vale, Parentibus, cognatis, conſangvineis, amicis, ſoli, & lunæ, & cunctis rebus in hoc mundo viſibilibus. Eſt reſtitutio corporis terræ, ex qua ſumptum fuerat, ut iterum in terram & pulverem redigatur, ſitque in eſcam vermibus, & ſupra illud ſternatur tinea, & operimentum illius fiant vermes.

Propoſitio 2. *Sicut mors eſt exſpoliatio omnium bonorum hujus vitæ, ita viciſſim eſt eliberatio ex omnibus malis hujus vitæ*, eſt finis omnium laborum, curarum, ſollicitudinum, miſeriarum, ærumnarum: eſt terminus ægritudinum, anguſtiarum, adverſitatum, perſecutionum, tribulationum, animæ & corporis periculorum, afflictionum, tentationum, timorum. Mors ſiquidem eſt ultima linea omnium hujus vitæ rerum.

Propoſitio 3. *Mors eſt certiſſima.* Primò, ratione decreti Divini: *Statutum ſiquidem eſt omnibus ſemel mori.* Hebr. 9 v. 27. & Pſal 88. v. 49. Secundò, ex cauſis naturalibus, corpus ſiquidem humanum eſt compoſitum ex ele-

mentis, & qualitatibus pugnantibus inter se, obnoxium proinde multis alterationibus, quibus demùm debilitatur, atteritur, frangitur, consumitur usque ad resolutionem animæ ab eo. Tertiò, experientiâ. *Ecce enim omnes morimur, & velut aqua dilabimur.* Nullus hîc excipitur, non pauper, non dives, non Rex, non mendicus, non sapiens, non insipiens, non doctus, non indoctus, non Magnas, non plebejus, non Dux belli, non gregarius miles; moriendum est omnibus, moriendum. Mors enim est mortalium tributum, à quo nemo eximitur, Hoc ipso námque quòd orimur, morimur, & hoc ipso quòd homines simus, mortales sumus, homines siquidem alio nomine mortales appellantur, & mundus hic Regio morientium.

Propositio 4. *Licèt mors sit certissima, incertissima tamen est quoad tempus, locum, & modum.* Nemo enim scit suæ mortis annum, mensem, diem, horam, nemo ubi locorum sit moriturus, an domi, an ruri, nemo quo genere mortis sit ex hac vita migraturus, an naturali morte, an violentâ, an igne, an aquâ, an à bestijs dilaniandus, an perirurus veneno, an fulmine, an gladio, an peste, an bello, an lentâ, an subitaneâ morte. Mille modis enim morimur, mortales nascimur uno.

Propositio 5. *Mors secundùm se non est timenda.* Primò, quia mors vitari nequit, sed necessarium quid & inevitabile est, vitáque nobis solúm commodo data est. Stultum autem est id timere, quòd vitari non potest, ut ait Seneca, & Jus gentium est reddere, quod mutuatò acceptum est, ad hoc venimus in hunc mundum, ut moriamur, hâc conditione in eum transimus, ut ex eo exeamus. Moriemur non primi, multi nos præcesserunt, qui nec quidem illud tempus vitæ attigerunt quod nos, omnes verò nos sequentur. Præclarè hanc in rem scribit S. Chrysostomus, supra 10. caput Matthæi: *Mors* (inquit) *non est fugienda* (adeóque néque timenda) *fiat voluntarium quod futurum est necessarium, offeramus DEO pro munere, quod pro debito tenemur reddere.* Secundò, quia mors citò transit, & vitæ animam non tollit, sed perficit, eámq; ex hac misera vita, ad aliam longè meliorem transfert. Tertiò, quia mors nos liberat ab omnibus periculis, ab omnibus laboribus, & sollicitudinibus. Unde Tertulianus libro de testamento animæ ait: *Non est timendum, quod nos liberat ab omni timendo.* 4. Quia mors licèt ex se sit peccati pœna, multa tamen etiam in se beneficia continet. Hinc Seneca ad Lucillum, Epist. 24. ait: *Mihi crede Lucilli adeò mors timenda non est, ut beneficio illius, nihil anteferendum sit.* Et alius pius Author: Malum vocant homines mortem, quæ ingens beneficium est. In morte enim multa beneficia latent; mors ipsa beneficium est. Mors etenim est evocatio à laboribus, ad prœmium, est janua ad cœlum, est revocatio in patriam ex

hoc

hoc vitæ exilio, eſt eliberatio animæ ex corporis hujus carcere, eſt eductio ex hac lachrymarum & miſeriarum valle, eſt portus ſecurus naufragantibus in hoc tentationum, & periculorum oceano, eſt finis omnium malorum hujus vitæ. Une Joannes Euſebius Neirembergius, ſic DEUM alloquitur: *Gratias ago tibi benigniſſime DEUS pro hoc mortis beneficio, ſicut tua ſapientia diſpoſuit, bonum eſt, mihi ſolatium, certitudo mortis, quòd ſit ſecura Janua, ut te videam, & effugiam hujus vitæ miſerias & deſpiciam fallacia hæc bona.* Et S. Chryſoſtomus Homil. 45. in Matthæum ſic ſcribit: *Omnibus laborantibus dulcis eſt finis, Viator libenter interrogat, ubi ſit manſio ad quam tendit, Mercenarius frequenter computat quando annus complebitur, Agricola ſemper tempus meſſis exſpectat, Naufragus gaudet cùm appellit ad optatum portum, cur non & nos cùm devenimus ad vitæ terminum?* Et Cicero in Tuſc. *Mors eſt portus malorum, perfugium ærumnoſæ vitæ, effugium miſeriarum.*

Propoſitio 6. *Mors bonorum & Sanctorum eſt deſideranda.* Hæc enim teſte Sancto Chryſoſtomo: *Non eſt mors, ſed migratio, ac domicilij mutatio, à deterioribus ad meliora, à terra ad cœlum, ab hominibus ad Angelos, & ipſum Dominum Angelorum. Pretioſa igitur eſt mors Juſtorum in conſpectu Domini.* Pſal. 115. v. 15. Pretioſa reverâ; quia eſt finis laborum, conſummatio victoriarum, veræ vitæ exordium, & ſecuræ quietis ingreſsus. Pretioſa omninò, quia eos ab omnibus peccatis, ac occaſionibus peccatorum eximit, quia omnes naturæ corruptæ motiones in ijs extingvit, quia omnem carnis rebellionem, paſſionúmque luctum terminat, quia quidquid imperfectum & vitioſum in illis eſt tollit, quia illis additum patefacit ad ſtatum, ubi perfectiſſimè DEUM ſuum cognoſcituri, amaturi, & honoraturi, eundémque æternùm poſſeſſuri, & cum illo æternùm gaviſuri, ejúſque gloriâ ſunt fruituri. Bona enim mors vitam non aufert, ſed in melius transfert. Beati igitur qui in Domino moriuntur: *Amodò jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos.* Apoc. 14. v. 14. Hinc Regius Pſaltes cum jubilo exclamat: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Pſal. 101. v. 1. Et rurſus altè ingemiſcit S. Ignatius Patriarcha noſter ſæpiùs: O quàm ſordet mihi terra, dum cœlum aſpicio. Et Balaam, *Moriatur anima mea morte Juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia.* Num. 24. v. 10. Atque hinc ſunt Sanctorum illa deſideria, *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* ad Philip. 1. v. 23. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus.* ad Rom. 6.

Propoſitio 7. *Mors malorum eſt formidanda.* Conſternabuntur enim impij horrore maximo, cùm ſe ex improviſo viderint conſtitutos in ultimo limine temporis, quòd tam iniquè diſſipârunt: cùm intuentur omnia ſua flagitia,

gitia, quæ insurgent ad ipsos accusandos: cùm insurgent dæmones truculenter sibi inhiantes: cùm recordabuntur. quàm pauca bona egerunt, quàm magna & multa mala perpetrârunt, cùm considerabunt separandos se in perpetuum à rebus sibi charissimis, cùm cogitabunt se tendere in Regionem ignotam, in qua nihil possidebunt, nullum habebunt amicum, sed omnes hostes, & quidem capitalissimos, cùm animadvertent se à Judice tremendo expectari, ut rationem reddant, ut judicentur, ut flammis perpetuis addicantur. Profectò angustiæ cruciatus, & tormenta, quæ peccatores in morte subibunt multò sunt acerbiora, quàm fuerint omnes delitiæ, & voluptates, quibus per omnem vitam abundârunt, imò illæ ipsæ erunt illis in amaritudines maximas. *O mors! quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantijs suis.* Eccles. 41. *Quoniam mors peccatorum est pessima,* Psal. 33. v. 22.

Propositio 8. *Semel duntaxat moriendum est.* Non licet hîc errorem semel commissum corrigere, semel isthic errâsse, æternùm est errâsse, & errando perijsse. *Si námque lignum ad austrum, ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Eccles. 11. v. 3. Semel igitur mors obitur, semel, sed à cujus temporis ultimo puncto, pendet hominis aut felicitas, aut infelicitas æterna. Quid putas si damnati ad vitam redirent, quantâ diligentiâ se ad mortem meliùs obeundam pararent? sed actum est. Non datur inde ampliùs regressus. *Ergò quodcúnque facere potest, manus tua instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos.* Eccles. 9. v. 10. *Ergò dum tempus habemus, operemur.* ad Galat. 6. v. 10. Ergò maturè disponamus domui nostræ, quia moriemur, & quidem duntaxat semel, & si bene, æternùm felices erimus, si malè, æternùm infelices.

Propositio 9. *Qualis vita, mors est ita.* Quales vivimus, tales morimur. Igitur si volumus mori morte Justorum, vivamus vitâ Justorum, si evitare volumus mortem impiorum, vitemus vitam impiorum, ut moriamur in pace, vivamus in gratia: ut moriamur in traquillitate, vivamus in sanctitate, ut moriamur in securitate, vivamus in pœnitentia. Vita enim & mors, eodem sibi correspondent modo, & licèt S. Augustinus dicat: *Possibile esse malè viventem bene mori,* mox tamen addit; *Ast bene viventem malè mori ferè impossibile est.* Mors enim est vitæ echo. Pergis in agrum ubi echo voci resonat, & respondet in monte tuæ voci, & quid respondet? id quid tu profers. Si tu ais *bona*, echo respondet *bona.* Si tu ais *mala*, echo respondet *mala.* Si tu ais *cœlum*, respondebit *cœlum*, si *infernum*, *infernum.* Ita & vita, cujus echo est mors. Si enim tua vita dixerit *bonum*, mors respondebit *bonum*, si tua vita dixerit *malum*, mors respondebit *malum.* Si *cœlum*, *cœlum*, si *infer-*

num,

num, infernum ſonabit. Qualis enim eſt vita, mors eſt ita! Et mors eſt vitæ echo.

Verùm circa hæc quæ dicta ſunt præſenti paragrapho, poſſent curioſioribus ingenijs ſequentia ſuboriri dubiola. Primò, Enoch non eſt mortuus, néque Elias, & juxta aliquorum opinionem nec S. Joannes Evangeliſta, qui id deducunt partim ex illis verbis Chriſti: *Sic eum volo manere donec veniam*, unde exivit ſermo iſte inter fratres, quaſi diſcipulus ille non moritur, hoc eſt, quòd non eſſet moriturus, partim ex antiquiſſima tradirione, quâ habetur S. Joannem Evangeliſtam Epheſi vivum, tumulatum fuiſſe, & nunc quoque in eo vivere, cujus indicium ajunt eſſe motum arenularum ad ejuſdem tumulum, quaſi is proveniret à reſpiratione illius. Secundò, Core, Dathan, & Abiron vivi deſcenderunt ad infernum, hiatu terræ abſorpti. Tertiò, In Die Judicij, multi reperientur vivi, qui teſte S. Paulo Apoſtolo 1. ad Theſſal. 4. v. 16. *Rapientur in nubibus obviam Chriſto in aëra, ſimul cum ijs, qui dormiêrunt per JESUM*, id eſt, qui mortui ſunt. Ac proindè dicitur Chriſtus judicaturus vivos & mortuos. Ergò hæc lex quâ ſtatutum eſt omnibus hominibus mori, non eſt univerſalis, extendens ſe ad omnes omninò homines. Quartò, Non pauci homines ſunt reſuſcitati à mortuis, ut ab Elia, ab Eliſæo, à Chriſto Domino, & in Novo Teſtamento à varijs Viris Sanctis: & tempore Paſſionis Chriſti, vel rectiùs, poſt ejuſdem Reſurrectionem monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum qui dormiêrunt, ſurrexerunt. *Et exeuntes de monumentis, poſt Reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Matth. 26. v. 52. & 53. qui deinde juxta multorum opinionem iterum mortui ſunt. Ergò univerſaliter eadem lex, quòd unicuique ſemel tantùm moriendum eſt, non eſt accipienda. Quintò, Multorum hominum corpora ſeu cadavera, & præſertim Sanctorum, & quandóque etiam non ſatìs piorum (uti habetur in exemplo cujuſdam Magnatis in Hungaria, priori adhuc ſæculo defuncti ex Illuſtriſſima quadam Familia) manent incorrupta: inſuper in *Areu* dicta Inſula, cadavera hominum non humantur, nec putreſcunt, ſed ſub dio poſita & expoſita permanent incorrupta, demùm ex Ægypto advehũtur cadavera hominum a multis ſæculis defunctorum incorrupta ac integra, quæ *Mumiæ* apellantur. Ergò univerſaliter accipi non debet de omnibus hominibus, illud DEI effatum, dictum Adamo, & poſteris ejus. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.*

℞. Ad primum, Henoch quidem translatus eſt à DEO vivus in Paradiſum, ut habet S. Paulus ad Hebræos 11. v. 5. *Henoch translatus eſt ne videret mortem.* Pariter & *Elias curru igneo raptus eſt per turbinem, in cœlum nempè aëreum.* 4. Reg. 2. v. 11. Sed ex Regione aëris mox translatus eſt ſimili-

militer in paradisum terrestrem (in quo priùs jam fuerat Enoch. Si tamen adhuc is extet ut multi probabilter affirmant) vel in alium illustrem & delitiosum locum, in quo unà cum Enoch in magna spiritûs & carnis quiete vivunt, sine peccato, sine novo merito, sine concupiscentia, sine morbo, sine corruptione, sine ærumna, sine mœrore, & vivent quousque ad finem mundi adversùs Antichristum pugnaturi redeant & mortis debitum solvant, uti deducit ex Malachiæ 4. Matth. 17. Apocal. 11. *Sanctum verò Joannem Evangelistam naturali morte Ephesi defunctum certum est.* ex ijs, quæ Tertulianus, Hieronymus, Iræneus, Eusebius, Chrysostomus, Augustinus, & Historici passim enarrant. Illud verò: *sic eum volo manere donec veniam*, dicendum est hunc sensum habere, sine violenta morte volo Joannem in mundo agere, donec ego illum naturali morte è vivis accersam. ita Emissenus, Augustinus, Rupertus, Maldonatus.

Ad Secundum. *Core, Dathan, & Abiron descendisse vivos in infernum*, id est, locum subterraneum; quo hiante terrâ absorpti sunt, occlusâ rursus terra, exinde verò mortuos fuisse, & tum demum secundùm animam ad inferos damnatorum delapsos.

Ad Tertium dicendum, *In extremo die Judicij vivos qui tunc reperientur ante raptum omnes morituros*, sive igne conflagrationis, sive subtracto ad vitam concursu DEI conservativo, sive alio modo, dissoluta ad breve tempus conjunctione corporis cum anima. Quia verò qui sub idem tempus reperientur vivi, & brevissimo tempore manebunt mortui, meritò adhuc vocantur viventes, & Christus dicitur judicaturus vivos, & mortuos. ita Ambrosius, Oecumenius, S. Thomas, & alij.

Ad Quartum dicendum, *De Lege DEI ordinaria, semel duntaxat moriendum est, unicuique homini*, licèt DEUS per miracula possit restituere iterum animam eidem corpori, sicut fiet in resuscitatione mortuorum. An autem ij, qui post Resurrectionem Christi surrexerunt ex monumentis, fuerint iterum statim mortui, alij negant, alij probabilius affirmant.

Ad Quintum dicendum, *Hanc quóque legem esse intelligendam de ordinario & naturali cursu Divinæ providentiæ.* In qua DEUS dispensare subinde solet, vel ad Sanctorum suorum merita declaranda, utpotè qui glorificantes se glorificat, vel si in minùs pijs id aliquando contingat, ob alios altissimæ suæ Sapientiæ fines. Sic etiam incorrupta cadavera in Insula *Areu*, meritis & precibus S. Brendani attribuitur, potest etiam cadaverum incorruptio, saltèm per longum aliquod tempus induci per qualitates herbarum, ungventorum, & aliarum similium rerum, quæ arcent corruptionem corporum, quarum etiam usus est in conficiendis mumijs. Potest præterea incorruptio hæc, vel saltèm illius

illius retardatio, adscribi complexioni naturali ipsorum corporum, vel etiam proprietati locorum, in quo deposita sunt, ratione cujus minùs obnoxia sunt corruptioni & putredini. Quamvis ignis ille, qui præcedit extremum Judicium consumpturus sit universa, & sic cuncta redigentur in pulverem, sicut & viventium, quæ tunc erunt corpora, & ita adhuc omne corpus humanum, ut est ex pulvere, sic revertetur in pulverem.

§ V.

De ijs, quæ post mortem seu post separationem animæ à corpore immediatè consequuntur.

PRopositio prima. *Post mortem hominis, seu separationem animæ à corpore, immediatè subsequitur ejusdem Judicium particulare, quo unaquævis anima judicabitur à DEO, an sit pœna, & quanta, vel præmio & quanto digna, prout se gessit in corpore constituta.* Statutum siquidem est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem Judicium. ad Hebr. 9. v. 27. *Et omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit, sive bonum, sive malum.* 2. ad Corinth. 5. v. 11. Et *in fine hominis denudatio operum ejus.* Eccles. 11. v. 9.

Propositio 2. *Hoc Judicium formatur ex Examine rigidissimo animæ, & redditione rationis omnium eorum, quæ gessit existens in corpore.* Eodem enim momento separationis à corpore, & eodem loco videbit horrendum illud tribunal, à quo exspectabit sententiam supremi Judicis, cum tremore, vel prœmiorum, vel pænarum, vel æternæ felicitatis, vel æternæ infelicitatis.

Propositio 3. *Hoc Examen severum, & supra quàm concipi potest, rigidum erit ex parte ipsius objecti, seu rerum, de quibus reddenda sit ratio.* Instituetur siquidem de omnibus totius vitæ cogitationibus, de omnibus verbis, de omnibus operibus, de omnibus gratiæ, naturæque donis & talentis, de usu corporis, oculorum, aurium, & reliquorum sensuum, de omnibus ipsius animæ affectibus & desiderijs, de imaginatione, memoria, intellectu, & voluntate, de usu, & abusu omnium creaturarum, de malis commissis, & bonis omissis, de malè, vel bene impenso tempore, ejúsque singulis momentis, de sanctis inspirationibus effectuatis, & non effectuatis, de ipsis virtutibus, & intentionibus, de peccatis manifestis, & occultis, ijsque tam proprijs, quàm alienis, in quantùm eorum causa fuimus. *Denique cuncta quæ fiunt, adducet Dominus in Judicium.* Eccles. 11. v. 9. *Cùm accepero tempus* (inquit Dominus per Prophetam) *ego justitias judicabo.* Psal. 74. v. 3. *Dico autem vo-*

bis (inquit Salvator) *quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicij.* Matth. 12. v. 36. Et quidem respectu solius temporis quidam hanc supputationem facit: In anno sunt horæ octo mille, septingentæ sexaginta sex, quot igitur horæ erunt, de quibus reddenda erit ratio in annis 25.? quot in annis 50.? quot in 70. quibus quis vixit? & jam singulis horis quot interveniunt cogitationes? quot verba? quot opera? & tamen de cunctis his, ratio erit reddenda in hoc Judicio. Unde meritò Jobus quærit: *Quid faciam, cum surrexerit ad Judicium DEUS: & cùm quæsiverit, quid respondebo illi?* Job. 31. v. 14. Et S. Petrus Apostolus: *Si Justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* 1. Petr. 4. v. 18.

Propositio 4. *In hoc tremendo Judicio, nulla est acceptatio personarum.* Dominus DEUS noster, inquit Moyses Deutoron. 10. v. 17. *Ipse est DEUS Deorum, & Dominus Dominantium, DEUS magnus & potens, & terribilis, & qui personam non accipit, nec munera.* Ad illud enim pertrahitur statim post sui separationem à corpore anima sola, exuta omnibus honoribus, dignitatibus, opibus, destituta cognatis, amicis, servis, clientelis, parentelis, patrocinijs, nihil hinc secum auferens præter opera bona, vel mala, merita, vel demerita, comitante solo Angelo tutelari veluti teste, latus aliud stipante dæmone, veluti accusatore, quorum ille bona, hic mala in medium coram Judice Remuneratore bonorum, & Vindice malorum proferet, quæ anima gessit constituta in corpore. In quo quidquid latet apparebit. Anima Regis etiam potentissimi æquè sola & nuda sistetur Judici Christo ac pauperculi mendici, doctissimi Viri, ac Idiotæ, Domini, ac servi; sola siquidem *Opera eorum sequuntur illos.* Sapient. 14. v. 13. Nullus hic habebitur respectus dignitatis, nullus stemmatis, nullus prosapiæ, familiæ, doctrinæ, scientiæ, statûs, ordinis, aut splendidissimorum ac magnorum Titulorum, nullus encomiorum, laudum, applausuum, nullus magnæ existimationis, & publicæ famæ, ac hujus mundi gloriæ, sed unusquisque judicabitur secundùm opera sua. *Unusquisque suum onus portabit.* Prov. 6. v. 19. *Non glorietur igitur sapiens in sapientia sua, & non glorietur dives in divitijs suis, & non glorietur fortis in fortitudine sua: sed in hoc glorietur, qui gloriatur scire & nôsse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & Judicia.* Hierem. 9. v. 14.

Propositio 5. *Examen hoc & Judicium evadet terribile respectu personæ Judicis.* Judex enim in hoc Judicio est omniscius, cujus oculis nihil est occultum, clementissimus quidem ex se, sed pro hoc tribunali simul justissimus, qui nullis movetur blanditijs, nullis donis, nullis terretur minis. Est Judex supremus, à quo nulla datur appellatio, est immutabilis, qui sententiam semel

mel latam ampliùs nunquam revocat; est potentissimus, qui eodem momento quo eam pronunciat, sine ullo obstaculo, illicò exequitur.

Propositio 6. *Examen hoc evadet terrificum respectu Actionis, & Testium.* Accusator enim diabolus, idem ipse, qui nos ad peccandum incitavit, objiciet nobis coram Supremo Judice, quidquid mali patravimus, vehementi exprobratione, quod sibi fallaci, mendaci & capitalissimo hosti momentaneam voluptatem, & brevem oblectatiunculam, exiléque lucrum, vel transeuntem honoris auram proponenti magìs obediverimus, quàm DEO Benefactori Creatori, & Salvatori nostro, fideli & veraci, longe majora promittenti: confirmabit suo testimonio dæmonis accusationem Angelus Custos, in ijs quæ verè à dæmone, reo objicientur. Sciet ipse DEUS omnia, quæ à nobis sunt cogitata, facta, & dicta: utpotè cujus oculis nihil est occultum: fatebitur ipsa nostra conscientia, cui omnia quæ fecit, ad apicem usque, distinctissimè repræsentabuntur. O quàm erunt tunc longè alia sensa animæ de rebus, quàm nunc sunt in mundo, & dum est in corpore! Tunc experietur anima minimum peccatum pejus esse omnibus hujus mundi malis; unicum Divinæ gratiæ gradum pretiosiorem esse, omnibus Regum thesauris; tunc videbit divitias esse quisquilias, honores fumos, vitam umbram, voluptates esse spumam, & instar bullarum hæc omnia evanuisse: Tunc nihil erit in pretio nisi virtus, tunc humani respectus, ratio statûs, proprium interesse succumbent, & detractâ larvâ agnoscentur fuisse hæc omnia vana, noxia, & futilia. Et ut scribit pijssimus Scriptor Thomas Kempensis lib. 1. de Imitatione Christi cap. 24. *Tunc magnam fiduciam habebit pauper ac humilis, & pavebit undique superbus, tunc videbitur sapiens in hoc mundo fuisse, qui pro Christo didicit stultus & despectus esse.* Tunc placebit omnis tribulatio patienter perpessa, & omnis iniquitas opilabit os suum. Tunc gaudebit omnis devotus, & mærebit omnis irreligiosus. Tunc plus exultabit caro afflicta, quàm in delitijs fuisset semper nutrita. Tunc splendebit habitus vilis, & obtenebrescet omnis vestis subtilis. Tunc plus laudabitur pauperculum domicilium, quàm deauratum palatium. Tunc juvabit plùs constans patientia, quàm mundi potentia. Tunc plùs lætificabit simplex obedientia, quàm omnis sæcularis astutia. Tunc plùs lætificabit pura & bona conscientia, quàm docta Philosophia. Tunc plùs ponderabit contemptus divitiarum, quàm totus thesaurus terrigenarum. Tunc magìs consolaberis super devota oratione, quàm super delicata comestione. Tunc potiùs gaudebitur de servato silentio, quàm de longa fabulatione aut multo eloquio. Tunc plùs valebunt sancta opera, quàm multa pulchra verba. Tunc plùs placebit stricta vita & ardua pœnitentia, quàm omnis delectatio terrena.

Propositio 7. *Examen hoc & Judicium evadet terrificum ob incertitudinem sententiæ, & quidem irrevocabilis, quam Judex laturus est.* Est siquidem sententia hæc incertissima, & tamen severissima. Judicia siquidem DEI sunt abyssus multa, & incomprehensibilia ac inscrutabilia, & investigabiles viæ ejus. *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit.* ad Rom. 11. v. 33. & 34. Unde idem Apostolus ait: *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc justificatus non sum, qui autem judicat me, Dominus est.* ad Cor. 4. v. 4. Hoc est: licèt gravis alicujus peccati non sim conscius, fieri tamen potest, ut DEUS culpam aliquam in me videat, quam ego non cognosco, idcircò illius æquissimo Judicio judicandum me permitto. *Nam delicta quis intelligit?* Psal. 18. v. 13. hoc est, quis potest enumerare omnes suos errores, quos committit, & tamen danda est de singulis in hoc Judicio exactissima ratio, *Cuncta enim quæ fiunt adducet Dominus in Judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum sit.* Ideò mox idem Propheta deprecatur: *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo. Pravum siquidem est cor hominis, & inscrutabile, quis, quis cognoscet illud?* Hierem. 14. *v.* 9. Certè non alius quàm ipse *Dominus scrutans corda, & probans renes, qui dat unicuique juxta viam suam, & juxta fructum adinventionum suarum. Horrendum sanè est incidere in manus DEI viventis.* ad Hebræ. 10. v. 6. Quæ considerans S. Anselmus sic altum suspirat: O angustia! (inquit) hinc erunt accusantia peccata, inde comminans Justitia, subtus patens inferni hiatus, desuper iratus Judex, intus urens conscientia, foris imminens gladius, (vindictæ) undequáque terrens sententia. Si justus vix salvabitur, si in Angelis suis invenit pravitatem, si astra non sunt munda in oculis ejus, si postquam qui fecerint omnia quæ dicta sunt à DEO illis, dicere debent, *servi inutiles sumus*, si DEUS ipsas justitias dijudicat, & intentionum ipsarum, rimatur fibras, ego peccator sic depressus & constrictus, in quam partem me vertam? ubi latebo? ubi apparebo? elabi erit impossibile, apparere coram te horribile. O quàm optabilis erit illa sententia Judicis. *Euge serve bone, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Et illa: *Venite benedicti Patris mei, possidete Regnum quod paratum est vobis à constitutione mundi.* O quàm terribilis illa: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* O miserum & luctuosum illud *Discedite*, ô horribile & terribile illud, *in ignem æternum*, ô gaudiosum illud *venite*, ô quàm consolatorium illud *intrate in gaudium æternum.* Et tamen alterutra hæc sententia nos exspectat, & nescimus, quæ ex illis nobis dicetur. Meritò igitur expavescere debemus, tremendum hoc Judicium. Post latam autem sententiam, illicò anima tradetur Angelis bonis vel malis, illis ut eam deducant

ad cœlestem gloriam, si nihil expiandum habeat in igne purgatorij, istis, ut eam secum abducant ad infernales æternas pœnas.

§ VI.

De statu Animæ separatæ à corpore secundùm se consideratæ.

Pro resolutione quæstionum hoc Paragrapho proponendarum.

NOtandum 1. *Naturale dici illud, quod est juxta exigentiam illius.* Violentum verò illud, quod est contra exigentiam illius. Præter naturale verò illud, quod nec est juxta exigentiam ejus, neque contra exigentiam illius.

Notandum 2. *Naturale non tantùm opponi violento, sed & supernaturali.* Illud est, quod non superat vires activas, passivas & exigitivas alicujus. Hoc autem est, quod superat omnes vires activas, passivas, & exigitivas alicujus.

Notandum 3. *Hæc omnia penè esse talia*, vel quoad substantiam, sive entitatem rerum, vel quoad modum, item vel simpliciter, vel ex aliqua suppositione.

Notandum 4. *Appetitum naturalem alicujus rei, accipi hîc pro naturali exigentia.* Et hunc in animalibus, sed præsertim anima Rationali alium esse innatum, alium elicitum.

Notandum 5. *Separationem animæ Rationalis à corpore*, accipi aliquando prout est illa in fieri, aliquando prout est illa in facto esse. His prænotatis.

Quæritur 1. *Utrum status separatæ animæ Rationalis sit eidem naturalis in fieri.* Quæstio hæc procedit de appetitu innato, non de elicito. Nullum siquidem potest esse dubium quòd hanc separationem animæ Rationalis possit quis desiderare & appetere, vel tædio hujus vitæ, vel desiderio alterius vitæ. Sermo igitur quæstionis est, an sicut fætui post certum illud tempus, quo in utero materno detineri solet, naturale est & consentaneum in lucem prodire, atque id naturali & innato appetitu appetere, vel sicut bombyci postquam se evisceravit, & fila sua conglomeravit, naturale est ex illo globo sericeo avolare, & prodire, idque naturaliter appetitu innato appetere, ita & anima Rationalis, postquam corpus suum informavit, illiúsque ministerio, operandi instrumenta collegit, id est, species rerum intelligibiles, naturali appetitu innato, appetat illo se exuere, atque ex eodem migrare. Ad quam quæstionem respondendum est negativè. Ratio est, Quia oppositæ af-

fectiones præsertim privativè, eidem rei connaturales esse nequeunt, animæ autem maximè naturalis est uniri ad corpus, ergò separatio, quæ eandem unionem tollit ac destruit eidem connaturalis esse non potest, atque ab illa, appetitu innato appeti.

Quæritur 2. *Utrum status separationis animæ Rationalis à corpore in facto esse sit eidem naturalis, prout naturale opponitur supernaturali.* ℟. Statum separationis animæ Rationalis, prout naturale opponitur supernaturali, esse omninò naturalem. Ratio est. Quia anima Rationalis etiam in statu separationis exigit ex natura sua conservari, cùm naturâ suâ sit immortalis, quia omnis substantia naturâ suâ tantùm creabilis, qualis est vel maximè anima Rationalis, ex suppositione, quòd semel creetur, ex natura sua exigit semper pro omni statu conservari à DEO, id verò quòd fit secundùm exigentiam alicujus, est illi naturale prout naturale opponitur supernaturali. Ergò.

Quæritur 3. *Utrum status separationis à corpore in facto esse animæ Rationalis, sit eidem naturalis etiam prout naturale opponitur violento: vel verò violentus?* ℟. Statum separationis in facto esse animæ Rationalis à corpore, nec esse simpliciter violentum, nec absolutè naturalem, sed partim naturalem, partim violentum. Ratio primi est, quia id quod est alicui rei simpliciter violentum, potest ab ea naturaliter tolli: sic enim aqua, vel ferrum si calefiat, reducunt se ad nativum frigus, calorémque tollunt, benéque arguitur, quòd calor est illi violentus, & vicissim, quòd frigus ijs sit naturale. Atqui anima Rationalis separata semel à corpore non potest eidem naturaliter reuniri. Ergò. Ratio autem secundi est. Quia est certum, inesse appetitum naturalem innatum animæ ad unionem cum corpore. Omnis enim forma existens, habet naturalem & innatum appetitum ad suum connaturale subjectum, atqui anima Rationalis est forma corporis. Ergò habet appetitum innatum ad illud. Ergò status separationis in facto esse animæ Rationalis non est naturalis absolutè. Ratio autem tertij deducitur ex prioribus, & probatur etiam ulterius. Quia id quod alicui rei partim juxta exigentiam, partim contra exigentiam convenit, est illi partim naturale, partim violentum, sed status separationis in *facto esse* animæ Rationalis est partim juxta exigentiam naturalem, partim contra ejusdem exigentiam. Ergò minor probatur. Anima siquidem Rationalis in ordine ad suas operationes spirituales, actûs scilicet intellectionis, & volitionis est magìs expedita post separationem à corpore, quàm quando fuit conjuncta cum corpore, hoc enim in ordine ad tales actus potiùs aggravat animam, & impedit, quàm adjuvet; Unde in statu separationis anima Rationalis, & perfectiùs intelligit, & perfectiùs amat, & velociùs, se & alia movet. Atqui sic operari est juxta exigentiam animæ Ra-

Rationalis. Ergò & sine tam grandi impedimento præstantissimarum suarum operationum existere. Est etiam illi quodammodo violentus, quia per statum separationis impeditur ne compleat potentiam passivam, ad quam complendam ex natura sua ordinatur, & ut operationes suas sensitivas & vegetativas valeat exercere.

Quæritur 4. *Utrum anima Rationalis in statu separationis, retineat adhuc appetitum ad invicem, cum suo corpore.* ℞. In anima Rationali etiam in statu separationis manet adhuc appetitus naturalis non solùm innatus, sed etiam elicitus ad invicem cum suo corpore per se loquendo. Ratio primi est. Quia est forma substantialis, eáque naturalis corporis, ad hoc est à natura ordinata, ut illi uniatur, & constituat cum illa compositum humanum, seu hominem. Ergò sicut aliæ formæ substantiales habent appetitum innatum, in suum naturale subjectum, ita & anima Rationalis ad corpus. Ratio autem secundi est: quia quodvis agens Rationale fertur rationabiliter elicito appetitu in suum bonum. Sed est aliquod bonum animæ Rationali reuniri suo corpori, cùm sit illius actus seu forma determinans & completiva in suo esse naturali. Ergo. dixi per se loquendo, nam per accidens hic appetitus elicitus impediri potest, sic enim animæ damnatæ fortè non feruntur appetitu elicito, ad reunitionem sui, cum corpore, cùm illæ mallent etiam seipsas non existere, ne torqueantur.

Quæritur 4. *Quænam potentiæ, Rationalis animæ maneant in illa cum statu separationis ejusdem à corpore?* ℞. In anima separata manere omnes, non solùm potentias spirituales & inorganicas, uti est intellectiva, volitiva, & memorativa, sed etiam organicas & materiales, uti est locomotiva seu virtus motrix, sensitiva, imaginativa, & vegetativa, sed has quidem solùm radicaliter, illas autem etiam formaliter. Ratio est, quia cùm hæ omnes potentiæ sint identificatæ animæ Rationali in corpore existenti, ut verior docet Philosophia, manebunt in illa etiam post separationem, quod enim semel identificatum est alicui, semper est identificatum. Quòd verò illæ maneant etiam formaliter ratio est, quia sunt independentes in operando à corpore organico, & spirituales: quòd verò hæ maneant solùm radicaliter, Ratio est: quia hæ dependent simul à corpore organico, quo in statu separationis, caret anima Rationalis.

Quæritur 5. *Quænam accidentia maneant cum anima Rationali in statu separationis.* ℞. In anima separata manent primò habitus tam intellectuales, quàm voluntatis, non tamen omnes in omnibus, sed in Beatis tantùm virtuosi, in damnatis tantùm vitiosi. Ratio est, quia sic videtur statui earundem convenire: manent secundò etiam habitus infusi, nisi priùs per contra-

rium

rium actum expellantur, uti fieri potuit ante ſeparationem, aut ratione ſtatûs gloriæ vel damnationis, ut quiſpiam iſtorum deſtruatur. Sicut v. g. habitus fidei, & ſpei in Beatis, hi enim habitus, ad ornatum animæ beatæ DEUM clarâ viſione contuentis minimè ſpectant, & eorum actus cum clara DEI viſione, DEIque poſſeſſione immediatè pugnant. Alij verò habitus aliarum virtutum ut fortitudinis, temperantiæ permanent in animabus Beatis, quia eorum actus etſi ex defectu Objecti materiævè, non ſint in patria exercendi, per ſe tamen non pugnant cum clara viſione DEI, & aliunde ad ornatum animæ pertinent. Manent tertiò ſpecies intellectuales & memorativæ. Ratio eſt, nam licèt animæ Rationali ſtatim poſt ſeparationem infundantur à DEO novæ ſpecies ad cognoſcenda objecta ſtatum illum concernentia, quæ priùs nunquàm cognoverat, tamen non eſt ratio dicendi cur non maneant priores etiam ſpecies, quandoquidem nullum contrarium, neque ſubjectum corruptioni habent obnoxium (quibus modis accidere poſſet earum corruptio) deinde in animabus ſeparatis datur recordatio, manent igitur cum iiſdem rememorativæ ſpecies. Quia eſto anima, etiam per ſpecies de novo infuſas à DEO, intelligere poſſit, res à ſe antea cognitas, ea tamen cognitio non poteſt dici reminiſcentia vel recordatio, cùm iterata non ſit, ſeu quaſi reflexa, hoc eſt, per ea inſtrumenta, quæ ex vi prioris cognitionis, in nobis fuerint relicta.

Quæritur 6. *Quaſnam operationes anima Rationalis in ſtatu ſeparationis poſſit exercere?* ℟. primò. Anima Rationalis in ſtatu ſeparationis non poteſt exercere actus ſenſuum internorum, vel externorum, quia nec habet organa materialia, nec ſpecies materiales determinativas, ad ſimiles operationes. ℟. ſecundò. Anima ſeparata poteſt intelligere, & velle, ſeu actus intellectionis & volitionis exercere; & quidem longè perfectiùs quàm quando fuit in corpore; cognoſcit etiam multa de novo, quæ priùs ignorabat; ſcit omnia illa quæ in hac vita ſcivit, recordatúrque omnium illorum, quorum ſpecies intelligibiles & rememorativas ſecum ex hac vita aufert. Reſponſio hæc ſecunda, habet quinque partes, quarum ſingularum adfertur ratio. Et quidem primæ partis ratio eſt. Quia potentias intelligendi & volendi habet ſibi identificatas, debitéque applicatas etiam in ſtatu ſeparationis. Ergò poteſt intelligere & velle, ſeu actus intellectionis & volitionis exercere. Ratio ſecundæ partis eſt. Quia in illo ſtatu ſeparationis non impeditur ab indiſpoſitione corporis, nec operatur dependenter à ſenſibus. Ergò longè perfectiùs operatur, unde res clariſſimè, immediatè, & per proprias ſpecies cognoſcit, & conſequenter perfectiùs etiam in illas cognitas, voluntate fertur. Ratio tertiæ partis eſt, Quia in ſtatu ſeparationis manet potentia intellectiva, &

debe-

debetur eidem cognitio de illis objectis, quæ ei occurrunt. Atqui in statu separationis multa de novo ei objecta occurrunt, de quibus in hac vita nullam habuit notitiam? Ratio quartæ partis est. Quia intellectus & species intelligibiles, sunt adæquata principia scientiæ, illarum rerum. Ratio quintæ partis est. Quia supponuntur habere species rememorativas, quæ in ordine ad recordationem præteritorum inserviunt, præterquam quòd scriptura non uno in loco inducit loquentes damnatos de his, quæ in hac vita commiserunt, sic enim & dives Epulo in inferis suorum fratrum recordabatur, unde à fortiori, id animabus beatis concedi debet.

Quæritur 7. *Utrum animabus separatis virtus loco motiva conveniat?* ℞. Virtutem loco motivam animabus Rationalibus separatis omninò convenire, seu animas Rationales separatas posse se loco movere. Ratio est. Quia potentiam loco motivam habent sibi identificatam. Secundò. Angeli possunt se loco movere, ergò & animæ Rationales separatæ. Tertiò. Animæ Rationales in statu conjunctionis loco movent corpus, ergò in statu separationis, saltem seipsas movere poterunt. Illud enim quod alios movet, nisi sit prima causa movens, etiam ipsum est mobile. Confirmatur id ex varijs apparitionibus factis animarum beatarum, damnatarum, & purgatorij, quas apparitiones omnes rejicere, stoliditatis magnæ, & pertinacitatis, foret. Ut infra videbimus: ergò animabus separatis virtus loco motiva convenit.

Quæritur 8. *Utrum anima non solùm se, sed etiam alia corpora loco movere valeat?* ℞. affirmativè. Quia etiam in statu separationis habet anima vim impingendi alteri rei impulsum, si enim hæc vis conceditur conjunctæ corpori, cur negabitur separatæ? per hoc tamen non sequitur, quòd possit quamcúnque molem corporis loco movere, quia etiam tunc limitatam habet potentiam, potest tamen multò plùs loco movere, quàm existens in corpore, quia tunc spiritibus vitalibus non eget, & insuper licèt multùm moveat, non defatigatur, quia defatigatio oritur ex spirituum vitalium defectu, quos in statu separationis non habet, caret etiam corporeis organis, ex quorum nimiâ laxitate, provenit defatigatio.

Quæritur 9. *An & quomodo animæ separatæ inter se colloqui possint?* ℞. Eas inter se colloqui posse, eo quo Angeli inter se colloquuntur modo, nempè per signa quædam spiritualia, quorum signorum notitiam probabiliter DEUS infundit animæ Rationali, statim post ejus separationem à corpore. Ne verò quæcúnque anima percipiat, ea quæ una anima alteri determinatè vult communicare, dicendum est, quòd DEUS ad intellectionem cum illa solùm anima concurrat, cui altera vult loqui, & non concurrat cum altera. Sunt & alij modi, quibus hæc mutua collocutio animarum separatarum explicari

 plicari

plicari potest, uti diversissimis modis explicatur collocutio mutua Angelorum à Theologis.

Quæritur 10. *Utrum animæ separatæ vivis hominibus comparere, & cum illis colloquia miscere possint? & quomodo formare voces & sonos, ciere tumultus, verberare, & urere valeant?* ℟. primò. Animas separatas Rationales, hominibus vivis comparere posse, plùs quàm nimium certum est. Sic enim anima Samuelis apparuit Sauli, anima Moysis in monte Thabor Christo Domino, & habentur hujus rei exempla propè innumera, quæ legere quis poterit, tùm alibi, tùm apud P. Delrio, Disquisitionum Magicarum lib. 2. totâ Quæstione 26. ℟. secundò. Animas separatas à corpore, dum comparere vivis hominibus volunt, facere sibi corpus sive per se, sive ministerio Angelorum, DEO sic volente, ex materia aliqua tractabili, sicuti est aër, vel alia huic simili, vel certè vera cadavera hominum assumere, idque vel sua propria, vel fortè etiam aliena. Ratio est. Quia cùm ipsæ sensibiles non sint, ad hoc ut sensibiliter hominibus vivis appareant, sensibilia seu sensu perceptibilia corpora ab ijs assumi necesse est. ℟. tertiò. Reliqua omnia in quæsito proposita facilè hâc ratione explicari posse. Nam quando assumunt vera corpora humana, veros sonos, articulatas voces formare possunt, cùm omnia organa ad vocem & sonum formandum necessaria habeant, & similiter in corporibus sic assumptis, possunt alia corpora tangere, adeóque & verberare ac percutere, trudere, projicere, vulnerare, & occidere, si DEUS id permittat. Si verò assumunt corpora tantùm ex aëre, aliáve materiâ sensibili, attamen tractabili formata, tunc eadem, vel saltèm aliqua horum, ex sola varia aëris collisione, impulsûsque productione, facere possunt; sicut & aliqua horum, etiamsi nullum corpus assumant: urunt autem damnatæ aut in purgatorio constitutæ animæ, vel secum ignem deferendo, vel certè aërem nimiùm, ita ut ignescat, agitando.

§. VII.

De receptaculis Animarum post mortem.

QUæri potest 1. *Utrum convenienter assignentur receptacula animarum hominum post separationem à corpore?* ℟. affirmativè. Quia sicut Angelis bonis Cœlum Empireum attribuitur, pro mansione & receptaculo in Scripturis Sacris, & Infernus angelis damnatis, seu dæmonibus, ita & animabus hominum separatis à corpore, quæ sunt pariter substantiæ spirituales (licèt incompletæ) & immortales, aliqua receptacula sunt assignanda.

Quæri

Quæri poteſt 2. *Utrum animæ Rationales ſtatim poſt mortem hominis, ſeu ſeparationem à corpore, deducantur ad ſua receptacula?* ℟. etiam affirmativè cum S. Thoma par. 3. quæſt. 49. art. 2. Nam 2. ad Corinth. 5. v. 1. dicitur: *Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra, hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex DEO habeamus domum non manufactam, æternam in cœlis.* Ergò anima beata diſſoluta carne, habet manſionem, ſeu receptaculum in cœlis. Deinde ad Philipp. 5. dicit Apoſtolus: *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Ex quo textu ſic arguit S. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 25. *Qui ergò Chriſtum eſſe in cœlis non dubitat, nec Pauli animam in cœlo eſſe neget.* Sed non eſt negandum Chriſtum eſſe in cœlo, cùm ſit articulus fidei. Ergò nec dubium eſt animas Sanctorum in cœlos ferri. Quod verò etiam animæ impiorum ſtatim poſt mortem hominis, ſeu ſeparationem ſui à corpore deſcendant ad inferos, patet ex illo Lucæ 16. *Mortuus autem eſt dives, & ſepultus in inferno.* Item ex illo Job. 21. v. 14. *Ducunt in vita dies bonos, & in puncto ad infernum deſcendunt.* Confirmat hanc ſuam reſponſionem S. Thomas loco citato hâc ſimilitudinis ratione: *Quòd ſicut in corporibus eſt gravitas & levitas, quâ feruntur ad ſuum locum, qui eſt finis motûs ipſorùm: ita in animabus eſt meritum, & demeritum, quibus perveniunt animæ ad præmium, vel pœnam, quæ ſunt finis actionum ipſarum.* Unde ſicut corpus per gravitatem, vel levitatem ſtatim fertur ad locum ſuum, niſi impediatur aliundè, ita anima ſtatim ſoluta vinculo carnis, per quod in ſtatu vitæ detinebatur, præmium conſequitur, vel pœnam, niſi aliquid ſit quod impediat, ſicut interdum impedit conſecutionem prœmij, pæna veniali peccato, aut mortali jam quoad culpam deleto, debita, antequam ea expietur in igne purgatorij.

Quæri poteſt 3. *Utrum per Angelos bonos, & malos animæ ſeperatæ deducantur ad ſua receptacula?* ℟. Poſt Judicium particulare, ſtatim à DEO tradi animas damnatorum dæmonibus, qui illas ad infernum ſecum aſportent, & animas ſalvandorum Angelis bonis, qui eaſdem ad cœlum deducant, vel priùs ad purgatorij ignes, ſi in ijs aliquid adhuc expiandum manet.

Quæri poteſt 4. *Utrùm animæ ſeparatæ ex ſuis ergaſtulis aliquando egredi poſſint?* Animas ſeparatas quandóque & ad tempus idque ex diſpenſatione Divina, exire poſſe ex ſuis receptaculis. Nam ut arguit S. Hieronymus contra Vigilantium: *Si dæmonibus permittitur à DEO quandóque evagari ex inferno, & bonis Angelis deſcendere in hunc orbem, cur non etiam beatis animabus, vel etiam damnatis, aut in purgatorio detentis?* Hæc enim diſpenſatio providentiâ Divinâ fit, vel ad erudiendos homines, vel ad eoſdem à peccato deterrendos, vel ad ſuffragia expetenda, (quantùm ad illas quæ detinentur

in purgatorio) ubi tamen monet S. Thomas Aquinas citatus: *Quod quamvis aliquando animæ Sanctorum, vel damnatorum, vel in purgatorio exiſtentes, præſentialiter adſint & appareant, non tamen credendum eſt, hoc ſemper accidere.* Aliquando enim hujuſmodi apparitiones, fiunt vel in dormiendo, vel in vigilando, operatione bonorum vel malorum Angelorum, ab illis, ad inſtructionem & informationem, ab his ad deſtructionem & deceptionem viventium, & ſæpè dæmon transformat ſe etiam in Angelum lucis. Unde ſimiles apparitiones, indigent rigidiſſimo examine, & diſcretione maximâ, præſertim in fœminis valdè credulis, & in hipocondriacis, ſeu nimiâ atrabile laborantibus, etiam viris, hoc enim utrúmque genus hominum, eſt valdè obnoxium pluribus illuſionibus. Quod autem non omnes apparitiones ejuſmodi fiant præſentialiter per animas ſeparatas præſertim in ſomnijs, patet inde, quòd quandóque etiam vivi homines, appareant alijs hominibus in ſomnijs, & illis multa dicant, etiam monendo, hortando, & terrendo, cùm tamen eos conſtet non eſſe perſonaliter præſentes, ſicuti id probat per multa exempla S. Auguſtinus, Libro de cura pro mortuis agenda. *Magna igitur* (uti diximus) *in his habenda eſt diſcuſſio, an non ſit merum ſomnium, vel mera imaginatio, vel diabolica illuſio, vel Angelus, & hic, vel bonus, vel malus, vel certè anima ſeparata, & hæc vel beata, vel damnata, vel needum plenè à pœnis expiata, adeóque ſuffragijs adhuc indigens.*

Quæri poteſt 5. *Quotnam hujuſmodi receptacula animarum ſeparatarum à corpore aſſignari debeant?* ℟. Hujuſmodi animarum ſeparatarum à corpore humano, quinque eſſe receptacula aſſignanda, ut Fides Catholica docet, & ratio fundata in Fide ſvadet: vel anima ex hac vita decedit cum peccato mortali, & hujus receptaculum eſt infernus; vel cum peccato veniali, & aliquo reatu pænæ temporalis, & hujus receptaculum erit purgatorium; nihil ſiquidem coinquinatum intrat Regnum cœlorum, ſed neque infernum meretur talis anima, utpotê nullo gravi coinquinata, & infecta peccato. Igitur eidem debet tale receptaculum aſſignari, in quo pænas temporales peccato debitas expiet in altera vita; vel decedit *cum peccato originali Naturæ humanæ communi*, & pro his fuit Limbus Patrum; vel cum *peccato originali*, & hujus receptaculum eſt Limbus puerorum; *Niſi enim quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu, non poteſt intrare Regnum DEI.* Joan. 3. v. 5. Vel ſine ullo peccato, & illius reatu pænæ, & hujus receptaculum eſt, Cœlum.

Verùm aliquis fortaſſis hîc dicere poſſet. Ex hoc diſcurrendi modo, videntur plura adhuc receptacula aſſignanda eſſe pro animabus ſeparatis ab humano corpore, vel certè è contra, pauciora. Nam imprimis. Cuilibet ſtatui peccantium, debet aliquis locus pænalis correſpondere. Sed ſi aliquis ſupponatur

natur in peccato originali decedere ex hac vita cum solo veniali peccato, anima talis non reciperetur ad cœlum, quia non esset in gratia habituali, non etiam truderetur ad infernum damnatorum, quia hîc debetur solis peccatis mortalibus personalibus; non veniret etiam ad limbum Patrum, quia qui ad hunc recipiebantur, decedebant omnes in gratia sanctificante, seu habituali; non ad limbum puerorum, quia in eo non est pœna sensûs, quæ tamen tali deberetur, ratione peccati venialis; nec esset in purgatorio, quia ibi non est nisi pæna temporalis, originali autem peccato debetur pæna æterna damni, seu privatio visionis beatificæ in æternum. Ergo tali deberet adhuc aliud receptaculum assignari. Secundò. Qui moritur in peccato mortali cum condonato aliquo peccato veniali quoad culpam, sed nondum condonato quoad pænam, talis animæ receptaculum non esset purgatorium ratione peccati venialis, utpotè quod in hoc casu est conjunctum peccato mortali, cui æterna pæna debetur, nec esset infernus, quia in inferno non est pæna temporalis, quæ veniali debetur peccato: Nam si quis damnaretur cum peccato veniali, vel pro eo in æternum pateretur, pænam eidem proportionatam? vel non? Si ita hoc foret supra meritum culpæ utpotè æternum; DEUS autem non punit, ullum peccatum supra meritum, sed semper infra meritum. Si verò pro eo paterentur solùm pænam temporalem, ergò minueretur successu temporis pæna damnatorum, cùm tamen sit constans sententia Theologorum, damnatorum pænam nunquam etiam in intensione minui, sed per totam æternitatem manere æquè intensam, ac fuit initio damnationis. Tertio. Præter enumerata receptacula animarum separatarum, est etiam Paradysus terrestris, in quem recepti sunt Enoch, & Elias: est etiam Paradysus terrestris, in quem receptus est bonus Latro, cui dictum est: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradyso.* Quartò diversæ sunt qualitates pænarum, & præmiorum juxta diversitatem culparum, & meritorum. Sed plurimi sunt gradus culparum, & meritorum. Ergò plurima etiam assignanda sunt receptacula, in quibus animæ patiantur, vel prœmientur, post separationem sui à corpore. Quintò. Præter infernum est etiam aër iste caliginosus, receptaculum & carcer dæmonum, ut patet ex 2. Petri 2. & multis exemplis demonstrat S. Gregorius lib. 4. Dialogorum: *Prætereà aliquæ animæ quandóque puniuntur in ijs locis, in quibus peccârunt, in ijsque expiant sua peccata.* Ergò præter purgatorium datur etiam aliud receptaculum in quo peccata post mortem expiantur. Septimò. Sicut aliqui in gratia decedentes habent aliqua venialia, pro quibus digni sunt pænâ, ita aliqui in peccato mortali decedentes, habent aliqua bona, pro quibus essent digni prœmio. Ergò sicut illis assignatur peculiare receptaculum, in quo puniantur, antequam prœmia conse-

consequantur, scilicet purgatorium, eâdem ratione deberet assignari istis aliquod receptaculum, in quo pro bonis operibus prœmiarentur: antequam pro peccato mortali in æternum puniantur. Septimò. Sicut Patres veteris Testamenti retardabantur à cœlesti gloria quoad animam, ita nunc retardantur Justi quoad gloriam corporis. Ergò sicut distingvitur eorum receptaculum in quo fuerunt antequam liberarentur ex eo, à Christo post suam Resurrectionem, ab illo in quo sunt defactò, ita deberet assignari diversum receptaculum, in quo defactò sunt eorum animæ sine corpore, ab illo in quo erunt, post resurrectionem cum glorioso corpore. Octavo Limbus SS. Patrum Veteris Testamenti fuit pro Justis animabus, fieri autem potuit, ac fortassis etiam accidit, ut aliqui ex illis decederent ex hac vita simul cum peccato veniali, quod igitur receptaculum his assignabitur? Nonò. Vice versâ non videntur admittenda tot animarum receptacula post hanc vitam. Nam receptacula animabus debentur pro peccatò, & merito, sicut ergò ratione meritorum unum tantùm debet esse receptaculum, nempè cœlum: ita ratione peccatorum aliud, illúdque unum nempè, infernus. Decimò. Rursùs ex alia ratione, videntur pro culpa tria tantùm receptacula assignanda esse animabus post hanc vitam. Loca enim peccatorum debent correspondere ipsis culpis. Sed non nisi tria genera culparum, scilicet originalis, mortalis, & venialis. Ergò non debent esse nisi tria receptacula pœnarum, quorum unum sit pro peccato originali, & est limbus puerorum, alterum pro peccato mortali, quod est infernus, tertium pro peccato veniali, quod est purgatorium. ℟. Solvendo singulas rationes dubitationum.

Ad primum igitur dicendum cum S. Thoma part. 3. lib. 69. num. 7. *Casum talem vix esse possibilem, si tamen possibilis esset, ejusmodi animam puniendam æternâ pœnâ damni, qualis pœna est, earum animarum, quæ sunt in limbo puerorum*, atque in tali casu non fore inconveniens, si peccatum veniale per accidens puniretur pœnâ æternâ damni, non quidem ratione sui, sed prout est conjunctum cum peccato originali. Quod si autem quis diceret talem animam priùs ituram ad purgatorium, & deinde expiatâ pœnâ ipsi debitâ, ad limbum puerorum, uti postmodùm careret omni pœnâ sensûs, non inconvenienter loqueretur.

Ad 2. ℟. *Pariter talem animam ituram in infernum ratione peccati mortalis*, per accidens autem foret, si in ejusmodi casu peccatum veniale puniretur proportionatâ pœna quoad sensum intensivè, in æternum, non quidem præcise ratione sui, sed prout est conjunctum cum peccato mortali, quod æternam meretur pœnam. Vel dic in tali casu animam passuram in inferno temporaliter ratione peccati venialis, donec adæquaretur pœna eidem debita,

pœnâ

pænâ autem æternâ puniendam ob peccatum mortale; néque id esset fortassis contra communem sensum Theologorum, qui tenent in damnatis pœnam damnatorum non minui intensivè per totam æternitatem, sed manere æquè intensam ac fuit initio damnationis, quia hæc pæna sensûs peccato veniali debita esset exiguâ valde, comparativè ad intensionem, quæ correspondet peccato mortali, & veluti morsus pulicis respectu intensissimorum dolorum, adeóque censeretur talis damnari pænâ æternâ sensûs, non minui moraliter loquendo, pæna autem æterna sensûs peccato mortali debita, maneret.

Ad 3. dicendum. *Quòd Paradysus terrestris, spectet potiùs ad statum Viatoris, quàm ad statum recipientis præmium*, adeóque inter receptacula animarum post hanc vitam, non est computandus. Paradysus autem cœlestis, idem est cum vita venturi sæculi, & illorum verborum Christi. *Hodie mecum eris in Paradyso*, sensus est: Hodie mecum eris in æterna futuri sæculi vita, in quieto & felici Beatorum statu, non quidem in cœlo Empyreo, sed in consortio tot Myriadum Sanctorum Patrum, quos meâ morte eliberabo è limbo, & ducam eos mecum ad cœlestem gloriam, ubi ascendero in cœlum.

Ad 4. dicendum. *Quòd diversitas graduum; in pænis, vel præmijs non diversificet statum, secundùm cujus diversitatem receptacula distingvantur.* Sic etiam Christus dicit de cœlo: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Joan. 14. v. 2. hoc est in una eadémque vita æterna, juxta diversitates meritorum, diversæ dignitates, & diversa sunt prœmia.

Ad 5. dicendum. *Quòd aër iste caliginosus, non assignetur dæmonibus pro receptaculo stabili, in quo recipiant retributionem pro suis demeritis, hoc enim est infernus.* ut patet Matth. 25. Sed quasi est locus competens eorum officio, in quantum deputantur nobis in exercitium: similiter quando animæ separatæ expiant sua peccata in loco ubi ea commiserant, id non fit quasi iste esset locus proprius talium expiationum, sed hoc fit ad nostram instructionem, ut earum pænas videntes retrahamur à culpis.

Ad 6. dicendum. *Quòd bonum sit ex integro, malum autem ex quolibet defectu*, cum igitur beatitudo sit summum nostrum bonum, debet fieri absque omni admixtione mali, adeóque nulla coinquinatio esse in anima, ut illâ potiatur, igitur si quæ in ea est iniquitas, debet priùs ab ea tanquam mala, purgari, si hinc non omninò purgata exeat. Animæ verò, quæ in infernum detruduntur, non debent esse immunes ab omni bono, sed ad hoc sufficit si ijs adsit aliquod grave malum, cujusmodi est peccatum mortale, quod est summum malum, unde pro bonis quæ eidem annexa sunt, non debent aliquod prœmium positivum recipere in altera vita, quamvis etiam in

in inferno existentes prœmium aliquod quasi negativum intuitu bonorum suorum recipient, in quantum scilicet bona præterita ijs valeant ad mitigationem pœnæ sensûs, quoad intensionem.

Ad 7. dicendum. *Quòd beatitudo nostra essentialis consistat in gloria animæ, per visionem scilicet beatificam, & amorem*; corporalis verò nostra beatitudo sit tantùm accidentalis, quæ originaliter est in beatitudine animæ, & eandem consequitur, & ideò carentia gloriæ animarum, diversificat receptacula Patrum veteris Testamenti, in quo fuerant ante adeptam gloriam cœlestem, non verò carentia gloriæ corporis.

Ad 8. Dici fortassis possit non absurdè. *Quòd tales animæ priùs luerunt in purgatorio ratione peccati venialis reatûsque pœnæ, & postea transiverunt ad lymbum Patrum*, eo modo quo ferè in simili dictum est, in responsione ad secundam dubitandi rationem.

Ad 9. Dicendum cum S. Thoma loco citato. *Quòd bonum contingat uno modo quia scilicet ex integro*, (maximè si sit summum bonum, uti est beatitudo nostra) *malum autem contingit multifariè*. ideò non est inconveniens, si locus beatitudinis tribuatur unus, loca autem pœnarum sint plura.

Ad 10. dicendum. *Quòd status merendi, & demerendi sit unus, nempè hæc vita nostra*. Sed quia merita, & demerita sunt diversa, debent esse etiam eorum qui recipiunt pro meritis, vel demeritis mercedem, status diversi.

Quæri potest 6. *Quænam sit quatuor subterraneorum seu pœnalium receptaculorum subordinatio in ordine ad situm?* ℞. De hac quidem subordinatione quoad situm, saltèm omnium & singulorum dictorum receptaculorum subterraneorum, clarè ex Scriptura Sacra non omninò constat. Conjecturalis tamen, & magis rectæ rationi consona fors posset eorundem constitutio & subordinatio quoad situm statui, ex sententia Svarecz Tom. 17. disp. 45. Sect. 2. *Primò ut statuatur infernus: circa hunc autem, parte ex una purgatorium, ex altera limbus puerorum, ex tertia limbus Patrum, absque situatione unius receptaculi sub altero tali, ut non possit ad unum nisi per alium transiri*: sive jam hæc receptacula distinguantur inter se, per interjectam alicujus terræ molem, sive solùm terminis à DEO præfinitis. Verùm hac de re agemus in subsequentibus, in particulari de singulis disserendo.

§ VIII.

De statu Animarum constitutarum in Limbo Patrum, & Limbo Puerorum.

QUæres 1. *Quid intelligatur per Limbum Patrum Veteris Testamenti?* ℞. Cùm certum sit ante Ascensionem Christi, neminem cœlum con-

conſcendiſſe, adeòque nullam animam ſeparatam à corpore fuiſſe in cœlum receptam, neceſſariò conſequens eſt, ut pro animabus aliàs cœlo deſtinatis, quales erant animæ Patrum Veteris Teſtamenti, & omnes illæ, quæ decedebant ex hac vita in gratia, aſſignetur aliquod receptaculum in quo quieſcebant, donec cum Chriſto Aſcendente, & ipſæ ad cœleſtem gloriam deducerentur & aſcenderent. Atque hoc receptaculum animarum intelligitur, *Limbus Patrum Veteris Teſtamenti.*

Quæres 2. *Ubi locorum fuerit hoc receptaculum?* ℞. Fuiſſe in partibus terræ inferioribus.

Quæres 3. *Unde conſtat fuiſſe & exſtitiſſe à parte rei tale receptaculum animarum?* ℞. Conſtare id cùm ex præcedente ratione: tum ex ſequentibus Scripturæ Sacræ teſtimonijs. Nam Geneſ. 37. v. 35. dicit Jacob: *Deſcendam ad filium meum* (quem mortuum fuiſſe crediderat) *in infernum.* Non utique damnatorum. Ergò ad limbum Patrum. Secundò. 1. Reg. 22. v. 13. & 15. *Anima Samuelis de terra aſcendit, ex inferioribus partibus terræ.* Non autem ex inferno damnatorum. Ergò ex conſortio aliorum Patrum, ſeu receptaculo animarum eorundem. Idem confirmatur ex illo Eccleſiaſt. 46. v. 23. *Et poſt hæc dormivit Samuel,* (hoc eſt, mortuus eſt,) *& notum fecit Regi,* hoc eſt Saulo apparuit, illique interitum, & populi cladem prænunciavit. Tertiò. Ex 1. Petri 3. v. 19. *Ex his qui in carcere* (Syriacè Baſciul, id eſt, in inferno, non utique damnatorum) *erant, Spiritus veniens* (Chriſtus poſt mortem) *prædicavit*, animabus ſcilicet illis captivis, juxta illud Eccleſ. 24. v. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes,* & quidem *ſperantes in Domino*, quæ erant in limbo Patrum) *omnes illuminabo*, nempè lumine gloriæ, & viſione beatificâ. Quartò. Ex illo S. Pauli ad Epheſ. 4. v. 9. *Propter quod* (dicit Scriptura Pſal. 67. v. 19.) *aſcendens* (Chriſtus) *in altum, captivam duxit captivitatem. Quod autem aſcendit quid eſt, niſi quia & deſcendit, primùm in inferiores partes terræ*, hoc eſt, Chriſtus aſcendens in cœlum, traxit ſecum animas Juſtorum, antea apud inferos in limbo captivas.

Quæres 4. *Utrum Limbus Patrum fuerit idem quod ſinus Abrahæ?* ℞. Affirmativè. *Sic enim Lazarus dicitur fuiſſe in ſinu Abrahæ.* Luc. 16. v. 13. hoc eſt, in conſortio Abrahami, & reliquorum Patrum Veteris Teſtamenti, qui erant in limbo. In Novo tamen Teſtamento, ſinus Abrahæ accipitur pro ipſa cœleſti gloria, & ſic Eccleſia orat, ut fidelis anima defuncti, deducatur per Angelos ad ſinum Abrahæ, quia poſt Aſcenſionem Chriſti ad cœlum, animæ Fidelium ſuſcipiuntur ad cœlum immediatè, ſi ſint mundæ ab omni reatu pœnæ & culpæ, & non ampliùs in limbum. Cur autem in Veteri Te-

stamento limbus Patrum, & in Novo Testamento cœlestis gloria nuncupetur sinus Abrahæ, ratio esse potest. Quòd animæ hominum post mortem, ad quietem pervenire non possint, nisi merito Fidei: *Accedentem enim ad DEUM oportet credere*, ut habetur ad Hebræ. 6. Primũ autem fidei exemplum hominibus in Abrahamo datur, qui primus se à cœtu infidelium separavit, & speciale fidei signum accepit. ita S. Thomas part. 3. quæst. 49. art. 4.

Quæres 5. *In quo sensu dicatur limbus Patrum infernus?* ℟. In hoc, quòd fuerit in inferioribus partibus terræ. Et sic Christus dicitur descendisse ad inferos, hoc est, ad limbum Patrum. Et similiter Job 17. 110. *In profundissimum infernum descendent omnia mea.* Sed Job cùm esset Sanctus & Justus, non descendit ad infernum damnatorum, seu gehennam. Ergò ad limbum Patrum. Ergò hic erat in inferioribus partibus terræ.

Quæres 6. *Quid intelligatur nomine limbi puerorum, & an detur?* ℟. Cùm certùm sit: Quòd *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non possit intrare in Regnum DEI.* Joan. 3. v. 5. & hæc renatio fiat per Baptismum, manifestè sequitur parvulos non baptizatos non posse pervenire ad Regnum cœlorum. Cùm verò nullum peccatum personale commiserint, & pro peccato originali, prout est commune toti naturæ humanæ, satisfecit Christus Dominus per suam Passionem, manet verò adhuc in in illis peccatum personale originale, quod per solùm Baptismum ex Institutione Christi deletur, clarum est, pro ijs assignandum esse diversum, ab alijs animarum receptaculis. Infernum enim non merentur, cœlum consequi non possunt. Ergò. Atque hoc receptaculum est limbus puerorum. Ergò datur.

Quæres 7. *Utrum Limbus puerorum sit idem cum Limbo Patrum?* ℟. Negativè. Sive quoad pænam, sive quoad statum, quæstio sit. Et quidem quoad pænam dubium esse non potest. Licèt enim utrobique non interveniat pæna sensûs, sed sola pæna damni, hæc tamen ipsa diversimodè est in animabus puerorum seu infantium decedentium ex hac vita sine Baptismo in Novo Testamento, & sine Circumcisione in Veteri Testamento & in animabus Patrum Veteris Testamenti. Illarum siquidem animarum, est pæna damni æterna, harum verò fuit solùm temporanea, & non tam privatio visionis beatificæ simpliciter, quàm ejusdem dilatio, juxta diversitatem scilicet culparum. Nam in Sanctis Patribus Veteris Testamenti fuit solùm culpa peccati originalis Naturæ humanæ in communi, in his autem est culpa peccati originalis etiam personalis. Quoad situm verò (esto S. Thomas videatur esse in opposita sententia, sed probabiliter tantùm id judicando) convenientiùs est rectæ rationi, ut hæc receptacula animarum censeantur esse diversa, ut infra videbitur,

Quæ-

Quæres 8. *Utrum utilia sint suffragia & preces, pro animabus existentibus in Limbo puerorum.* ℞. Negativè. Rationem dat S. Thomas part. 3. quæstion. 71. art. 7. *Quia pueri non baptizati non detinentur in limbo nisi quia deficiunt à statu gratiæ.* Unde cùm per opera vivorum, status mortuorum non possit mutari, maximè quantum ad meritum essentiæ prœmij, vel pænæ, suffragia & preces vivorum, pueris in limbo existentibus prodesse non possunt. Hinc colligere licet errorem, & simplicitatem eorum qui pro infantibus demortuis suffragia exposcunt, vel etiam eleëmosynas faciunt, aut preces fundunt. Infantes siquidem vel cum Baptismo decedunt ex hac vita, vel sine illo, si primùm infallibiliter æternâ gloriâ, adeóque nullis indigent suffragijs. Si secudum, non sunt capaces ullorum suffragiorum.

Quæres 9. *Quisnam status fuerit animarum SS. Patrum Veteris Testamenti in Limbo?* ℞. Animarum harum Sanctarum statum fuisse quietissimum, liberum ab omni pæna sensûs, fuisse easdam præditas & ornatas gratiâ justificante & sanctificante, fide, item & spe, & charitate, præstolantes cum summis desiderijs adventum Messiæ, atque frequenter eundem suspirantes. Hinc illa eorundem fuêre vota: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant Justum: aperiatur terra & germinet Salvatorem, & Justitia oriatur simul.* Isaiæ 45. v. 8. Item *Utinam disrumperes cælos, & descenderes.* Isaiæ 4. v. 5.

Quæres 10. *Quisnam verò sit status animarum earum, quæ sunt in Limbo puerorum?* ℞. Has quóque animas carere omni pænâ sensûs, haberéque suam requiem & quendam modum naturalis consolationis, si fortasè ignorant naturæ suæ casum & redemptionem, soláque naturali cognitione DEI, & amore fruuntur.

Quæres 11. *An defactò sint aliquæ animæ in Limbo Patrum?* ℞. Nullas defactò esse, com hoc receptaculum fuerit pro animabus justis, solùm usque ad Resurrectionem Christi, qui surrexit à mortuis descendit ad inferos, hoc est ad limbum Patrum, ex eoque liberavit omnes illas animas, & captivam duxit captivitatem, cum ijsdémque ascendit ad cœlum. Ut Symbolum Apostolorum docet. Post Resurrectionem verò Christi omnes animæ justæ, & reatu culpæ omnis ac pænæ carentes, immediatè recipiuntur ad cœlum.

Quæres 12. *An similiter Limbus puerorum sit aliquando evacuandus?* ℞. Non deesse Theologos, qui dicant has animas ad tempus tantùm in limbo suo detinendas, & quòd sicut animæ sanctæ seu Patres Veteris Testamenti in primo Christi Adventu è suo limbo eductæ fuerant: ita animæ infantium in secundo Adventu Christi, educendæ sunt, non ut in cælum ferantur, aut visionem DEI beatam accipiant, vel ut demergantur cum damnatis ad infernum, sed ut in superficie terræ habitent, hácque sensibili luce fruantur,

DEUMque ut Auctorem naturæ naturali cognitione agnoſcant, amoréque naturali ament & laudent. Vide Suarecz part. 3. diſp. 45.

Quæres 13. *An aliquæ animæ infantium fuerint in hoc Limbo in Veteri Teſtamento?* ℟. Fuiſſe, & eſſe, omnes eas animas, quæ ex hac vita deceſsêre cum peccato originali perſonali, quod nunc in Novo Teſtamento delebatur per Baptiſmum, in Veteri Teſtamento delebatur per Circumciſionem. Licèt enim in utróque hoc limbo detineantur animæ propter peccatum Adæ, id tamen fit diverſo modo. Nam in limbo Patrum detinebantur animæ propter illud peccatum, ut fuit totius naturæ humanæ, pro quo necdum fuerat ſatisfactum: in alio verò detinebantur, & detinentur animæ puerorum ſeu infantium, propter illud participatum in propria perſona, & in ea durans ac perſeverans.

§ IX.

De ſtatu Animarum ſeparatarum in Purgatorio.

QUæres 1. *Quid intelligatur hîc nomine Purgatorij?* ℟. Nomine Purgatorij hîc aliud non intelligi, quàm locus in quem animæ juſtæ, quæ adhuc in hac vita ſufficienter expurgatæ non fuerunt quoad reatum pœnæ, in altera expurgantur per ſatispaſſionem, antequam ad cœleſtem gloriam recipiantur.

Quæres 2. *An detur aliquis talis locus?* ℟. Affirmativè. Id enim & SS. & Eccleſia primitiva, & Sanctorum primorum Patrum ſauthoritas, & ipſa ratio manifeſtè evincit. Probatur aſſertio primò. Ex illis verbis Chriſti Matth. 12. v. 32. *Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, néque in hoc ſæculo, néque in futuro.* Ergò in futuro ſæculo eſt aliqua remiſſio peccatorum quoad reatum ſcilicet pœnæ, & per ſatispaſſionem. Quam illationem ex prædictis verbis Chriſti infert ipſemet Sanctus Auguſtinus lib. 21. de Civitate DEI cap. 24. Secundò. Ex illo S. Pauli Apoſtoli textu, 1. ad Corinth. 3. v. 15. *Ipſe autem ſalvus erit, ſic quaſi per ignem.* Per quem quæſo ignem? Non certè inferni. Ergò purgatorij. Atque ſic exponunt hunc textum SS. Patres, & nominatim Origenes, Baſilius, Hieronymus, Ambroſius, in hunc locum. Tertiò. Ex illo 2. Machab. 12. *Sancta & ſalubris cogitatio eſt, pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Atqui ſi non daretur purgatorium, exoratio pro defunctis non eſſet ſancta, ſed otioſa & inutilis. Ergò.

Quis verò orationis uſus pro defunctis fuerit in primitiva Eccleſia ſtatim ad ejuſdem exordium, teſtatur claré S. Auguſtinus lib. de Cura pro mortuis cap. 2.

cap. 2. *Non parva est* (inquit) *Universæ Ecclesiæ authoritas, quòd in precibus Sacerdotis, quæ DEO, ad ejus Altare funduntur locum suum habeat, commendatio mortuorum.* Et Tertullianus, qui vixit adhuc ante S. Augustinum lib. 2. de corona militis cap. 13. *Oblationes pro defunctis, annuo die facimus.* Verùm hac de re Sententia Sanctorum Patrum sole meridiano clarior est. Nam ut alios prætermittam, S. Augustinus Hom. 16. lib. 50. Homiliarum sic ait: *Qui temporalibus pænis digna gesserunt, per ignem quendam purgatorium transibunt*, de quo Apostolus inquit: *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Tertiò Ratione. Certum enim est, quod nihil coinquinatum intrabit in Regnum cœlorum, fieri autem potest ut quis Justus moriatur, necdum plenè expiatis pænis, peccatis debitis. Talis verò anima non ibit immediatè ad cœlum utpotè adhuc coinquinata. Nec etiam ad infernum. Quia est sine peccato mortali & in DEI gratia. Ergò debet eidem assignari locus, in quo priùs expiet reatum pænæ, & sic expiata ad cœlum recipiatur. Talis verò locus est, & dicitur purgatorium. Ergo.

Quæres 3. *Utrum purgatorium sit aliquis locus certus & determinatus?* ℟. Affirmativè. Ad providentiam siquidem Divinam spectabat, ut sicuti certum locum constituit ad puniendum peccatum mortale, qui est infernus, ita conveniens fuit ut constitueret & certum ac determinatum, ad puniendum peccatum veniale, & in quo temporales pænæ peccato debitæ in altera vita expiarentur, si in hac necdum fuissent expiatæ.

Quæres 4. *Ubi sit hic purgatorij locus?* ℟. Locum hunc purgatorij in quo de ordinaria providentia DEI, animæ Justorum detinentur, donec pænas peccatis debitas perfectè luant esse infra superficiem terræ. Quod videtur sentire ipsa Ecclesia in illis verbis: *Libera Domine animas Fidelium defunctorum de pænis inferni* (non utique inferni damnatorum) *& de profundo lacu.* Probari id ipsum potest ex illo Apocalypsis 5. *Nemo inventus est dignus aperire locum, néque in cœlo, néque in terra, néque subtus terram.* Ubi loquitur Joannes de animabus Justorum, illæ enim tantùm dignæ poterant videri aperire librum. Ergò supposuit etiam subtus terram esse animas justas.

Quæres 5. *Si subtus terram est purgatorium, quem situm habet respectu aliorum receptaculorum subterraneorum?* ℟. Verisimilius esse purgatorium, esse vicinissimum (respectu limborum SS. Patrum, & puerorum) in inferno, & eundem ignem habere. Cùm enim hæc duo loca conveniant in pænæ qualitate, in utroque enim est ignis, ejusdem rationis, igitur oportet esse eidem contiguum, imò censent nonnulli Authores, nullo interjecto corpore denso ac solido separari, sed habere potiùs eundem ignem continuum, eundémque numero, solúmque distingvi quoad partes illius ignis, & per terminum à DEO præfixum.

 Quæ-

Quæres 6. *Quisnam status sit animarum purgatorij?* ℟. Statum animarum in purgatorio existentium, esse statum satispassionis pro pœnis peccato debitis, quas in hac vita non expiaverant. Duplicem autem patiuntur pœnam. Unam damni, quæ in eo consistit, quòd debeant carere gloriâ cœlesti, donec omninò purgatæ sint. Quæ quidem pœna est gravissima ijsdem, ex eove maximè, quòd detineantur ab ingressu æternæ & cœlestis gloriæ, ad quam summoperè anhelant, ratione culpæ à se commissæ, & non ratione conjunctionis cum corpore, sicut in hac vita, néque ratione peccati à primis parentibus commissi, ob quod detinebantur Patres Veteris Testamenti in limbo, inde enim in ijs consequitur magna tristitia; uti ex eo quóque, quod cùm potuerint in vita pro his pœnis, satisfecisse exiguis pœnalibus operibus, id tamen facere neglexerunt. Alteram verò pœnam sensûs, quæ in eo consistit, quod patiantur gravissimos cruciatus ab igne purgatorij, quæ sanè acerbiores sunt, quam ullæ pœnæ & dolores hujus vitæ, ut notat S. Augustinus Sermone 47. de Sanctis, cùm ait: *Sed dicet aliquis, non pertinet ad me, quamdiù moras habeam, si tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat fratres charissimi, quia ille purgatorius ignis durior erit, quàm quidquid potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri.*

Quæres 7. *An pœna hæc sensûs sit à vero igne?* ℟. Affirmativè. Et quidem ab ipso vero igne infernali, qui incomparabiliter est vehementior nostro igne Elementari, cum hac solùm differentia: quòd ignis infernalis torquebit animas damnatas per totam æternitatem, hic autem ad tempus reatui pœnæ proportionatum.

Quæres 8. *Quomodo hic ignis cùm sit corporeus & materialis agat in animam, quæ est purè spiritualis substantia?* ℟. Ignem hunc verè realiter & physicè efficere cruciatum in animabus purgatorij, uti ignis infernalis in dæmonibus, & animabus damnatis. Unde S. Augustinus ait: *Miris quidem sed tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœnâ corporalis ignis affligi.* Et S. Gregorius: *Per ignem corporeum, mens etiam incorporea torquetur.* Quam sententiam colligit ex illo Lucæ 16. *Quia crucior in hac flamma.*

Quæres 9. *Utrum animabus in purgatorio per dæmones tanquam per ministros, hæc pœna sensûs infligatur?* ℟. Verisimiliùs esse, per dæmones non infligi has pœnas animabus purgatorij: siquidem non est conveniens & decens, animas justas & sanctas, & jam amicas DEI, & quæ ampliùs peccare non possunt, dæmonésque usque ad ultimum conflictum vicerunt, eorundem iterum potestati tradi, ut ab ijsdem torqueantur.

Quæres 10. *Quàm sit diuturna purgatorij pœna?* ℟. Certum esse primò. Pœnas purgatorij non esse æternas, sed temporales duntaxat. Per hoc enim diffe-

differunt à pœnis infernalibus. Certum est secundò. Pœnas purgatorij non duraturas ultra diem Judicij. Quæ veritas desumitur ex sententia finali Matth. 25. per quam proponuntur, *omnes judicandi suis corporibus, qui propria opera habuerunt* (nam de infantibus ibi mentio non fit) *hi autem omnes vel in æternam beatitudinem recipientur, vel in gehennam relegabuntur*, tunc ergò non erit ampliùs purgatorij locus. Certum denique est tertiò. Durationem pœnæ purgatorij, non esse æqualem in omnibus animabus. Unde sicut aliæ cum majori reatu pœnæ temporalis, aliæ cum minori venient ad illum locum, sic aliæ citiùs, aliæ tardiùs inde liberabuntur. Nam ut S. Augustinus ait lib. 50. Homiliarum, Homil. 16. *Quanta* (inquit) *fuerit peccati materia, tanta & transeundi mora.* Et licèt per absolutam DEI potentiam posset fieri, ut non obstante hâc inæqualitate demeritorum, posset stare æqualitas durationis cum sola inæqualitate intensionis (sicut in inferno est æqualitas durationis seu æternitatis, & est inæqualitas intensionis pœnarum) & sic salvaretur adhuc ratio justitiæ commutativæ, id tamen non fit de lege ordinaria, uti patet ex sensu totius Ecclesiæ, quæ credit animas purgatorij ad beatitudinem transire, prout in eis reatus major vel minor, breviùs vel tardiùs expiatur.

Quæres 11. *Num pœna purgatorij paulatim per remissionem intensionis remittatur, vel semper in eadem intensione duret, & minuatur solùm ratione durationis?* ℟. Licèt sententia eorum non videatur carere omni probabilitate, qui asserunt animas purgatorij, priùs puniri in quodam loco, ubi ignis acriùs & intensiùs urit, deinde transire ad alium, ubi mitiùs puniantur, postea rursùs ad alium amœnum locum, ubi desinunt omnes pœnæ sensûs, ac demùm sic ad cœlum migrent, ita ut ad beatitudinem perveniant, non transeundo immediatè ab extremo ad extremum, sed per hæc media: probabilior tamen sententia est, quæ tenet pœnam sensûs in purgatorio non minui quoad intensionem, sed solùm quoad durationem, ita ut completo tempore proportionato ipsi reatui pœnæ, tota simul pœna finiatur, atque sic anima per satispassionem expiata immediatè transeat ad cœlum. Nulla siquidem est ratio & causa talis diminutionis & remissionis quoad intensionem, pro cujus tamen æqualis intensionis continuatione possit assignari hæc ratio. Quia scilicet tota illa pœna secundùm totam durationem æquè correspondet tali peccato, illúdque sit æquè toto tempore, illâ dignum; nisi fortè dicatur, quòd diversis peccatis, diversæ pœnæ correspondeant, vel diversi gradus ejusdem pœnæ ignis, adeóque pœnam uni peccato debitam, finiri interdum priùs alterâ pœnâ alteri peccato debitâ, sícque fieri aliquam remissionem pœnæ etiam in intensione, successivè.

Aliud

Aliud eſt de pœna damni, id eſt de triſtitia, ex dilatione gloriæ, hæc e-nim videtur ſemper minui, quia objectum talis triſtitiæ, minùs ſemper fieri videtur, ſemper ſiquidem dilationis tempus minuitur, è converſo Beatitudo deſiderata magìs appropinquat. Triſtitiam tamen de amiſſis vel non lucratis pluribus gradibus gloriæ in perpetuum, quos potuiſſet mereri, neceſſe eſt ſemper eſſe æqualem, quamdiù anima manet in purgatorio.

Quæres 12. *Utrum animæ purgatorij careant omni culpâ ratione ſui ſtatûs?* ℞. Affirmativè. Carent enim culpâ mortali perſonali, quia cum hac decedentes, non ad purgatorium, ſed ad infernum eunt. Carent ſolo originali. Quia animæ cum ſolo originali decedentes vadunt ad limbum puerorum, carent denique & culpâ veniali, quia hoc in ratione culpæ ſeu maculæ ſi non priùs ſit deletum, deletur ipſo tranſitu, animæ juſtæ ex hac vita.

Quæres 13. *Si animæ purgatorij carent omni culpâ, quando igitur tam acres pœnas ſubire coguntur?* ℞. Remiſſis peccatis, etiam mortalibus quoad culpam, manere ijſdem reatum ad pœnam temporalem. Sicut Rex aliquando condonat reo offenſam, & pœnam capitalem, quam meritus eſt, & tamen ne videatur omninò neglectâ juſtitiâ publicâ, vult eum per unum vel alterum annum exilio vel carcere punire. Sic DEUS etiam nobiſcum agit. Quod varijs exemplis oſtendi poteſt. Sic enim remiſſo peccato originali, ſeu primorum parentum, in quibus peccaverat univerſum genus humanum, manet adhuc ejuſdem peccati pœna in humano genere ex. g. mors, infirmitates, & aliæ calamitates hujus vitæ. Sic Regi Davidi condonatum fuit peccatum adulterij, & homicidij, punitus tamen eſt morte filij, quem ex adulterio ſuſtulerat; Atqui ſic pœnæ peccatis debitæ expiantur ab animabus purgatorij.

Quæres 14. *Utrum animæ purgatorij peccare poſſint?* ℞. Animas indigentes purgatorio igne in ipſo inſtanti ſeparationis à corpore confirmari in gratia, in bono, ita ut ampliùs peccare non poſſint. Quia vita hominis ad merendum, vel demerendum in morte finitur. Et ideò anima in illo ſtatu in quo tunc invenitur permanet immobilis, vel per obſtinationem à malo, ſi ſit in ſtatu malo, vel per confirmationem in gratia, ſi ſit in ſtatu bono.

Quæres 15. *Utrum animæ purgatorij poſſint aliquid mereri?* ℞ Negativè. Nam cùm non poſſint per peccatum demereri, néque poterunt aliquid per bonum opus mereri. Quia ſimiliter tempus merendi gloriam, vel augmentum gratiæ in morte finitur. Confirmatur ex illo Eccleſ. cap. 18. *Nec verearis uſque ad mortem juſtificari, quia tempus juſtitiæ acquirenda eſt ante judicium: nam de his, quæ poſtea ſequuntur nullus judicabitur.*

Quæres 16. *Utrum animæ purgatorij ſint certæ de ſua ſalute.* ℞. Animas purgatorij certiſſimas eſſe, & omninò ſecuras de ſua ſalute, tam quoad præ-

ſentem

ſentem juſtitiam, quàm quoad æternam imminentem beatitudinem. Nam in Judicio particulari, quo omnes homines judicantur in morte, ſive in inſtanti ſeparationis animæ à corpore, fertur à DEO ſententia immutabilis & irrevocabilis, eáque infallibilis, quæ ipſi animæ manifeſtatur (hunc ſiquidem in finem à DEO profertur) & intimatur de præſenti & futuro ejuſdem ſtatu. Per hanc igitur ſententiam, animæ ad purgatorium deputatæ cognoſcunt dignas ſe eſſe vitâ æternâ, propter bona opera & merita, & illam ſibi eſſe reddendam infallibiliter in tali, vel tali gradu, eam tamen differri, donec expient in igne purgatorij talem, & in tantum tempus pænam, his vel illis peccatis debitam, igitur ſententiæ huic (quæ revelationem Divinam continet) firmiter aſſentiendo certiſſimæ ſunt, & de præſenti ſtatu gratiæ, & de futura beatitudine.

Quæres 17. *Utrum animæ in purgatorio exiſtentes, ſtante hâc certitudine, de vita æterna conſequenda adhuc dici poſſint ſpem illius habere?* ℟. Affirmativè. Nam ut Suarecz Tomo citato diſp. 67. ſect. 3. ait: Contra rationem ſpei non eſt certitudo conſequendi bonum ſperatum, quamdiù illud obtentum non eſt, maximè ſi adhuc ſuſtinendi ſunt labores, & ſuperandæ difficultates ante conſecutionem. Ita verò ſe habent illæ ſanctæ animæ. Ergò. Imò quantò ſunt de æterna beatitudine conſequenda certiores, tantò eam certiùs ſperant.

Quæres 18. *Utrum néque Inclinationes ad malum maneant animabus purgatorij?* ℟. Affirmativè. Nam quidquid eſt hujus Inclinationis ad malum, eſt in appetitu ſenſitivo, hìc autem deponitur in ipſa morte ſimul cum corpore. Ergò.

Quæres 19. *An ſaltèm habitus vitioſi maneant in his animabus?* ℟. Néque hos manere. Quia & hi vel in ipſo inſtanti ſeparationis animæ à corpore auferuntur, vel per actus contrarios Divinâ virtute factos tolluntur, vel per ſubtractionem Divini concursûs deſinunt eſſe, aut per infuſionem contrariorum habituum expelluntur.

Quæres 20. *Quomodo ſola anima luit pænas in purgatorio prò culpis, cùm etiam corpus illas commiſerit?* ℟. Quia licèt corpus fuerit organum animæ ad peccandum, tamen cùm ipſa anima ſit principalis cauſa, in cujus voluntate vera & formalis ratio peccati conſiſtit, in illa fieri poterit ſufficiens vindicta pro illo reatu temporali, qui ex peccato jam remiſſo in ea manet: præterea ſatìs quoque homo patitur pænæ in corpore tam in ipſa morte, quàm in corruptione, & incineratione poſt mortem.

Quæres 21. *Utrum poſſit aſſignari terminus maximus, ultra quem duratio pænæ purgatorij non tranſcendat?* ℟. Negativè. Hac ſiquidem de re nihil

est revelatum, nec ex revelatis veritatibus colligi potest: potest siquidem aliquando contingere, ut pœnæ hæ purgatoriæ multò majori tempore durent, quàm homines interdum cogitent. *Judicia DEI siquidem sunt occulta.* Unde Sententia Soti in 4. quæst. 19. cap. 3. art. 2. quâ judicat ex quibusdam conjecturis, neminem ultra decennium in purgatorio detineri, facilè rejicitur, imò ab aliquibus gravi etiam censurâ notatur. Quamvis sapienter censeat Suarecz Tom. 1. in tertia parte disp. 46. sect. 4. Non facilè etiam credendas esse revelationes, quæ de diuturnitate harum pœnarum circumferuntur, præsertim si generaliter fiant de illis animabus.

Quæres 22. *Utrum status animarum in purgatorio possit dici status satisfaciendi, vel debeat dici potiùs status satispatiendi?* ℞. Statum animarum purgatorij non posse dici statum satisfaciendi propriè, sed tantùm statum satispatiendi. Ratio primi est. Quia satisfactio est actus meritorius, status autem merendi in morte finitur. Juxta illud Ecclesiast. cap. 9. *Mortui nihil noverunt ampliùs, néque habent ultra mercedem.* Ratio autem secundi est, quia ex peccato remisso primò & per se, relinquitur reatus pœnæ ignis & afflictionis purgatorii, & hanc sustinere possunt animæ purgatorij, & quia illa pœna est temporalis, per sufficientem durationem illius, dicuntur posse satispati, juxta qualitatem, seu quantitatem reatûs, ad quod illis sufficit esse in statu gratiæ. Ita Suarecz loco citato sect. 3.

Quæres 23. *Utrum animæ purgatorij dici possint, & debeant, esse adhuc in statu viæ, vel in statu termini?* ℞. Animas purgatorij dici posse, & in *statu* viæ, & in *statu* termini, sed diverso respectu. Sunt igitur in statu viæ in hoc sensu, quòd non sint adhuc conjunctæ suo fini, ac termino, non verò in hoc sensu, quòd possint aliquid mereri, vel demereri, quod est de ratione viæ, seu hujus vitæ, quæ ideò propriè status viatoris dicitur. Sunt etiam in statu termini in hoc sensu, quòd jam acceperint decretoriam sententiam à DEO de futura sua beatitudine, & sint in termino gratiæ, sunt ergò velut in statu medio.

Quæres 24. *Utrum animæ purgatorij saltèm de congruo, possint aliquid sibi mereri, vel impetrare, quod ad earum liberationem & pœnarum, vel temporis illarum abbreviationem, pertineat?* ℞. Negativè. Nam hoc ipso, quòd homo voluntariè & ex sua negligentia omittat occasionem in præsenti vita sibi concessam ad satisfaciendum pro pœna commissorum peccatorum, amittere videtur etiam omnem congruitatem obtinendi à DEO in altera vita (quæ non est ordinata ad similem finem) remissionem aliquam per actiones suas circa illam pœnam. Status enim animæ in altera vita non est status impetrationis, sed satispassionis. Unde Soarius citatus ait: Verisimile non esse ipsas animas hoc petere, ex eo quòd talis petitio inordinata fieret. Quæ-

Quæres 25. *Utrum animæ in purgatorio existentes, saltèm pro viventibus orent, & possint aliquid pro ijsdem à DEO exorare?* ℞. cum Soario. Animas purgatorij pro nobis orare posse, & aliqua etiam nobis à DEO impetrare. Sunt quidem animæ sanctæ, & charæ DEO, nósque verâ charitate diligunt, & nostri recordantur, in genere noverunt pericula nostra, in quibus versamur, & quantum indigeamus, Divinâ ope & auxilio. Deinde si animæ Patrum Veteris Testamenti, quæ erant in sinu Abrahæ, seu in limbo, pro viventibus orabant, ut de Onia, & Hieremia refertur 2. Machab. capite ultimo, cur non concedatur id etiam animabus purgatorij?

Quæres 26. *Utrum animæ purgatorij ante finitum suæ expiationis tempus, possint subinde exire, & viventibus apparere?* ℞. De lege quidem ordinaria, & pro arbitrio animarum earum, id non fieri, hanc tamen legem indispensabilem non esse, cùm sæpissimè in eadem à DEO dispensari soleat. Cujus rei legere est multa exempla apud S. Gregorium lib. 4. Dialogorum, Venerabilem Bedam, & alios fide dignos Authores. Præter innumeras variorum de his apparitionibus relationes, quibus sicut omnibus promiscuè non est credendum; ita omnibus discredere, esset valde irrationabile, & temerarium. Unde cum S. Augustino in libro de cura pro mortuis agenda cap. 11. 12. 15. 16. dicendum est universaliter ac in communi de omnibus animabus defunctorum, quòd scilicet ex dispensatione Divina comparere possint, & quandoque compareant hominibus viventibus, non solùm eæ animæ quæ detinentur in purgatorio, sed etiam quæ sunt in inferno, vel cœlo, adducitque S. Augustinus in exemplum animam Moysis, Samuelis, Oniæ, & Hieremiæ, quas constat ex Scripturis, hominibus viventibus apparuisse, si ergò id permissum est à DEO animabus existentibus in limbo, cur non à potiori animabus purgatorij, quæ vel maximè indigent suffragijs vivorum. Verùm repeto iterum, apparitiones has rigido examini semper esse subjiciendas, propter multas deceptiones, imaginationes vanas, & diaboli illusiones, quæ in ijs intervenire possunt, & solent.

§ X.

De suffragijs, quibus animæ purgatorij à viventibus juvari possunt, ut citiùs liberentur ex illa pæna, quàm alioquin liberarentur, si suffragia pro illis non fierent.

QUæres 1. *Utrum suffragia viventium prosint defunctis in purgatorio constitutis ad remissionem pænarum?* Ante responsionem notandum

tria esse suffragiorum genera, primum est Sacrificium Missæ, secundum Oratio, tertium Opera quælibet pænalia & satisfactoria ut sunt: eleemosynæ, jejunia, peregrinationes, & similia. Jam ad quæstionem propositam respondeo Affirmativè. Ratio hujus desumitur ex Symbolo Fidei, in quo profitemur *Sanctorum communionem*, puta non eorum solùm, qui in terris credentes peregrinantur, verùm etiam eorum, qui carnis mortalitate exuti regnant in cœlo, vel illic regnaturi, in igne purgatorio suorum peccatorum pænas temporales exolvunt. Quæ quidem *communio* in eo consistit, ut Sancti regnantes cum Christo, suis precibus nos adjuvent, & pro nobis DEUM orent, & nos vicissim eorum patrocinio, per orationes & preces, variáque pia exercitia ab ijsdem id exoremus; ac rursùs illi ijdem, & nos, pro illis qui in purgatorio detinentur, DEUM exoremus, sacrificiáque & alia bona opera pro expiatione eorundem offeramus. Unde Acatholici hunc Articulum Fidei, juxta doctrinam suarum sectarum explicare nequeunt. Idem probatur secundò ex illo supra citato textu 2. Machab. 12. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis* (hoc est à pænis temporalibus peccatis debitis) *solvantur.* Probatur tertiò ex illo Tobiæ 4. v. 18. *Panem tuum & vinum super sepulturam justi constitue.* Non utique ut defunctus eis vescatur, sed ut pauperes & mendici illâ erogatione sustentarentur, & ad preces pro mortuis fundendas moverentur, unde & additur, *super sepulturam justi*, quasi dicat: ejus quem putas in DEI gratia mortuum, alijs enim non prodest Eleemosyna, qui scilicet in peccato mortali decesserunt. Huc spectant verba illa S. Pauli 1. ad Cor. 15. v. 29. *Alioquin quid facient, qui baptizantur, pro mortuis.* Hoc est, quem fructum reportabunt, qui purificantur ad Sacrificia quæ offeruntur pro mortuis, precésque pro ijs fundunt, & opera pænalia obeunt. *Si mortui omninò non resurgunt, ut quid baptizantur pro illis.* Hoc est: si non sint superstites animæ, quibus hæc prodesse possent. Quartò. Hæc veritas declarata est à multis etiam antiquissimis Concilijs; nempè: Carthaginensi 3. cap. 29. & Carthaginensi 4. cap. 79. & novissimè à Tridentino, quod expresè definit Sess. 25. Decr. 1. *Animas in purgatorio detentas fidelium suffragijs, potissimùm verò acceptabili Altaris Sacrificio, juvari.* Idem confirmatur ex perpetua Ecclesiæ traditione, & consvetudine, statim ab ejusdem exordio. Nam ut scribit S. Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia cap. 7. *Preces fundere pro mortuis, à Magistris nostris* (hoc est Apóstolis) *doctis à DEO, accepimus.* Et S. Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. 4. *Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica Societate defunctis, suscepit Ecclesia.*

Quæres 2. *Utrum communia suffragia Ecclesiæ, defunctis prosint?* ℞. Suffragia

fragia Ecclesiæ communia prodesse posse animabus purgatorij, clarum est, ex paulò antè dictis, hîc autem ajo, eadem ijs non solùm ad aliquam mitigationem pænarum, sed etiam ad integram remissionem prodesse. Quia cùm illa pœna sit temporalis, adeóque extensivè & intensivè finita, mirum non est, quòd per opus etiam finitum compensari possit.

Quæres 3. *Quomodo suffragia vivorum animabus purgatorij prodesse possint?* ℟. Duplici modo posse prodesse fidelium suffragia animabus purgatorij, nempe: vel viâ impetrationis, vel verò satisfactionis. Viâ quidem impetrationis, per orationes, ut ijsdem DEUS ex misericordia sua infinita, pænas peccatis eorum debitas remittat, vel imminuat gratis. Viâ autem satisfactionis, seu solutionis, ponendo pia & bona opera ad æqualitatem pænarum debitarum peccatis animabus in purgatorio existentibus, ídque vel ex opere operato, uti sunt Sacrificia, & Communiones, vel ex opere operantis, uti sunt Eleemosynæ, Jejunia, & variæ corporis afflictiones.

Quæres 4. *Utrum suffragia pro animabus purgatorij oblata infallibiliter illis prosint?* ℟. Suffragia illa quæ fiunt per modum satisfactionis infallibiliter prodesse animabus purgatorij, non item illa, quæ fiunt per modum impetrationis. Ratio est; Quia horum exauditio seu valor dependet à libera DEI acceptatione, illorum verò valor dependet ex justitia, vel saltèm fidelitate, cujus effectus apud DEUM est infallibilis semper.

Quæres 5. *An hæc suffragia quæ infallibiliter animabus purgatorij prosunt, æqualiter omnibus animabus prosint?* ℟. Hanc æqualitatem competere omnibus animabus purgatorij, hâc solùm conditione, quòd sint Sanctæ & Justæ, & quòd tali egeant satisfactione. Quia hæc lex Justitiæ non respicit specialia merita earum, sed valorem ipsius satisfactionis & unionem charitatis, quæ facit sua bona, communia. Ita Svarez loco citato.

Quæres 6. *Utrum suffragia à viventibus oblata per modum satisfactionis secundùm totum suum valorem, defunctis prosint?* ℟. Affirmativè. Ratio est. Quia valor satisfactionis non minuitur ex eo quòd offeratur pro alijs viventibus, sicut néque valor solutionis. Ergò néque si offeratur pro animabus purgatorij, sive pro defunctis, quia néque hoc opus est minoris charitatis, néque ex hoc capite, in aliquo minuitur valor satisfactionis.

Quæres 7. *Utrum suffragia æqualia æqualiter operentur, in animabus purgatorij inæqualibus in gratia?* ℟. Affirmativè. Ratio est. Quia valor satisfactionis pro alio, non desumitur ex dignitate personæ pro qua offertur, sed ex dignitate personæ offerentis, seu operantis, & conditione operis: ex parte verò personæ pro qua offertur, requiritur solùm, ut sit capax satisfactionis,

eique obicem non ponat. In hoc autem omnes animæ purgatorij sunt æquales, etiamsi alioquin in gratia & meritis inæquales sint. Ergò.

Quæres 8. *Utrum suffragia pro pluribus animabus habeant tantum valorem, ac si pro una offerentur?* ℞. Negativè. Quia cùm hæc satisfactio sit finita, dividitur inter illas.

Quæres 9. *Utrum opus externum per se præcisè sumptum sit sufficiens ad adjuvandas animas purgatorij?* ℞. Opus externum per se non esse sufficiens ad satisfactionem pro pænæ peccatis animarum purgatorij debitæ, non quòd opus externum conjunctum cum interno non addat illi aliquem valorem ad satisfaciendum, sed quòd requiratur in ipso operante interna voluntas, bona & apta ad satisfactionem talem ponendam.

Quæres 10. *Utrum suffragia magìs prosint ei animæ pro qua fiunt, quàm alijs animabus purgatorij?* ℞. Affirmativè, imò addo soli eidem prodesse. Quia satisfactio se habet permodum solutionis, tam respectu mortuorum, quàm vivorum. Quando autem aliquis satisfacit, seu solvit pro uno vivo, satisfactio illa, seu solutio non computatur nisi illi, pro quo facta est. Ergò & suffragia pro defunctis ei solùm prosunt pro quo fiunt, & non alijs.

Quæres 11. *Utrum tantùm valeant suffragia communia illis, pro quibus non fiunt specialia & communia simul?* ℞. Negativè. Nam duo bona præ uno sunt magìs eligenda. Ergò suffragia specialia & communia, magìs prosunt ei pro quo fiunt, quàm alijs pro quibus fiunt communia tantùm.

Quæres 12. *Utrum suffragia per peccatores facta animabus purgatorij prosint?* ℞. Ex supplemento 3. part. S. Thomæ quæst. 71. art. 3. *Suffragia à peccatoribus facta, ex opere quidem operato semper prodesse, animabus defunctorum, ex opere autem operantis, etsi non prosint, quatenus à peccatore fiunt; prosunt tamen, quatenus ipse, vel Ecclesiæ personam gerit, vel verò alterius, nempè Justi instrumentum agit.* Unde (ut ibidem concluditur) si aliquis decedens ex hac vita, in charitate, præcipiat sibi suffragia fieri, vel aliquis præcipiat charitatem habens, illa suffragia valent, pro defunctis, quamvis illi per quos fiunt in peccato existerent, magìs tamen valerent si essent in charitate seu gratia, quia tunc ex duabus partibus opera illa meritoria fierent.

Quæres 13. *Utrum si homo ante mortem præcipiat fieri Eleemosynam pro sua anima, post mortem, quam postea hæredes, vel curatores distribuunt in pauperes, vel in alias pias causas, juxta testatoris mentem, habeant hujusmodi Eleemosinæ valorem delendi pænas purgatorij debitas pro peccatis defuncti?* ℞. Licèt hoc opus non sit tanti meriti, quanti esset, si moriturus Eleemosynas illas in vivis distribueret, valet nihilominùs tale opus, ad ejusdem

dem animæ expiationem in purgatorio, non ex vi ſolius illius externi effe-ctûs, ſed ratione actûs volendi & præcipiendi tale opus, ſeu ex opere operantis, hoc opus mandantis, ſi tamen tunc ipſe mandans fuerit in gratia, & in illa deceſſerit ex hac vita. Quamvis per accidens etiam illud opus externum prodeſſe poſſit mandanti, quatenus ij qui Eleemoſynam percipiunt, excitentur ad orandum, vel ſatisfaciendum pro defuncto. Quòd verò tales Eleemoſynæ & pia hujuſmodi legata non ſint tanti meriti, quanti eſſent ſi in vivis fierent, patet ex eo, quòd ſic hæc opera magìs eſſent voluntaria, adeóque & magìs meritoria & magis ſatisfactoria, ſecuriùs etiam & citiùs proſunt. Et experientiâ quotidianâ habemus, ſæculo hoc, vix unquam teſtamentum, juxta mentem teſtatoris executioni dari, & non raro etiam ſupprimi; Et quis ſibi perſvadebit quòd alij poſt ſuam mortem, habituri ſint majorem curam ſuæ animæ, quàm ipſe poterat, & debuerat habere adhuc in vivis exiſtens. Unde grave nocumentum inferunt defunctis, qui eorum pia legata implere omittunt, aut differunt, ipsique graviter peccant, non tantum peccato infidelitatis, ſed & peccato injuſtitiæ, ſi Eleemoſynas à Teſtatore legatas detineant, propter quod necatores pauperum dicuntur in Concilio Carthaginenſi quarto, cap. 95.

Quæres 14. *Utrum reſtitutio quæ poſt mortem fieri præcipitur aliquid conferat ad remiſſionem pœnæ?* ℟. Talem reſtitutionem aliquid conferre ad remiſſionem pœnæ, ſi non per ſe, certè per accidens, in quantum ſcilicet creditores, & alij fideles exinde excitantur ad orandum pro defuncto, unde ex hoc capite poterit interdum diuturnior fieri pœna purgatorij, propter retardatam ſolutionem. Et certè referuntur nonnullæ revelationes animarum, quæ vivis apparent, & petunt reſtitutionem ſuorum debitorum fieri, ut valeant à purgatorio liberari. Imò S. Brigitta lib. 6. Revelationum cap. 66. affirmat: *Animam tam diù cruciari, donec reſtituatur quod ablatum fuit.*

Quæres 15. *Utrum Cultus exequiarum defunctis proſint?* ℟. Cultum exequiarum per ſe nihil prodeſſe defunctis. Nam ut S. Gregorius lib. 4. Dialogorum teſtatur; *Curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompa exequiarum, magìs ſunt vivorum, quàm defunctorum ſolatia.* Quia tamen occaſione ſimilium exequiarum homines compaſſionis admoniti, pro defunctis orant, per accidens poterunt iiſdem prodeſſe. Unde patet illorum error graviſſimus, qui in pompam ſepulturarum immanes faciunt expenſas, pro ſuffragijs autem defunctorum exiles planè, vel omninò nullas.

Quæres 16. *Utrum Indulgentiæ Eccleſiæ proſint defunctis?* ℟. Affirmativè. Quia Indulgentiæ ſunt ſuffragia Eccleſiæ, quæ ſuffragia æquè poſſunt

offerri

MB

offerri pro defunctis fidelibus ac vivis. Ergò Ecclesia potuit subvenire per Indulgentias animabus purgatorij. Ut autem quis privatus lucretur Indulgentias pro defunctis, requiritur, ut ipse sit in gratia, dum opus quod præscribitur pro lucrandis Indulgentijs, exequitur, deinde ut illud perficiat ex intentione, & voluntate obtinendi Indulgentiam defunctis, vel tali, & tali defuncto.

§ XI.

De statu animarum in cœlo, ante resurrectionē corporum.

QUæri potest 1. *Utrum animæ Sanctorum sint Beatæ ante communem corporum resurrectionem, & statim ac immediatè post sui, à corpore separationem?* ℞. Certissimâ fide tenendum esse, animas Justorum corporibus exutas, si nihil purgandum habuerint; vel si quid tale aliquid habuerint, simul atque expiatæ fuerint, recipere beatitudinem essentialem, & in cœlum admitti. Responsio probatione non indiget, cùm sit de fide, sed & ratio recta id ipsum dictat. Anima enim soluta corpore, statim capax est Divinæ visionis (in qua beatitudo essentialis consistit) non minùs quàm erit postea corpore resumpto, siquidem corpus nihil penitùs animam adjuvat, in ordine ad DEI claram visionem, cùm hæc non dependeat à phantasmatibus, sed maximè sit ab illis abstracta. Ergò completo hujus vitæ cursu, si anima sit omninò pura, nihil habens ad expiandum, statim ac immediatè fit Beata, & in cœlum admittitur. Deinde beatitudo & vita æterna est nobis à DEO proposita tanquam merces (Matth. 20.) laborantibus, & tanquam bravium currentibus in stadio, juxta illud Apostoli: *Sic currite, ut apprehendatis.* Atqui merces statim completo labore, & corona, seu bravium completo cursu vel certamine datur. Ergò.

Quæri potest 2. *In quo consistat hæc beatitudo animarum.?* ℞. Beatitudinem hanc animarum consistere, in clara DEI visione, seu intuitione & cognitione, ac simul ejusdem summo amore. Ad quæ duo omnia reliqua beatitudinis bona reducuntur. Probatur id ex Divina Scriptura. Nam primò de visione clara DEI, ipsamet veritas Divina testatur Joan. 17. v. 3. *Hæc est* (inquit) *vita æterna, ut cognoscant te DEUM verum, & quem misisti JESUM Christum.* Et S. Paulus 1. ad Corinth. 13. *Videmus* (DEUM) *nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Et Regius Vates Psal. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Hoc est: manifestatio, seu manifesta visio gloriæ tuæ. Et Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam DEUM videbunt,*

Unde

Unde S. Augustinus lib. de Trinitate cap. 3. ait: *Ipsa visio quæ est facie ad faciem, summum præmium promittitur Justis.* Et suprà cap. 9. *In visione merces tota promittitur, delectationis & desiderij nostri.* Demùm id confirmatur ex eo, quòd beatitudo sit nihil aliud, quàm summi boni apprehensio, & possessio. Visio autem clara DEI, qui est summum bonum, est ejusdem apprehensio, & possessio. Ergò. Ratio autem secundi est: Quia Scriptura Sacra explicat Beatitudinem, non solùm nomine visionis, sed etiam nomine delectationis, gaudij, voluptatis. Sic Psalm. 35. *Inebriabuntur* (Beati) *ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis potabis eos.* Et Matth. 25. v. 21. Præmium bonorum operum vocatur gaudium: *Intra in gaudium Domini tui.* Unde S. Augustinus lib. 10. Conf. cap. 22. *Ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, & propter te.* Præterea summa beatitudo, cùm sit summa perfectio, requirit summam assimilationem cum DEO (perfectio siquidem animæ consistit in assimilatione cum DEO (juxta illud 1. Joan. 3. *Scimus quoniam cùm apparuerit similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* DEI autem perfectio consistit in sui cognitione & amore simul. Ergò. Ratio autem tertij est. Quia *memoria beatitudo*, quâ etiam intimè DEUM complectuntur Beati, reducitur ad visionem beatificam: *fruitio* verò DEI, quam S. Augustinus requirit ad hanc beatitudinem, eáque ratione sui includit præsentiam rei amatæ: *voluptas*, quæ ex rei amatæ præsentia oritur, & *gaudium*, quod nascitur ex adeptione, & possessione rei amatæ, ac desideratæ, sequitúrque ex amore tanquam complementum animi, & ultima perfectio, ad amorem beatificum reducuntur.

Quæres 3. *Quarumnam rerum Beatæ in cœlis animæ habeant scientiam, seu quænam Beati videant in DEO, vel cum DEO?* ℞. Beatæ animæ vident in DEO visione beatificâ: essentiam ipsam Divinam, ejúsque infinitatem, & personalitates, ac earum æternas, ac eminentissimas processiones; vident omnem ejusdem DEI perfectionem, veluti magnitudinis immensitatem, æternitatis longitudinem, Judiciorum abyssum, Sapientiæ profunditatem, bonitatis immensitatem, scientiæ incomprehensibilitatem, reliquarúmque proprietatum ineffabilitatem: vident claréque cognoscunt omnia Fidei mysteria, omnia Scripturarum arcana, vident splendorem ac pulchritudinem cœlestis curiæ, omniúmque Beatorum gloriam, ejusdémque graduum in singulis diversitatem. Vident impiorum numerum, demerita, supplicia, & suppliciorum in singulis mensuram. Vident admirabilem Divinæ providentiæ dispositionem, quâ hunc mundum administrat sapientissimè. Vident totum universum, & omnes ejus partes, & partium singularum naturam, vires, proprietates, magnitudines, mensuras, proportiones, intercapedines, passio-

nes, & motus, omnium rerum antipathyas, & ſympathias, omnium ſpirituum, animarum ſcilicet rationalium & Angelorum tam bonorum, quàm malorum quidditates. Deniquè nulla erit ſpecies rerum, vel corporalis, vel ſpiritualis, quam non perfectè cognoſcant. Vident & memoriâ complectuntur omnia ab orbe condito geſta, omnes ac omnium gentium hiſtorias, omnium ſæculorum ſeriem, omnium temporum ſucceſſionem, & quæ in illis ubique orbe terrarum ab omnibus & ſingulis dicta & facta ſunt. Vident omnia quæ in mundo geruntur, & in primis, quæ ad eas quoquo modo pertinent. Vident, & cognoſcunt multa futura, quæ ad ipſorum clientes, & neceſſitate, aut amicitiâ, aut alio quovis titulo junctos ſpectant, eóſque concernunt. Demùm minimus & infimus etiam Beatus, & in hac vita Idiota, plura ſciet, & exactiùs, quàm primus paradyſi incola Adamus, quàm ſapientiſſimus Salamon: Quod Plato, vel Ariſtoteles in philoſophicis, quod Archimedes in mathematicis, quod ſummi Theologiæ apices in Theologicis, quod Galenus in cognitione naturæ, & proprietatum herbarum, lapidum, animalium, metallorum, & aliarum rerum medicinalium, ipsáque conſtitutione humani corporis, nunquam cognitione perceperunt, id quivis Cœlitum, intellectu penetrabit.

Quæres 4. *Quis & qualis ſit hic amor beatificus animarum beatarum, & quæ cauſæ illius?* ℞. Amorem hunc eſſe intenſiſſimum, atque perfectiſſimum, qui ad claram DEI viſionem neceſſariò conſequitur. Nam bonum quod proponitur ab intellectu voluntati, quò eſt majus, & quò clariùs repræſentatur, eò magìs & potentiùs trahit ad ſui amorem, affectum voluntatis. Cùm igitur DEUS ſit ſummum bonum & perfectiſſimum, ac viſio beatifica illud voluntati repræſentans ſit clara, ac intuitiva, potentiſſimè trahit voluntatem beatarum animarum ad DEI amorem. Quò verò hæc viſio eſt clarior, eò intenſior eandem conſequitur amor, illa autem eſt eò clarior, quò majus & intenſius habet lumen gloriæ, hoc demùm eſt eò majus & intenſius, quò majora ſunt uniuſcujúſque animæ merita, quodſi verò ſint inæqualia, inde oritur, ut & amor DEI beatificus ſit in animabus beatis inæqualis quoad intenſionem, in omnibus tamen eſt perfectus amor. Hinc facilè aſſignantur hujus amoris cauſæ. Nempè: primò voluntas, ſeu anima ipſa quatenùs eſt voluntate præditâ. Secundò. Habitus charitatis. Tertiò. Eſſentia Divina. Quartò. Viſio beatifica. Voluntas igitur, & charitatis habitus ad actum amoris beatifici concurrunt in genere cauſæ efficientis, hic enim cùm ſit actus vitalis & ſimul ſupernaturalis, à voluntate accipit vitalitatem, ab habitu autem charitatis, ſupernaturalitatem, non ſecus ac etiam viſio beatifica, rationem vitalitatis accipit ab intellectu animæ beatæ, ſupernaturalitatis autem

autem rationem à lumine gloriæ, quæ intellectum ad hanc visionem claram DEI complet & elevat. Essentia autem DEI ad eundem concurrit, tanquam objectum, ab hoc siquidem specificatur, ut sit talis speciei ac formæ, demùm ipsa visio clara DEI prærequiritur permodum conditionis ad eundem, est enim impossibile amare incognitum.

Quæri potest 5. *Quodnam sit objectum amoris beatifici?* ℞. Objectum hujus amoris esse essentiam Divinam, quam beatæ animæ amant intensissimè ac perfectissimè, adeóque amore veræ amicitiæ. Est autem amor amicitiæ, quo quis vult alteri bonum, eo tantùm fine ut ipsi bene sit, hoc est, ut ipse inde commodum, honorem, aut voluptatem percipiat. Quia verò hoc bonum DEI est duplex. Intrinsecum scilicet, quod consistit in ipsius essentia, omnibúsque ejusdem perfectionibus, quas in se eminentissimè continet; & Bonum extrinsecum, quod consistit in ejus gloria externa, quæ illi à rebus creatis obvenit; beatæ animæ utrúmque hoc bonum DEO unicè exoptant, de eóque gaudent, eundémque benedicunt, ac glorificant.

Quæri potest 6. *Ad quænam objecta se gaudium beatarum animarum extendat?* Gaudium beatarum animarum, quod sequitur ex amore beatifico, tanquam illius complementum, primò & maximè est de bonis DEI intrinsecis, quibus ipse infinitè cumulatus est, ex quorum consideratione, quæ fit visione beatificâ, incomprehensibile gaudium percipiunt, hoc enim commensuratur ipsi visioni beatificæ, & amori beatifico, tum eminentiâ naturæ, seu perfectione specificâ, tùm etiam intensione. Tantùm enim amant, quantùm vident, & tantùm gaudent, quantùm amant. Secundò gaudent de omnibus bonis DEO extrinsecis, in ordine, & gradu de singulis, prout in ijs magìs, vel minùs relucet DEI gloria. Tertiò, de bonis proprijs, statum suæ beatitudinis concernentibus, quæ ut magna sunt & multiplicia, ita quóque gaudia ex ijsdem magna & multiplicia, & licèt hoc gaudium non sit tantùm, quantùm est priùs, est tamen incomparabiliter majus, quàm omnia hujus mundi gaudia, quia bona illius statûs sunt infinitè perfectiora, & præstantiora, quàm bona hujus vitæ, néque sunt temporalia, sed æterna: Itáque in primis gaudent, quòd DEUM videant, & possideant, ejúsque gloriæ, splendoris, ac beatitudinis sunt participes: deinde gaudent de clara omnium rerum cognitione, de evasione periculorum, & malorum, tum temporalium, tum æternorum, à quibus vident se liberos esse: de societate Sanctorum, Angelorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, cum quibus æternùm, amabilissimè, svavissimè, synceríssimè sunt conversaturi: de pulchritudine habitaculi, respectu cujus, omnes Regum Aulæ, sunt caulæ, Palatia Cæsarum, sunt ergastula, & puerorum è luto formatæ domunculæ, hirundinum

num nidi, & talparum ſubterranea foramina, quantum enim diſcrimen inter lutum, & aurum, inter ſilices, & uniones, inter ſolem, & noctem, inter vitra, & adamantes, inter putammina nucum, & pretioſiſſimos lapides, tantum eſt, & longè majus, inter omnem terræ ornatum, & cœlum. Hinc meritò exclamabat Regius Vates: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini*, gaudent de omnium delitiarum affluentia, & omnis omninò mali carentia; in hac enim beatitudine adſunt omnia bona, deſunt omnia mala; in ea habebunt omne quod volunt, & nihil eorum quod nolunt. Totum ſiquidem ibi eſt quod velis. Ibi eſt ſanctitas, dignitas, ſcientia, ſatietas, divitiarum copia, quies, tranquilitas, perennitas, ſerenitas; & nihil eſt ibi quod noles. Non eſt enim timor, moleſtia, infirmitas, paupertas, & quidquid mali nomen habet aut ſpeciem. Quartò, gaudent de omnium horum bonorum æternitate, ac inamiſſibili poſſeſſa ſecuritate. Quintò, gaudent de bonis proximorum, & aliorum Beatorum, ſingulæ enim animæ beatæ, æquè de aliarum animarum & beatorum ſpirituum felicitate ac de ſua lætantur, & ex ea voluptatem capiunt. De hoc S. Anſelmus apud Leſſium lib. 2. de ſummo bono cap. 15. ita ſcribit: *Ergò in illa perfecta charitate innumerabilium Angelorum, Beatorum, & hominum, ubi nullus minùs diliget alium, quàm ſeipſum, non aliter gaudebit quiſque de ſingulis alijs, quàm de ſeipſo.* Si ergò cor hominis de tanto ſuo bono vix capiet gaudium ſuum, quomodo capax erit, tot & tantorum gaudiorum? Verùm de his plura inferiùs, ubi de beatitudine, & ſtatu animarum beatarum, poſt reſurrectionem corporum agemus.

Quæri poteſt 7. *Utrum de ratione beatitudinis animarum ſit perpetuitas, & illius cognitio?* ℞. Affirmativè. *Juſti enim* (hoc eſt Beati) *in æternum vivent.* Sap. 5. v. 16. Et Iſaiæ 65. v. 18. *Gaudebitis & exultabitis uſque in ſempiternum, in his quæ ego creo.* Et 1. ad Theſſal. 4. v. 17. *Sic ſemper cum Domino erimus.* Sicut enim mors damnatorum non poteſt abſolvi, ita vita Beatorum non poteſt finiri, & ſicut præcipua damnatorum afflictio eſt, quòd videant, ac ſciant tormenta ſua fore perpetua, ita præcipuum gaudium Beatorum ex eo naſcitur, quòd ſciant beatitudinem ſuam fore ſempiternam.

Quæri poteſt 8. *Utrum in beatas animas non cadat aliqua triſtitia, vel afflictio, aut moleſtia, ex eò quòd videant pænas damnatorum, etiam olim in hac vita ſibi chariſſimorum, & ex eo quòd videant alias animas habere majores gradus beatitudinis, quos ipſæmet obtinere potuiſſent, ſi ferventiùs pro ijs conſequendis in hac vita laboràſſent?* ℞. Ex neutro hoc capite, nec ex alio ullo in beatas animas aliquam afflictionem cadere. Immutabilis eſt enim voluptas, beata, & eadem ſemper, quæ fuit ab initio, nullam prorſus admit-

tens

tens alicuius afflictionis, vel tristitiæ umbram. Et Ratio primi est. Quia in beatis animabus, nulla affectio est, quæ non sit dictamini rectæ rationis conformis. Cùm ergò Beati videant damnatos non posse à sua miseria transferri, & liberari, nec ijsdem possunt compati, aut aliquomodo ex illarum miserrimo statu affligi, imò potiùs de illarum pænis gaudent, non quidem prout sunt in se, sed ratione adjuncti, ex consideratione, scilicet in eis Divinæ Justitiæ rectitudine, & sua ab illis liberatione. Ratio autem secundi est. Quia omnes Beati habent eandem beatitudinem essentialem, nempè: perfectam & claram DEI visionem, ac perfectum DEI amorem, & solùm differunt in accidentali beatitudine, quatenus unus videt plures perfectiones, seu attributa secundaria: hoc est: quatenus in DEO, ut in medio cognito discernunt plures respectus, aut plures creaturas. Hoc autem augmentum beatitudinis accidentale est ex eo genere additionum, quæ ex essentia sua habent æstimabilitatem præcipuam ab eo, cui superadduntur. Unde in præsenti, hic excessus gaudij accidentalis, habet suam præcipuam æstimabilitatem, à gaudio substantiali, quod consistit in visione & amore DEI prædicatorum essentialium, & primariorum, consequenter illius carentia, non poterit aliquam contristationem causare in beatis illis animabus. Præsentia enim maximi boni, tollit afflictionem de carentia alicujus minoris boni. Rem hanc aliqui adumbrant hâc similitudine. Si quis Parens æqualiter amet suos filios, eosdémque omnes vestiat eâdem pretiosissimâ materiâ, juxta inæqualitatem tamen corporum vestiendorum, ille qui minoris est staturæ, non appetit vestem majorem sibi improportionatam; ita qui minoris est meriti, non appetit visionem & beatitudinem sibi improportionatam. Et licèt ex eo, quòd hanc majoritatem beatitudinis sibi comparare neglexerit, posset aliqua suboriri tristitia, vel afflictio, aut pænitudo, verùm in illa cœlesti beatitudine, quæ excludit omne malum, & includit omne bonum, hæc quóque miseria excluditur, præterquam quòd Beati, utpotè conformes DEI voluntati acquiescunt DEI beneplacito, & sapientissimæ illius providentiæ, unde nec invident hanc majoritatem alijs Beatis, imò de illa sibi congaudent.

Quæri potest 9. *Utrum saltèm beatæ illæ animæ contristari possint, dum clarè intuentur omnes injurias, quæ DEO summè dilecto tot blasphemijs, sacrilegijs, perjurijs, idololatrijs, aliísque peccatis innumeris quotidie ab hominibus, & dæmonibus irrogantur.* Hoc enim videtur planè rectæ rationi consentaneum, nam quò quis magìs & vehementius amat amicum, ejúsque bonis delectatur, & de illis gaudet, eò magìs tristatur de malis & injurijs, quæ illi inferuntur. Tristitia siquidem de aliquo, malo oritur ex amore boni illi oppositi? ℞. Statum beatitudinis cœlestis, excludere omnem, ac etiam

hanc tristitiam, tantâ siquidem Beati gaudiorum, & voluptatum cumulantur abundantiâ, ut nullâ tristitiâ affici possint. Testantur id passim Scripturæ, ut Psal. 15. *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque ad finem.* Et Psal. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis potabis eos.* Item Apocal. 21. *Et absterget DEUS omnem lachrymam, ab oculis eorum, & mors ultra non erit néque luctus, néque clamor, néque dolor erit ultra, quoniam prima aberunt.* Ratio autem cur ex injurijs quibus DEUS afficitur, tristari non possint, est hæc: Tum quia vident omnia, hominum, ac dæmonum peccata DEO, nihil nocere posse. Tum quia etsi extrinsecam gloriam DEI, peccata obscurare videantur, tamen vident Beati, quòd ex illis ipsis peccatis, & illorum permissione, DEUS bona elicere possit, & soleat, hinc enim elucet clariùs DEI benignitas, tolerando impios, misericordiâ, non eos statim post commissum peccatum puniendo; longanimitas eorum conversionem expectando, & tandem justitia, post hanc vitam eosdem puniendo. Et sanè DEUS peccata non permitteret, nisi ex hac permissione majus bonum evenire prævideret.

Quæri potest 10. *Quidnam? quotnam! & quanam sint dotes beatæ animæ?* ℞. Tres communiter dotes, beatæ animæ à Theologis assignari, súntque sequentes: *visio*, *comprehensio*, & *fruitio*. *Visio* est clara DEI cognitio. *Comprehensio*, est summi desiderati & cogniti possessio. *Fruitio*, est gaudium & delectatio, quæ ex præsentia, & intuitione DEI summè dilecti consequitur. Vocantur autem hæc DEI dona, & munera vel præmia, dotes sumptâ metaphorâ hujus appellationis, ab eo, quòd in humanis nuptijs fieri consvevit. Sicut enim ibi id quod alteri dari solet sponsæ à sponso, dum eam in domum suam sponsus solenniter traducit, dos nuncupatur; ita in matrimonio spirituali animæ cum Christo dos dicitur, quod à Sponso Christo datur, dum eam in domum suam, nempè in cœlum inducit. Undè cùm animæ hæc tria in cœlum receptæ donentur à Christo, rectè, animæ dotes dicuntur.

Quæri potest 11. *Quid, quot, & quæ sint animarum beatarum Aureolæ?* ℞. Nomine aureolæ hîc intelligi, accessorium quoddam, illúdque peculiare prœmium, quod à Deo peculiaribus quibusdam operibus excellentibus, constitutum est. Unde hæ non dantur omnibus beatis animabus, sed ijs solis, quæ opera illa in vivis præstiterunt. Vocantur prœmia, *Aureolæ*, quasi parvæ coronæ aureæ, *Coronæ*, quia sunt prœmia victoriæ, *Aureolæ*, quia pretiosæ & excellentes, parvæ tamen respectu Coronæ primariæ, quæ est clara DEI visio, illiúsque amor, & possessio. Porrò aureolæ hæ animarum beatarum tres statuuntur: Una Martyribus, accepto fundamento hujus, ex

illis

illis verbis Christi Matth. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo.* Et Apoc. 7. *Accinctis stolis albis, & palmæ in manibus illorum.* Altera Virginibus, ex illis Apoc. 14. ubi id Virginibus dicitur: *Et cantabant canticum quasi novum: & nemo poterat dicere canticum illud nisi illa quadraginta quatuor millia. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, Virgines enim sunt.* Tertia Doctoribus, ex illo Danielis 11. *Qui ad Justitiam erudiunt multos, tanquam stellæ firmamenti, fulgebunt in perpetuas æternitates.* Cur verò tres tantùm statuantur aureolæ, ratio est. Quia aureola cùm sit corona, est prœmium insignis victoriæ. Tres autem sunt insignes victoriæ, sicut tres præcipui Christi hostes, & salutis nostræ, nempè: Caro, Mundus, & Diabolus. De carne triumphat Virgo, de mundo Martyr, de diabolo Doctor, qui per sanam doctrinam & administrationem Sacramentorum, animas ab illius tyrannide liberat. Ergò his tribus debentur Aureolæ. Quidnam autem sint hæ Aureolæ, easdem varij variè explicant. Illud certum est, quòd sint peculiares quædam dignitates, ac eminentiæ, in remunerationem animabus beatis à DEO tributæ, pro præstitis excellentibus illis actionibus, quibus talia specialia prœmia à DEO compromissa sunt.

Quæri potest 12. *Utrum præter hactenus enumeratas perfectiones adhuc aliquæ aliæ perfectiones intellectûs, & voluntatis beatis animabus à DEO tribuantur?* ℟. Affirmativè. Atque hujusmodi sunt: Primò, Scientia infusa, & supernaturalis, quâ beatæ animæ res supernaturales clarè cognoscunt, sive jam hæc scientia infusa realiter sit distincta à lumine gloriæ, ut multi probabiliter censent, sive non. Secundò, Scientia infusa naturalis, sive ea, quæ in hac vita acquiritur aboleatur, sive maneat, quâ animæ beatæ cognoscunt omnes rerum naturalium essentias clarè, distinctè, & per proprios conceptus, non secus, ac easdem cognoscunt Angeli. Tertiò, Habitus supernaturales infusi voluntati, uti & naturales longè perfectiores, quàm anima in hac vita acquisivit, vel habuit, secúmque hinc in alteram vitam detulit, & quidem omnes, qui statum illum summæ beatitudinis non dedecent, (cujusmodi est ex. g. habitus fidei, & spei, quorum ille tollitur per lumen gloriæ, omnia illa clarè repræsentans, quæ in hac vita obscurè percipimus, iste verò per præsentiam, & adeptionem boni illius, quòd in hac vita per spem obtenturos nos, expectavimus, claritas siquidem opponitur obscuritati, & præsentia boni, ejusdem absentiæ, spes verò est de absentia boni, necdum adepti, & obscuritas est de ratione fidei.)

Quæri potest 13. *Utrum animæ beatæ reddantur impeccabiles, & unde oriatur hæc impeccabilitas?* ℟. Animas beatas nullo modo peccare posse, adeóque

reddi omninò impeccabiles. Ratio est. Quia de ratione sanctarum harum animarum est perpetuitas, ut Scripturæ Sacræ paulò superiùs allatæ testantur, & ulterius hoc ipsum confirmatur ex 1. Petri 1. Ubi hæc beatitudo dicitur primò *Hæreditas incorruptibilis*, quia non potest unquam perire, vel desinere, secundò, *immarcescibilis*, quia non potest minui, & de integritate, pulchritudine, ac vigore sui aliquid amittere, tertiò, *incontaminata*, quia nihil contaminationis potest habere secúmque compati. Atqui si Beati possent, vel minimum peccatum committere, beatitudo eorum non esset incontaminata, non esset immarcescibilis, non esset incorruptibilis, néque de ratione ipsius esset perpetuitas, siquidem beatitudo hæc, est summa & perfectissima, adeóque excludens omne malum, cujusmodi est vel maximè peccatum, etiam quodvis minimum. Ergò. Porrò impeccabilitas hæc oritur & provenit, ex vi Divinæ visionis, quæ facit repræsentando summum bonum, & illud solum, sine ulla vel apparenti oppositi, bonitate, ut voluntas sit determinata, ad amandum DEUM super omnia, & quantum amari potest à creatura, modo planè perfectissimo. Cum tali autem perfectissimo amore actuali non potest consistere ullus actus peccati, ne venialis quidem. Ergò vi illius visionis beatæ animæ redduntur omninò impeccabiles.

Quæri potest 14. *Quidnam sit illud lumen gloriæ, per quod elevatur intellectus beatarum animarum, ad DEUM clarè videndum?* ℟. Lumen gloriæ esse qualitatem supernaturalem permanentem, talem, quæ est participatio lucis illius quâ DEUS se ipsum videt, per quam intellectus creatus ex se insufficiens, ac improportionatus ad eliciendam claram visionem DEI, & intuitivam, ad eandem elevatur.

Quæri potest 15. *An revera detur talis qualitas luminis gloriæ?* ℟. Affirmativè. Concilium siquidem Viennense inter alios errores hæreticorum Begvardorum, & Begvinorum condemnat quinto loco etiam hunc: quòd anima non indigeat lumine gloriæ ipsam elevante ad DEUM videndum. Præterea de fide est, quòd beatæ animæ videant clarè DEI essentiam. Ad hoc autem intellectus creatus ex se non est sufficiens, aliàs aliquis intellectus creatus daretur, cui sit connaturalis, aut saltèm non supernaturalis, clara DEI visio, cùm tamen talis intellectus creatus nullus detur, & juxta veriorem sententiam Theologorum néque dabilis est. Ergò debet per aliquam qualitatem supernaturalem suppleri, elevari, & adjuvari. Hæc autem qualitas est lumen gloriæ. Ergò.

Quæri potest 16. *Utrum DEUS possit supplere hoc lumen gloriæ per solum concursum extrinsecum & supernaturalem?* ℟. Posse quidem, sicut potest supplere alios habitus supernaturales voluntatis, id tamen defactò non fieri, ut

ſic anima, etiam in ſupernaturalibus, connaturaliùs operatur, completa in ratione principij, ad eliciendas claras DEI viſiones, ſicut etiam completur per habitum charitatis ad eliciendos actus amoris DEI beatifici. Imò & in hac vita, per habitus ſupernaturales ad eliciendos actus ſupernaturales.

Quæri poteſt 17. *Utrùm hoc lumen gloriæ diſtinctum ſit ab impreſſa ſpecie DEI?* ℟. Affirmativè. Longè enim aliud munus eſt ſpeciei impreſſæ, quàm luminis gloriæ. Species enim impreſſa tenet ſe ex parte objecti, proportionando illud in ratione cognoſcibilis, aut determinativi cognitionis, ſi objectum exiſtat, vel ſi non exiſtat, eſt ejuſdem vicaria, defectum exiſtentis objecti ſupplens. Lumen autem gloriæ tenet ſe ex parte ipſius intellectûs beati, illum in genere cauſæ, viſionem claram efficientis, aut etiam eam recipientis, ſupplens. Deinde lumen gloriæ defactò datur, juxta omnes Theologos; ſpecies autem DEI juxta multos Theologos defactò non datur, imò juxta aliquos, néque dabilis eſt, utpotè eſſentialiter ſuperflua, & nunquam effectum ſuum formalem præſtare potens, cùm DEUS ſecundùm ſe, & eſſentialiter in ratione objecti intelligibilis, ſit perfectiſſimus, adeòque omnimodè completus & determinatus. Ergò forma quæ eſſet complementum ejus in ratione intelligibilis, eſt eſſentialiter ſuperflua. His adde, quòd non pauci, qui poſſibilitatem ſpeciei DEI impreſſæ admittunt, defactò tamen eandem dari negant, vel ſi eam quóque dari aſſerunt, eandem cum lumine gloriæ identificant.

Quæri poteſt 18. *Quot igitur principia concurrant ad viſionem beatificam?* ℟. Tria hæc: Intellectus, Lumen gloriæ, & Eſſentia Divina. Unde viſio beatifica à ſingulis his ſuis principijs aliquid accipit & participat. Ab intellectu quidem, quòd ſit actio vitalis, à lumine gloriæ, quòd ſit ſupernaturalis; ab eſſentia DEI, quòd ſit illius imago, & viſio, potiùs, quàm alterius rei.

Quæri poteſt 19. *Utrum perfectior intellectus cum æquali lumine gloriæ producat clariorem & diſtinctiorem, vel quod idem eſt, perfectiorem formaliter viſionem DEI?* ℟. Negativè. Probatur id primò ex Concilio Florentino docente: *Ex Beatis alium alio perfectiùs videre DEUM, pro diverſitate meritorum.* Eodem modo Scriptura Sacra majorem &, minorem beatitudinem (quæ in viſione beatifica primario conſiſtit) majoritati, vel minoritati meritorum adſcribit. Hoc autem non verificaretur in ſententia affirmativa, nam habens æqualia merita ac conſequenter æqualem gratiam & æquale lumen gloriæ, cum alio habente perfectiorem vel imperfectiorem intellectum, perfectiùs, vel imperfectiùs videret DEUM. Ergò menſura beatitudinis, quæ tota habet rationem præmij, non eſſet quantitas meritorum.

Quæri poteſt 20. *Quis horum actuum in beatitudine ſit potentior, viſio,*

an amor, an gaudium? ℟. Juxta diverſas conſiderationes, omnes potioritatis rationem habere. Poſſunt ſiquidem hi actus tripliciter ſpectari: Primò, ſecundùm ſuam Phyſicam conſiderationem, & ſic videtur viſio, præſtantior pars beatitudinis. Eſt ſiquidem radix totius beatitudinis. Secundò, ſpectari poſſunt ijdem actus, ut ſunt quædam dona DEI, & in ejus honorem cedunt, & ſic amor videtur tenere principatum. Amor eſt enim primum & maximum donum, quo nihil majus donari poteſt, cùm per ipſum omnia cætera donentur. Tertiò, ſpectari poſſunt, quatenus ſunt bona hominis, quod homo ſibi maximè appetit, & ſic gaudium videtur eſſe potiſſimum, quia hoc bonorum omnium eſt extremum, quo obtento, nihil aliud reſtat, quod homo ſibi expetat. Hinc Scriptura Sacra beatitudinem paſſim per gaudium, & exuberantem voluptatem explicat, & nobis proponit, ut Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Et Pſal. 35. *Torrente voluptatis potabis eos.*

Quæri poteſt 21. *Quid intelligatur à Theologis nomine fructûs, qui in Scripturis Sacris Beatis promittitur, & an hic diſtingvatur ab Aureola?* ℟. Fructûs nomine hoc loco intelligi ſpeciale & accidentale Beatorum gaudium, quod correſpondet in Beatis ſervatæ in hac vita continentiæ, unde cùm continentia ipſa ſit in triplici gradu differentiæ, triplex quóque erit in Beatis fructus ille de quo hîc ſermo eſt, nempè quorum unus correſpondet continentiæ conjugali, alter viduali, tertius continentiæ virginali. Differt autem hoc gaudium ab alio ſpeciali gaudio cœleſti quod dicitur Aureola. Quia Aureola dividitur in Aureolam Virginum, Martyrum, & Doctorum: fructus verò in fructum Conjugatorum, Viduarum, & Virginum. Unde non cuicúnque beatarum animarum cui debetur fructus, debetur etiam Aureola: licèt Virginitati diverſo titulo utrúmque conveniat: fructus igitur hoc loco conſiſtit in gaudio habito de diſpoſitione ipſius operantis, ratione continentiæ, Aureola verò in gaudio, perfectionis certorum heroicorum operum, quibus à DEO compromiſſa eſt ſpecialis talis gloria.

Quæri poteſt 22. *Utrùm beatæ animæ ſciant, quæ apud nos geruntur? & nôrint noſtras neceſſitates? & preces noſtras audiant ſeu intelligant, & cognoſcant?* ℟. Affirmativè. *Sunt enim æquales in ſtatu beatitudinis Angelis.* (Luc. 20. v. 36.) Atqui Angeli quia ſunt in ſtatu beatitudinis, cognoſcunt res noſtras, ac præſertim orationes, eáſque DEO offerunt: ut de ſe fatetur Angelus Raphaël Tob. 12. v. 12. *Quando inquit orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Cognoſcunt item internam pænitentiam, & converſionem peccatoris, Luc. 15. v. 10. *Gaudium erit coram Angelis DEI, ſuper uno peccatore pænitentiam agente.* Ergò & animæ poſt hanc vitam eæ quæ ſunt in eodem ſtatu beatitudinis.

Quæri

Quæri poteſt 23. *Utrùm Sanctos, ſeu animas has ſanctas, debeamus vel ſaltem licitè, & utiliter poſſimus, interpellare ad orandum DEUM pro nobis.* ℟. Affirmativè. Sancti enim qui ſunt in patria magìs ſunt accepti DEO, quàm in ſtatu viæ. Sed Sanctos qui ſunt in via licitè & utiliter interpellare poſſumus, ut intercedant pro nobis apud DEUM exemplo Apoſtoli ad Rom. 13. *Obſecro vos Fratres, per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, & per charitatem Spiritûs Sancti, ut adjuvetis me in orationibus, pro me ad DEUM* Et 2. Theſſal. 5. v. 25. *Fratres orate pro nobis.* Ergò. Quod ipſum confirmatur ex perpetuo uſu Eccleſiæ, etiam primitivæ, & exemplo Sanctorum Patrum, qui hanc invocationem Sanctorum, in praxi & uſu habuerunt. Unde palmare mendacium eſt hujus ſæculi hæreticorum, qui dicunt invocationem Sanctorum cœpiſſe poſt tempora S. Auguſtini, cùm & ipſe S. Auguſtinus, & alij Patres antiquiores Sancto Auguſtino, Sanctos ad orandum DEUM pro nobis, & ipſi interpellârunt, & alios ad hoc hortabantur. Cujus rei teſtimonium videre eſt paſſim apud Authores, qui de Fidei controverſijs, hujus ſæculi ſcripsêre.

Quæri poteſt 24. *Utrùm beatæ animæ orent pro nobis?* ℟. Affirmativè. Probatur id part. 1. ex 2. Petri 1. v. 15. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Hoc eſt: poſt obitum meum habebo frequenter in mente & memoria, ut pro vobis orem, ut & vos horum ſitis memores. Deinde ſi Dives Epulo damnatus, & ſepultus in inferno, rogavit pro ſuis fratribus, ne & illi veniant ad illum locum tormentorum, in quo ipſe fuit, quantò magìs beatæ illæ animæ, plenæ charitate, orant pro nobis ut & nos veniamus, ad illum locum beatitudinis, in quo ſunt ipſæ. Unde S. Hieronymus, in Epiſtola contra Vigilantium ait: *Si Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando adhuc pro ſe debent eſſe ſolliciti, quantò magìs poſt coronas, victorias, & triumphos.*

Quæri poteſt 25. *Utrùm beatæ hæ animæ orent etiam pro animabus purgatorij, ut citiùs ex pœnis illis exolvantur?* ℟. Affirmativè. Animæ enim beatæ, æquali charitate feruntur, in animas in purgatorio exiſtentes ac in eas, quæ ſunt in hac vita corporibus conjunctæ.

Quæri poteſt 26. *Utrùm orationes beatarum animarum pro nobis, & animabus purgatorij, ad DEUM fuſæ, ſemper exaudiantur?* ℟. Preces quidem Sanctorum pro nobis, & animabus purgatorij, ſemper quidem eſſe, quantum eſt in eis, efficaces ad impetrandum quod petunt. Sed ex parte noſtra, & animarum quóque purgatorij, poteſt eſſe defectus, ut non conſequatur fructus orationis ipſorum.

Quæri poteſt 27. *Utrùm Beatæ hæ animæ, aliquando viventibus in hoc mundo compareant?* ℞. Affirmativè. Si enim id conceditur animabus in purgatorio exiſtentibus, & damnatis, ut ex diſpenſatione Divina viventibus appareant, his quidem ad eruditionem, & terrorem, illis verò ad ſuffragia expetenda, quantò magìs id animabus beatis conveniet, Præterea hujuſmodi apparitionum apud Scriptores Eccleſiaſticos, & Viros Sanctiſſimos innumera ſunt exempla, quibus omnibus diſcredere ſtolidæ pertinacitatis eſſet argumentum. Apparitio verò hæc Beatarum animarum fit formato & aſſumpto corpore, ex aëre, aut alia ſimili materia.

§ XII.

De ſtatu animarum in inferno, ante extremũ diem Judicij.

QUæri poteſt 1. *Quid ſit infernus?* ℞. Infernum eſſe locum damnatorum in quo pænas pro ſuis peccatis, in corpore, & anima ſunt æternùm daturi.

Quæri poteſt 2. *Ubi ſit infernus?* ℞. Infernum eſſe ſub terra, patet id ex communi Doctorum, & Sanctorum, ac communi Fidelium ſenſu, quin & ex ipſa nominis Etymologia. Et probatur ex Scripturis, Numerorum 6. *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum devoravit illos, deſcenderúntque vivi in infernum, operti humo.* Et ad Epheſ. 4. *Qui autem aſcendit, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ.* Anima igitur Chriſti poſt ſeparationem ſui à corpore, ad inferos ſeu ad limbum Patrum deſcendit, ut animas ibi detentas eriperet. Si igitur limbus Patrum fuit ſub terra, & inferioribus ejuſdem partibus, à fortiori id dicendum eſt, de inferno, qui eſt damnatorum locus.

Quæri poteſt 3. *In qua parte terræ ſit infernus?* ℞. Infernum eſſe in ipſo centro terræ, & conſequenter totius mundi, quod tamen non eſt intelligendum, quaſi infernus ſit in illo ſolo puncto, quod dicitur centrum terræ, & mundi, ſed quòd ſit, ita in medio terræ, ut mundi ſit etiam centrum inferni. Sicut enim domicilium Beatorum eſt in ſupremo & nobiliſſimo loco, ita carcer damnatorum, debet eſſe in infimo & ignobiliſſimo loco, ut longiſſimè abſint à cœlo. Talis autem locus ut centrum, eſt centrum terræ. Ergò.

Quæri poteſt 4. *Quid intelligatur nomine ſtagni ignis inferni, cujus in Scriptura fit mentio, & præſertim in Apocalypſi?* ℞. *Hoc ſtagnum quod aliàs dicitur barathrum, ſeu lacus iræ DEI magni, eſſe voraginem in centro inferni,*

igne

igne & sulphure plenam, in quam maximi peccatores sunt detrudendi. Ut habetur ex Apoc. cap. 19. v. 21. & cap. 20. v. 9. & 14.

Quæri potest 4. *Quanta sit capacitas inferni?* ℟. Esto innumerabilis quasi multitudo sit futura damnatorum, pro his tamen sufficere tantùm cavitatis inferni, cujus diameter sit duorum milliarium germanicorum, in longum, latum, & profundum, seu altum. Nam etiamsi demus cuilibet reprobo spacium 10. cubitorum (quod superabundanter sufficit) & diameter sit tantùm duorum milliarium germanicorum, tamen hæc cubicè multiplicata capere poterit sedecim millia millionum millionum corporum, siquidem duo milliaria germanica continent 4000. passuum. Unus passus 5. pedes; continent proinde duo milliaria germanica pedum 20000. qui numerus si ducatur in se ipsum, faciet pedes quadratos 400000000. hic numerus iterum ductus in se faciet pedes cubicos 160000000000000000. qui si dividatur per 10. quot scilicet pedes cubicos assignavimus pro corpore unius damnandi, erunt spacia hujusmodi 16000000000000000. hoc est sedecim millia millionum millionum. Jam si ponamus durationem mundi esse 6000. annorum, in anno sunt dies 365. erunt dies durationis mundi 2190000. ponamus jam singulis diebus damnari 30000. hominum, prodibit numerus 65700000000. hoc est sexaginta quinque millia millionum & septingenti milliones, qui numerus est longè minor quàm esset numerus datus pro loculamentis corporum damnandorum. Non est igitur opus etiam tantâ vastitate ad capienda corpora reproborum hominum, quot hactenus tot sæculorum decursu damnati sunt, & adhuc ad finem mundi damnandi.

Quæri potest 5. *Quanta igitur est profunditas & latitudo ac longitudo stagni illius ignis, & sulphuris, quod est in ipso centro inferni?* ℟. Ad profunditatem hujus stagni sufficere undique diametrum medij milliaris germanici, quanta vix usquam sit profunditas maris, nam adhuc supererit inter concavam superficiem terræ, & superficiem illius stagni spacium plus quàm sufficiens.

Quæri potest 6. *Utrùm in inferno sit verus ignis?* ℟. Affirmativè. Ubique enim Scriptura Sacra de pœnis inferorum loquens meminit ignis, ignémque minatur. Luculentum hujus rei testimonium exhibet ipsemet Salvator noster: verbis illis, quæ ad reprobos in die extremo Judicij dicentur: *Discedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.*

Quæri potest 7. *Utrùm ignis inferni sit ejusdem rationis cum nostro?* ℟. Probabilius esse ejusdem rationis specificæ, licèt sit in materia acriori, & activitatis vehementioris.

Quæri poteſt 8. *An in inferno ſint tenebræ?* ℟. In inferno eſſe quidem tenebras, ſed tales, ut eaſdem in denſo fumo umbra dubiæ lucis ſubinde infringat; ut damnatorum viſus proprio tormento crucietur, ex aſpectu mutuorum corporum fæditate, & horrendis dæmonum ſpectris. Verùm de his plura, cùm de ſtatu animarum damnatarum poſt extremum diem Judicij agemus. Interim circa animas damnatas, & ſtatum earundem ante extremum diem Judicij ulteriùs adhuc.

Quæri poteſt 9. *Utrùm animæ damnatorum, etiam ante reſumptionem ſuorum corporum igne infernali torqueantur?* ℟. Affirmativè. Id enim Scripturæ Sacræ clariſſimè paſſim teſtantur Luc. 16. v. 22. *Mortuus eſt dives, & ſepultus in inferno, elevans autem oculos ſuos cùm eſſet in tormentis &c.* & v. 24. *Crucior in hac flamma.* Et Job 21. v. 13. *In puncto ad inferna deſcendunt, qui dixerunt DEO, recede à nobis.* Quomodo autem ignis infernalis cùm ſit corporeus, agat in animas ſpirituales, patet ex dictis de animabus in purgatorio.

Quæri poteſt 10. *An præter pœnam ſensûs animæ damnatæ patiantur alias etiam pœnas?* ℟. Animas damnatas inſuper graviſſimè affligi pœnâ damni, quæ quodammodo eſt infinita, idque ex triplici ratione. Hæc enim cùm conſiſtat in privatione æternæ gloriæ, & omnium bonorum, & gaudiorum, quibus Beati fruentur, vel quæ aliquando poſſidebunt, & quæ durabunt in æternum, ſequetur in illis dolor quaſi infinitus ex conſideratione amiſſorum bonorum infinitorum. Secundò, augebitur in ijſdem hic dolor ex conſideratione tantorum malorum in quæ inciderunt. Tertiò, ſuper omnia autem affliget eaſdem conſideratio æternitatis, & quòd nunquam horum malorum erit finis, vel mitigatio. Sicut enim in beatis animabus eſt ſummum gaudium de adeptione tantorum bonorum, & de evitatione tantorum malorum & hoc quidem in perpetuas æternitates, quam ipſam perpetuitatem ipſæ clariſſimè cognoſcunt. Ita in damnatis animabus eſt ſumma triſtitia, & afflictio de amiſſione tantorum bonorum, & de præſentia tantorum malorum, & quidem per totam æternitatem, quam ipſæmet clarè cognoſcunt. Hinc ſequetur deſperatio, furor, & maledictio, in ſeipſos, & in alios omnes, qui quocúnque modo fuerunt cauſa ſuæ damnationis æternæ.

Quæri poteſt 11. *An hæc pœna damni ſit in omnibus animabus damnatis æqualis?* ℟. Pœnam hanc damni cùm ſit abſoluta, & pleniſſima privatio ſummi boni, & ſalutis æternæ, eſſe in omnibus animabus damnatis æqualem, reſpectu tamen privationis majoris, vel minoris beatitudinis amiſſæ inæqualem, quatenus una præ altera per majorem, vel minorem gratiam, deſtinata erat ad majorem, vel minorem gloriam, ſi gratiæ ſibi datæ cooperatæ fuiſſent

fuiſſent. Sic ex duobus qui exuti ſunt omnibus bonis in hoc ſunt æquales, quòd nihil habeant, ille tamen plus damni paſſus eſt, qui plus amiſit, unde etiam major, vel minor conſequetur in illis triſtitia, de bono majori, vel minori amiſſo.

Quæri poteſt 12. *Utrùm damnatarum animarum, omnis voluntas ſit mala?* ℟. Cùm animæ damnatæ ſint obſtinatæ in malo non ſecùs ac dæmones, ſicut horum obſtinatio facit, ut eorum omnis voluntas ſit mala, & nunquam poſſit eſſe bona moraliter, ita nec illarum. Præterea ſicut ſe habet voluntas beatarum animarum ad bonum, ita ſe habet voluntas animarum damnatarum ad malum, ſed beatæ animæ nunquam habent voluntatem malam. Ergò nec damnatæ aliquam voluntatem bonam.

Quæri poteſt 13. *Utrùm animæ damnatæ, pæniteant de malo quod fecerunt?* ℟. Damnatas animas pænitere quidem de malo quod fecerunt, ut habetur Sap. 5. ubi deſcribuntur damnati pænitentiam agentes, & gementes, quòd erraverint à via veritatis. Præterea ut arguit S. Thomas par. 3. q. 98. ar. 2. Ex Philoſopho, qui in 9. Ethicor. dicit, quòd pænitudine replentur pravi, mox enim triſtantur de hoc, in quo priùs delectati ſunt. Ergò cùm damnatæ animæ, maximê pravæ ſunt, maximè eaſdem pænitet de malo quod fecerunt. Verùm hæc pænitudo eſt ſolùm per accidens, nunquam ſiquidem iniquitatem odio habent, ſed ſolummodo pænam refugiunt, ve horrent, quam pro iniquitate ſuſtinent.

Quæri poteſt 14. *Utrùm damnatæ animæ, rectâ & deliberatâ ratione vellent non eſſe?* Si *non eſſe* conſideretur ſecundùm ſe, cùm hoc ſic conſideratum non ſit appetibile, damnatas animas non velle, nec deſiderare ſui *non eſſe*. Si verò *non eſſe* conſideretur prout eſt ablativum pænalis vitæ, & tantarum miſeriarum, poſſe eos velle & deſiderare *non eſſe*. Juxta illud Apocalypſ. 9. *In diebus illis deſiderabunt homines mori, & fugiet mors ab eis.*

Quæri poteſt 15. *Utrùm damnatæ animæ in inferno, vellent alias omnes damnandas, quæ non ſunt damnatæ?* ℟. Cùm in damnatis animabus maximè vigeat invidia, maximè etiam dolent de felicitate animarum beatarum, & ideò appetunt & volunt omnes alias etiam damnari. Præterea ſicut ex eo beatæ animæ quæ ſunt in cælo, quòd in illis ſit ſumma & perfectiſſima charitas, deſiderant, aliarum quóque animarum ſalutem, de eáque congaudent; ita cùm in damnatis animabus ſit ſummum erga omnes odium, maximè eos affligit beatarum animarum felicitas, & ideò vellent omnes alias animas etiam, damnari. Néque obſtat illa deprecatio divitis Luc. 16. *Nè & fratres illius damnentur*, hæc enim non fuit vera commiſeratio, ſed id dives optabat ex amore ſui, ne fratres damnati, tormenta ſua augerent per ſui præſentiam.

Quæ-

Quæri potest 16. *Utrùm animæ damnatæ habeant odio DEUM?* ℞. Affirmativè. Juxta illud Psal. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper.* Deinde, damnatæ animæ, non alio modo sibi repræsentant DEUM, quàm in effectu Justitiæ, qui est pæna, sicut ergò hanc odio habent, ita & DEUM.

Quæri potest 17. *Utrùm damnatæ animæ demerentur aliquid per sua peccata, quæ committunt in inferno?* ℞. Negativè. Status enim meriti, & demeriti est solùm pro hac vita. Sicut ergò beatæ animæ in cœlo nihil præmij sibi ampliùs merentur, ita nec damnatæ, demerentur ampliùs, siquidem nec earum beatitudo, nec harum damnatio potest crescere ampliùs.

Quæri potest 18. *Utrùm damnatæ animæ uti possint eâ notitiâ, quam in hoc mundo habuerunt?* ℞. Cùm in animabus ex hac vita decedentibus remaneant species rememorativæ, ac etiam intelligibiles, ut suprà dictum est, consequens est, animas etiam damnatas habituras in primis recordationem eorum, quæ in hac vita egerunt. Juxta illud Luc. 16. *Recordare, quia recepisti bona &c.* dein etiam aliquarum aliarum rerum notitiam, quam in hac vita habuerunt, aliàs enim illæ species intelligibiles, quæ in anima separata permanent, frustraneæ essent, si eis uti non possent. Hæc tamen ipsa notitia erit illis in tristitiam, & afflictionem.

Quæri potest 20. *Utrùm damnatæ animæ aliquando cogitent de DEO?* ℞. Animas damnatas nunquam cogitare de DEO secundùm se, seu quatenus est omnis bonitatis principium, cogitare tamen per accidens, quatenus scilicet easdem DEUS punit, quæ ipsa cogitatio & consideratio est illis pariter in afflictionem & tristitiam.

Quæri potest 21. *Utrùm animæ damnatæ sciant aliquid de felicitate beatarum animarum?* ℞. Aliquid eas scire hac de re in communi, quòd scilicet in gloria quadam cœlesti inæstimabili sint, & quòd careant illis malis, quibus ipsæ premuntur, & ex hoc ipso turbabuntur, tum propter invidiam, dolentes de felicitate earum, tum propter hoc quòd ipsæ talem gloriam amiserint.

§. XIII.

De signis, quæ Judicium Extremum præcedent.

QUia de ijs quæ extremum Judicium concernunt, fusiùs & accuratiùs prosecuti sunt S. Thomas part. 3. à quæstione 72. usque ad finem. Et Lessius lib. de perfectionibus Divinis, & lib. de summo Bono, Ideò horum vestigijs magìs hac in materia insistemus.

Quæri

Quæri igitur poteſt 1. *Quâ certitudine certum eſt, futurum Extremum diem Judicij?* ℞. Id certum eſſe fide Divinâ, eſséque hanc veritatem unam ex præcipuis articulis Fidei, Scripturæ Sacræ teſtimonijs, quàm plurimis confirmatam. Ut Matth. 24. v. 30. & 25. v. 31. Daniel. 7. v. 9. Joël. 3. v. 2. 1. ad Theſſal. 4. v. 15. Rom. 14. v. 9. Et Philipp. 2. v. 10. Sap. 5. v. 1. Et Apocalyp. 20. v. 4.

Quæri poteſt 2. *Utrùm aliqua ſigna præcedent diem Judicij?* ℞. Affirmativè. Patet id ex ipſius Chriſti verbis illis: *Erunt ſigna in ſole: & luna, & ſtellis*, præcedentia ſcilicet diem extremum Judicij, de quo ibidem Salvator noſter loquitur: Matth. 24. v. 29. Et Lucæ 25. & 31. *Cùm videbitis hæc fieri, ſcitote quoniam propè eſt Regnum DEI.*

Quæri poteſt 3. *Quænam ſunt hæc ſigna futura?* ℞. Signa hæc extremi Judicij enumerari à Chriſto, citato 24. capite Matthæi. & Lucæ 2. ac à Joanne in Apocalypſi, alijſque Scripturæ Sacræ locis. Sunt autem ſequentia.

Primò. *Erunt magni terræ motus per loca*, qui tanti erunt, quanti nunquam antea; ita ut non tantùm multæ Civitates his ſubvertentur, ſed etiam montes & Inſulæ, ſuis locis movebuntur. Apoc. 6. Secundò. *Surget gens contra gentem, & Regnum adversùs Regnum*, dum ſcilicet Antichriſtus, & ei adhærentes crudeliſſima bella gerent adversùs Chriſti Fideles. Tertiò. *Erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, ſol enim obſcurabitur*, pleno utique die, vel nubium denſarum obductu, & objecto, vel ſubtractione luminis: *& luna non dabit lumen ſuum*, conſvetum ſcilicet, ſed tota fiet ſicut ſanguis, teſte S. Joanne Apocalyp. 6. v. 24. *Et ſtellæ cadent de cœlo*, hoc eſt inuſitatis motibus agitatæ, & omni lumine ſpoliatæ, videbuntur omnes cœlo excidere. *Et virtutes cœlorum movebuntur*, in ſenſu infra explicando. Quartò. *Erit ingens turbatio maris*, partim per tempeſtates inauditas, & procellas, partim ex terræ motu vehementi, quo ipſe fundus maris conquaſſabitur, ut aqua maris in ſublime attollatur. Quintò. *Erunt peſtilentiæ, & fames*, per terræ námque motum, halitu venenato ex ea erumpente, inficietur aër, peſtem autem ſequetur fames. Sextum ſignum erit *Plaga grandinis, & ignis*, cadet enim grando magna, & longè major grandine Ægyptiacâ, varijs locis, mixta ſangvine, & fulminibus, quibus in terram delatis tertia pars terræ, & tertia pars arborum, & omne viride fœnum comburetur, non quidem conjunctim ſimul & continuè, ſed mixtim, & ſparſim, per diverſas orbis partes, ut habetur Apocalyp. 8. Septimum. *Mons ardens*, id eſt globus quidam igneus, ex multis pingvibus exhalationibus conflatus accenſus, qui in partes diſſolutus ruet in mare, quo fiet ut tertia pars maris vertatur in ſangvinem, & tertia pars piſcium moriatur.

riatur, & tertia pars navium pereat, ut habetur in Apocalyp. citato capite. Octavum. *Ingens Cometes ardens*, qui delapsus in terram dissiliens in multas faculas, inficiet tertiam partem fluminum, & fontium, reddens aquam amaram ad instar absinthij, & noxiam ac lethiferam, ita ut non possit esse humano usui. Nonum. *Solutio quatuor dæmonum*, Apocalyp. 9. v. 14. subintellige præcipuorum qui concitabunt Regna, & Provincias in prœlia & bella, quibus orbis ita attereretur, ut facilè tertia pars hominum sit interitura. 10. *Adventus Antichristi.* Non enim erit dies extremi Judicij, nisi priùs is venerit, ut clarissimè patet ex illis verbis Apostoli 2. ad Thessal. 2. *Ne quis vos seducat quasi instet dies Domini* (hoc est dies extremi Judicij) *quoniam nisi venerit dissensio primùm*; hoc est defectio & rebellio populorum, gentiúmque omnium à suis Principibus, & præsertim à Romano Imperio, secundùm Prophetiam Danielis, & à Romana Ecclesia, & *revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*, nempè; Antichristus, non veniet dies Judicij. Ultimò, præcedet diem extremum Judicij tribulatio tanta, qualis non fuit ab initio mundi usque modò, néque fiet, Matth. 24. v. 21. *Arescentibus hominibus præ timore & exspectatione quæ supervenient universo orbi, & tabescet caro uniuscujúsque stantis super pedes suos, & oculi ejus contabescent in foraminibus, & lingua eorum contabescet in ore suo.* Zach. 14. v. 12. plura de his vide apud Interpretes Apocalypseos.

Quæri potest 4. *Quomodo igitur dicitur, quòd dies Domini* (qui est dies extremi Judicij) *veniet sicut fur in nocte, & filius hominis* (nempè in secundo adventu) *horâ quâ nescitur? si tanta signa eundem præcedent?* ℟. Quia etiam his signis præcedentibus, adhuc ignorabitur ejusdem determinatum tempus. Deinde hæc ipsa signa quandonam sint futura, ignoratur, & sic quóque ignoratur dies extremi Judicij, cujus hæc signa sunt pars, inchoativè sumpti.

Quæri potest 5. *Quomodo igitur verificabitur illud S. Pauli* 1. ad Thessal. 5. *Cùm dixerint, pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Ubi S. Apostolus loquitur de extremo die Judicij? Et illud Salvatoris Matth. 24. v. 37. *Sicut autem in diebus Noë, ita erit & adventus Filij hominis, sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, usque ad diem, quo intravit Noë ad Arcam, & non agnoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus Filij hominis?* ℟. Utrúmque hunc textum intelligendum esse de impijs, & malis hominibus, qui signa futuri Judicij parvi pendent, nam ut ait S. Petrus Epistol. 2. cap. 3. *Veniet in novissimis diebus, in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes irrisoriè: ubi est promissio & adven-*

adventus ejus, (scilicet ad extremum diem Judicij) *ex quo enim Patres dormiêrunt omnia sic perseverant , ab initio creaturæ, seu ab initio creationis quasi dicant.* Multa jam similia signa præcesserunt , & tamen adhuc durat mundus, unde præsumere possumus, etiam in posterum daturum, ut proinde de interitu illius, & futuro Judicio non debeamus esse soliciti.

Quæri potest 6. *Utrùm sol, & luna tunc obscurari debebunt?* ℟. Cùm secundùm rei veritatem sol, & luna non possint simul obscurari per Eclipsin (sol enim eclipsatur in conjunctione lunæ cum sole : luna verò Eclipsatur in oppositione sui cum sole, quæ duo simul contingere non possunt) aliâ igitur viâ & modo luminis sui privatione obscurabuntur, vel diversis temporibus, vel simul Divinâ virtute, DEO concursum suum cum sole ad illuminationem subtrahente, & sic etiam lunam quæ proprio caret lumine, sed totum mutuatur à sole) obscurante & quidem tertia ex parte, ut colligitur ex cap. 8. Apocalyp. hoc est ac si tertia ex parte Eclipsarentur. Vide etiam suprà quæst. 3. dicta.

Quæri potest 7. *Quomodo ante diem Judicij stellæ cadent de cœlo, cùm pleræque sint terraqueo globo majores, adeóque si vel unica earum caderet de cœlo, totam superficiem terræ cooperiret?* ℟. Stellas casuras de cœlo, solùm quoad apparentiam, & hominum existimationem, quia de summa aëris regione cadent multæ ignitæ faces, stellarum instar. Loquitur etiam hîc Scriptura vulgari modo, non Philosophico.

Quæri potest 8. *Quomodo virtutes cœlorum adveniente die extremi Judicij, commovebuntur?* ℟. Per virtutes cœlorum hîc intelligi, vel ipsum solem, lunam, ac stellas, vel chorum illum Angelorum, cui hoc nomen *Virtutes* specialiter convenit, vel certè omnes Ordines Angelorum. In primo igitur sensu Virtutes commovebuntur, id est de suo statu deturbabuntur, & cœlorum influxus, ac stellarum aspectus perturbabuntur. In secundo verò, & tertio sensu Virtutes cœlorum commovebuntur, hoc est: in admirationem, præ novitate rei rapientur.

Quæri potest 9 *Quis status erit mundi tempore Antichristi?* ℟. Primò. Erit tunc maxima persecutio Ecclesiæ, & Fidelium, excitata ab Antichristo, eidémque adhærentibus. Secundò. Antichristus patrabit plurima & maxima, sed falsa & mendacia miracula, ut clarissimè patet ex illo S. Pauli 2. ad Thessal. 2. *Cujus est adventus secundùm operationem satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus.* Tertiò Per hæc falsa miracula, & suos pseudo-prophetas seducet multos, & *quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Matth. 24 v. 11. & 12. Unde ibidem additur : *Qui autem perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.* Et ut S. Marcus cap. 13. v. 22. addit:

dit: *Tanta erunt hæc, quæ antichristus, & ejus pseudo-prophetæ dabunt ad seducendos populos, ut si fieri posset, per ea seducerent etiam electos.* Quartò. Suscipietur à Judæis pro vero Messia, ut passim SS. Patres docent, & probant id, ex duobus Scripturæ Sacræ locis. Primò, ex illo Joan. 5. v. 43. *Ego veni in Nomine Patris mei, & non me recipitis: si alius* (quis alius nisi Antichristus?) *venerit in nomine suo, illum recipietis*, loquitur autem ibi Christus ad Judæos. Secundò, ex illo 2. ad Thessal. 2. v. 10. *Eo quòd charitatem veritatis non receperunt* (nempè Judæi) *ut salvi fierent, ideò mittet illis DEUS operationem erroris ut credant mendacio*, hoc est: permittet DEUS, illos seduci falsis signis, & miraculis Antichristi. Quintò. Antichristus maxima ducet prælia. Nam & Danielis 7. dicitur: *Roborabitur fortitudo ejus, & supra quàm dici potest, universa vastabit, & prosperabitur, & faciet, & interficiet robustos, & populum Sanctorum secundùm voluntatem suam.* Et ut habetur Apocalyp. cap. 9. *His bellis, & prælijs tertia pars hominum peribit & interimetur.* Habebit siquidem numerum equestris exercitûs, vicies millies dena millia, quæ faciunt duos milliones militum. Ejusdem Apocalyp. 9. v. 16.

Quæri potest 10. *Ex qua natione Antichristus orietur?* ℞. Ex mente SS. Patrum ortum ducturum, ex gente Judæorum. Ita Hieronymus in cap. 11. Danielis: *Nostri* (inquit) *& meliùs interpretantur, & rectiùs, quòd in fine mundi hæc sit facturus Antichristus, qui consurgere habet de modica gente*, id est de populo Judæorum. Ubi apertè indicat, hanc esse communem Christianorum sententiam.

Quæri potest 11. *Quod erit nomen Antichristi?* ℞. Antichristus quidem venditabit se pro vero Messia, in Lege promisso, imò extollet se supra omne quod dicitur Deus, ut clarè docet Apostolus 2. ad Thessal. 2. Scriptura autem dicit Apocalyp. 14. *Antichristum habiturum nomen, cujus numerus sit 666.*

Quæri potest 12. *Quinam sint futuri illi duo Testes, qui dicuntur à DEO mittendi, ut se opponant falsæ doctrinæ Antichristi?* ℞. Ex communiori sententia SS. Patrum hos quos Testes futuros, *Eliam*, & *Enoch*. Nam de illis testatur Scriptura venturos, ante diem Judicij Malach. 4. v. 5. *Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam, antequam veniat dies Domini, magnus & horribilis.* Et Ecclesi. 4. v. 16. *Henoch placuit DEO, & translatus est in Paradysum, ut det gentibus pœnitentiam.*

Quæri potest 13. *Quid hi duo Testes sint acturi contra Antichristum, & quam potestatem à DEO accepturi hunc in finem, & quem exitum vitæ habituri?* ℞. Hæc omnia accuratissimè describi à S. Joanne, Apocalyp. cap. 11.

Pri-

Primò igitur *erunt amicti saccis*, seu cilicijs induti, tum ut aspero vestitu corpus macerantes, DEI iram placent, tum ut sic faciliùs homines ad pœnitentiam provocent. Secundò. *Prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta*, qui efficiunt menses 42. seu annos tres, cum dimidio, adeóque toto tempore persecutionis Antichristi, paucis diebus exemptis. Tertió. *Si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum*, hoc est ad imperium eorum, & devorabit inimicos eorum. Quartò. *Habebunt potestatem claudendi cœlum ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, & potestatem super aquas, convertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plagâ, quoties voluerint.* Quintò. *Cùm finierint testimonium suum*, id est cùm finis venerit prædicationis eorum (nam ante illud tempus, nemo valebit eis obsistere) *Bestia quæ ascendet de Abysso* (hoc est Antichristus) *movebit bellum contra illos, & vincet, & occidet eos.* Sextò. *Eorum corpora jacebunt in plateis Civitatis magnæ*, scilicet Jerusalem, quo tempore ibi residebit Antichristus. Septimò. *Jacebunt ibi* (hoc est Hierosolymis) *insepulta corpora eorum per tres dies cum dimidio*, ubi & Dominus eorum crucifixus est. Octavò. *Et post dies tres & dimidium, spiritus vitæ intrabit in eos*, hoc est resurgent, & omnibus spectantibus ascendent in cœlum. Vide citatum caput Apocalypsis.

Quæri potest 14. *Quamdiù durabit Monarchia Antichristi?* ℟. *Duraturam mille ducentis & nonaginta diebus*, ut colligitur ex Prophetia Danielis cap. 12. Adeóque 30. duntaxat diebus post tempora Eliæ, & Enoch.

Quæritur 15. *Quanto tempore duraturus est adhuc mundus post interitum Antichristi?* Respondent nonnulli duraturum solùm 45. diebus, nixi hoc fundamento. quòd cùm Daniel prædixisset duraturam Monarchiam Antichristi, mille ducentis nonaginta diebus, subjungat: *Beatus qui exspectat, & pervenit usque ad trecentos triginta quinque dies*, qui numerus superat durationem Monarchiæ Antichristi diebus 45. Sed probabiliùs est *eundem adhuc post interitum Antichristi duraturum septem annis*, ut deducitur ex 39. capite Ezechielis Prophetæ.

Quæri potest 16. *Quis & qualis erit interitus Antichristi & ipsi adhærentium?* ℟. De interitu Antichristi Apostolus 2. ad Thessal. 2. sic ait: *Quem Dominus JESUS, interficiet Spiritu oris sui*, hoc est jussu, aut nutu suo, per michaëlem Archangelum, *& destruet illustratione adventûs sui eum*, in Græco est ἐπιφανείᾳ apparitione præsentiæ suæ, cùm scilicet jam in proximo aderit tempus, quo Christus veniet ad Judicium. Nam ante Judicium extremum occidetur Antichristus. Quomodo autem id futurum sit, expressiùs habetur cap. 19. Apocalypsis, ubi dicitur: *Et apprehensa est Bestia*, hoc

est: captus est vivus Antichristus, & *cum eo pseudo-propheta*, scilicet insignis ille Impostor, qui erit Antichristi præcursor, de quo fit mentio Apocalyp. 13. v. 13. & sequentibus, & *vivi missi sunt hi duo*, Antichristus, & pseudo-propheta, *in stagnum ignis & sulphuris*, terrâ nimirum dehiscente, *& cæteri*, clientes asseclæ Antichristi, *sunt gladio occisi*, ultione cœlesti, jubente Christo, in ipsos immissâ. Quæ ultio perficietur partim igne & grandine cœlitûs immissis, ut dicitur cap. 20. v. 9. *Et descendit ignis à DEO de cœlo, & devoravit illos*, partim mutuis gladijs, & cædibus, partim gladijs Fidelium.

Quæri potest ultimò. *Quis erit status mundi, & signatè Ecclesiæ DEI, post interitum Antichristi?* ℟. Interfecto Antichristo, *Spiritu oris*, hoc est jussu & nutu *Domini JESU*, per Michaëlem Archangelum, & ejus exercitu, cum præcipuis asseclis ejusdem deleto, dabitur Ecclesiæ pax magna, & tranquillitas, & Religio Catholica rursùs reflorescet, maximáque incrementa sumet. Juxta infallibilem illam prædictionem Christi Matth. 24. v. 14. *Et prædicabitur hoc Evangelium Regni, in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio*, hoc est: prædicabitur hoc meum Evangelium, per omnes nationes, Regna, Provincias, & Urbes totius orbis, ne quis Evangelij ignorantiam possit prætexere: postquàm verò sic per universum orbem prædicatum fuerit Evangelium, tunc veniet brevi totius mundi consummatio, & finis. Unde merito multi interpretes Scripturæ Sacræ, ex hoc & alijs ejusdem textibus colligunt, & docent, occiso Antichristo, ejúsque doctrinæ falsitate detectâ, totum mundum ad Christum convertendum, saltèm ita, ut longè plures sint futuri Fideles, quàm infideles. Juxta illud Psal. 21. v. 28. *Convertentur ad Dominum omnes fines terræ: universæ familiæ gentium.* Et Psal. 71. v. 11. *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei.* Item Joan. 10. v. 16. *Et erit unum Ovile, & unus Pastor.* Nec obstat illud, quod ait Dominus: *Cùm venerit Filius hominis, putasne inveniet fidem in terra?* loquitur enim non de extremo die Judicij, quando veniet ad Judicium cum Summa Majestate, in resurrectionem, sed de eo tempore, quo veniet ad vindictam faciendam, in maxima illa oppressione Fidelium tempore Antichristi, mittendo Michaëlem Archangelum ad eundem debellandum, *quando clamabunt Fideles tyrannide Antichristi oppressi die, ac nocte*, Luc. 18. v. 8. Tunc enim ut ibidem dicitur: *non diù patientiam habebit, sed citò veniet*, quia non sinet illam persecutionem diù durare, nisi tres annos & dimidium, quibus finitis, *faciet vindictam delendo persecutores*, nempè Antichristum, & ejusdem asseclas. Ut bene notat Lessius lib. de perfectionibus Divinis cap. 19. ubi etiam addit, huc quóque spectare illud,

quod

quod dicitur Matth. 24. *Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi.* Eo enim tempore ita dominabitur, ut rari sint futuri veri Fideles, comparatione multitudinis infidelium & impiorum.

§. XIV.

De utlimo mundi hujus exitio.

POst interitum Antichristi, expleto illo tempore, quod DEUS definivit, ad conversionem peccatorum, sequetur conflagratio mundi per ignem, sicut enim semel periêrat per aquam tempore diluvij, ita peribit igne conflagrationis, ante diem Judicij extremi. Est hæc communis SS. Patrum, & Theologorum sententia, fundata in revelatione Divina. Nam Psal. 49. dicitur: *Deus manifestè veniet*, nempè Salvator hujus mundi, qui est Judex vivorum, & mortuorum, veniet manifestè cum gloria, & Majestate, *& vocabit terram*, hoc est terrigenas, seu terræ incolas, ad judicium, & *ignis in conspectu ejus exardescet*, qui totum mundum purgabit & exuret. *Et advocabit cœlum de sursum*, venient siquidem ad hoc Judicium omnes Angeli cum eo, Matth. 24. v. 31. *discernere populum suum, ut judicentur omnes mortales & omnes gentes, & separentur oves ab hædis.* Matth. 24. v. 32. Deinde 2. Petri ultimo dicitur? *Adveniet autem dies Domini, tanquam fur, in quo cœli ardentes magno impetu solventur, & elementa ignis ardore tabescent, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur.* Ergò mundus hic, ante diem extremum, igne conflagrabit & exuretur.

Quæri tamen hìc potest 1. *Utrùm ille ignis præcedet, vel sequetur Judicium?* Communem esse sententiam Doctorum, hunc diem antecessurum ipsum personalem adventum, & comparitionem Judicis, adeóque præcessurum ante Judicium. Probatur id primò ex Psal. 96. *Ignis ante eum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus*, qui præmittetur ante Judicium extremum, & omnia absumet. Loquitur autem ibi Psalmista de secundo Domini Adventu, quo judicabit orbem, ut patet ex Apostolo ad Hebræ. 1. præterquam quòd hìc Psalmus sit totus, de extremo die Judicij. Probatur secundò, ex illo Isaiæ 66. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turba quadrigæ ejus, reddere increpationem suam* (vel ut Septuaginta Interpretes vertunt, reddere in furore ultionem suam) *in flamma ignis, quia in igne Dominus judicabit.* Et hoc sensu DEUS dicitur judicaturus sæculum per ignem.

Quæri potest 2. *Utrùm hic ignis quo conflagrabitur universus orbis, sit cum igne*

igne nostro elementari ejusdem speciei? ℟. Cum S. Thoma part. 3. in supplemento quæst. 74. art. 3. quòd *Sicut diluvium factum fuit aquâ elementari, sic & ignis, quo hic mundus deflagrabit, ante diem extremum Judicij, erit ignis elementaris*, & ejusdem cum igne nostro speciei.

Quæri potest 3. *Utrùm ignis hic exurens orbem, omnia mixta corpora, & etiam ipsa elementa consumet?* ℟. Primò. Ignem hunc dissoluturum omnia mixta corpora, & elementa. Hæc enim cùm à DEO condita sint in usum temporalis vitæ hominum, cessante vitâ, nulli, essent usui, adeóque resolventur in elementa, tanquàm in sua prima principia ex quibus fuerunt condita. Confirmatur id ipsum ex Deuteron. 31. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad novissimum, devorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.* Ubi Moyses loquitur de igne, qui succendetur, in extremo die Judicij, hic enim dies dicitur *dies iræ, & furoris Domini.* ℟. Secundò. Ab hoc igne non consumenda quidem ipsa Elementa quoad substantiam, & quoad qualitates sibi proprias, exurenda tamen quoad accidentia, & admixtionem illam, quam nunc habent, sícque plurimùm immutanda. Ratio primi est. Quia hoc incendium, & concrematio, correspondet aquæ illi diluvij, quâ deletus fuit mundus. Atqui hæc non corrupit elementa quoad substantiam, & qualitates eisdem proprias. Ergò nec ille ignis eorum corrumpet. Ratio autem secundi est. Quia ut habetur 2. Petri 3. *Elementa hujus ignis ardore tabescent.*

Quæri potest 5. *Utrùm etiam ipsi cœli hoc igne consummentur*, nam eodem citato capite de hoc igne habetur: *per quem cœli ardentes solventur?* ℟. Per cœlos hìc intelligi superiorem partem, vapore & halitu inflammabili, plenam, adeóque hos solùm exurendos, non item firmamentum ipsum, & cœlum stellatum.

Quæri potest 6. *Utrum ille ignis aget etiam in homines illos, qui tunc vivi reperientur?* ℟. Cum S. Thoma in 4. disp. 47. *Acturum hunc ignem in omnes homines, qui tunc vivi reperientur, & omnes tam malos, quàm bonos, illo igne perimendos, & in cinerem vertendos, sed bonos, in quibus nihil purgandum erit, nullum dolorem sensuros, malos verò graviter cruciandos, bonos autem, in quibus aliquid purgandum erit, sensuros cruciatum, ex illo igne, plus vel minùs pro meritorum diversitate.*

§. XV.

De Resurrectione mortuorum, eorúmque congregatione ad locum Judicij.

QUæri potest hìc 1. *Utrùm Resurrectio corporum, sit omninò futura?* ℟.

℟. Affirmativè. Id enim est Articulus fidei, expressus in Symbolo Apostolorum, verbis illis. *Credo carnis resurrectionem.* Huc facit illud Job. cap. 19. *Et in carne mea videbo DEUM.* Item Joan. cap. 5. *Qui bona fecerunt, procedent in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicij.*

Quæri potest 2. *Utrum Resurrectio erit omnium omninò hominum?* ℟. Affirmativè; ut patet ex illo 1. ad Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus.* Quo eodem capite hanc & priorem veritatem multis argumentis probat idem Apostolus. Et quidem primò versu 12. *Si autem Christus prædicatur, quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* ac si diceret: Christus resurrexit à mortuis. Ergò & nos omnes resurgemus. Causâ enim tam nostri, quàm sui, resurrexit Christus. Secundò, vers. 15. *Si autem resurrrectio mortuorum non est, néque Christus resurrexit.* Hoc est, quia cùm Christus fuit unus ex mortuis, si penitùs impossibilis est resurrectio mortuorum. Ergò falsum erit etiam Christum resurrexisse à mortuis, cùm tamen Resurrectio Christi sit unus ex præcipuis Articulis fidei. Tertiò, vers. 15. & 18. *Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra*, seu falsa, qui vobis prædicamus, & Christi, & omnium hominum futuram à mortuis resurrectionem, *inanis est & fides nostra. Invenimur autem & falsi testes DEI:* dicimus enim Christum resurrexisse, quod falsum est, si Resurrectio mortuorum omninò non est. *Quoniam testimonium diximus adversus Deum, quòd suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgent. Nam si mortui non resurgunt, néque Christus resurrexit*, quæ omnia argumenta sunt absurda. Sequitur quartum Argumentum vers. 17. *Quòd si Christus non surrexit, inanis est fides nostra, adhuc enim estis in peccatis vestris. Nam Christus resurrexit, propter Justificationem nostram.* ad Rom. 4. v. 25. sequitur. Ergò, *& qui dormiêrunt in Christo periêrunt.* hoc est: Ergò & qui mortui sunt in fide, spe, & charitate Christi, periêrunt, id est damnati sunt, quia fides eorum fuit falsa, quâ crediderunt, & Christum resurrexisse, & omnes homines resurrecturos à mortuis. Ac demùm concludit versu 20. *Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium*, id est: primus ex mortuis resurgentium ad vitam immortalem. Vel quasi subsumeret. Atqui certum omninò est Christum resurrexisse à mortuis. Unde concluditur infallibiliter. Ergò & nos omnes resurgemus à mortuis.

Quæri potest 3. *Utrùm Resurrectio hominum à mortuis sit naturalis, vel miraculosa?* ℟. Resurectionem mortuorum, simpliciter loquendo esse miraculosam, secundùm quid tamen posse dici etiam naturalem. Ratio primi est. Quia nullum principium activum est in natura hujus resurrectionis, néque

respectu conjunctionis animæ ad corpus, neque ratione dispositionis, quæ est necessaria ad talem conjunctionem, adeoque superat omnes vires naturæ, ac consequenter simpliciter loquendo, est supernaturalis. Ratio autem secundi est. Quia anima Rationalis habet naturalem appetitum & exigentiam, utpotè forma substantialis ad unionem cum suo corpore, & cum illo efficiendi completum compositum substantiale.

Quæri potest 4. *Quo ordine fiet Resurrectio mortuorum?* ℟. Hoc ordine: durante adhuc conflagratione mundi, cùm Dominus inceperit descendere de Cœlo, præmittet Angelos cum tuba, ut mortuos omnes excitent & convocent ad Judicium. Hâc tubâ personante, quasi in ictu oculi, omnes mortui, tanquam à somno excitati, resurgent, & comparebunt, super terram, & celerrimè transferentur ad locum Judicij.

Quæri potest 5. *Quænam requirantur ad hanc Resurrectionem?* ℟. Requiri hæc tria: Primò, ut particulæ materiæ, ex quibus corpus est formandum, in unum locum congerantur. Secundò, ut corpora formentur. Tertiò, ut sic formato corpori anima uniatur.

Quæri potest 6. *Utrùm hæ particulæ materiæ, & cineres congregabuntur ab Angelis, vel tota hæc res peragetur solâ Divinâ virtute?* ℟. Licèt passim Doctores tradant, id totum peragendum ab Angelis, & ministerio illorum, hanc tamen communem Doctorum sententiam limitat Lessius l. de Divinis perfectionibus c. 29. dicendo; *Id intelligendum esse, non de omnibus omninò partibus, quæ ad corporis totius, & omnium hominum constitutionem, pertinebunt, sed aliquas illarum, solius DEI virtute in unum congregandas.* Ratio primi est. Quia aliquorum saltèm hominum corpora, in millies millenas particulas, erunt resoluta, quarum, aliæ erunt in oriente, aliæ in Occidente, aliæ apud antipodas, aliæ in mari, aliæ innumeris modis variatæ, & per innumeras rerum species, in formas, transfusæ, præsertim, quorum corpora, ab avibus, feris, vel antrophagis sunt devorata, & hæc iterum iterúmque in alia & alia corpora transmutata, unde nullum vestigium erit, an & quæ particula, ad hoc vel illud corpus pertineat, & an ad hanc, vel illam animam referri debeat: præterea, in multis corporibus, quæ fuêre mutila, manca, vel defectuosa, vel per defectum, aut excessum, monstrosa, erunt aliqua supplenda, addenda, vel demenda, & quidem in illud idem numero & identicè corpus, ità ut non videantur ab aliquo Angelo, tam brevi tempore, & quasi in instanti posse congregari, & in corpus integrum (quod tamen integrari debebit ex ijs ipsis particulis, quæ aliquando eidem corpori junctæ erant; rursus formari. Ratio autem secundi est: Quia DEO utpotè omnia scienti, & omnia cognoscenti, omnes omninò illæ particulæ, licèt

licèt in locis innumeris locatæ, & infinitis rebus permixtæ sint, sunt tamen notissimæ, poterit igitur easdem virtute suâ nutu, & jussu solo, in momento, & tempore imperceptibili, in unum colligere, & congregare.

Quæri potest 7. *In quem locum hæ particulæ sunt congregandæ?* ℟. Credibile est, eas congregandas, ad monumenta, in quibus mortuorum corpora sunt sepulta, vel si non habuerint, vel non habeant monumenta, in eum locum, ubi plus materiæ illius corporis remanserit.

Quæri potest 8. *Quomodo ex his particulis, in unum collectis corpora formabuntur?* ℟. Collectis his particulis in unum, omnia corpora Divinâ virtute formabuntur, & accipient omnes dispositiones, animæ suæ congruentes, sicut formatum est, & compactum corpus Adami à solo DEO.

Quæri potest 9. *Utrùm Anima idem corpus resumet in Resurrectione?* ℟. Affirmativè. Nisi enim anima idem corpus resumeret, non diceretur Resurrectio, sed magìs novi corporis assumptio. Et ut S. Damianus lib. 4. c. 28. ait: *Resurrectio est ejus, quod cecidit, secunda surrectio.* Subsumit S. Thomas: *Sed hoc corpus, quod gerimus, per mortem cecidit, & concludit:* Ergò idem numero resurget. Præterea S. Job. cap. 19. hanc veritatem desiderat exarari in perpetuam rei memoriam in Libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpi in silice, dicens: *Scio enim, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die resurrecturus sum. Et rursus circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo DEUM meum* (Christum Dominum scilicet oculis corporeis, oculis veræ mentis essentiam Divinam) *quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Ergò anima idem corpus resumet. Verùm quanta diversitas effectuum erit, in animabus beatis, & damnatis, in resumptione suorum corporum! Illæ enim resument sua corpora, cum maximo gaudio, & jubilo, utpotè mox glorificanda, & inæstimabilibus dotibus exornanda, & cœlesti gloriâ in æternum beanda: istæ verò, cum maximo horrore & dolore resument sua corpora, utpotè, sempiternis supplicijs, ac cruciatibus horrendis, mox adjudicanda, ac secum in infernum deducenda, ac in æternum damnanda.

Quæri potest 10. *Utrùm sit idem homo qui resurget, & qui mortuus fuerat?* Respondet S. Thomas par. 3. c. 79. ar. 2. *Hæreticum esse dicere, eundem hominem non resurrecturum, qui mortuus fuerat.* Hoc autem probat ex S. Augustino, qui dicit lib. de Trinit. *Quòd resurgere nihil aliud sit, quam reviviscere:* nisì autem idem homo numero rediret ad vitam, qui mortuus est, non diceretur reviviscere. Ergò non resurgeret; quod est contra fidem. Secundò, ex eo. Quòd alioquin homo vanè factus esset, si ad finem propter

quem factus est, non posset pervenire: hoc autem fieret, si idem numero, homo non resurgeret. Homo siquidem est factus à DEO, hoc fine, ut sit æternùm beatus. Non fieret autem beatus æternùm, nisi anima eidem corpori conjungatur, & idem numero homo resurgat. In hac enim vita hoc fieri non potest, nec post vitam separatæ animæ, fit verò, si beata anima in resurrectione conjungatur suo, & eidem numero corpori. Ergò.

Quæri potest 11. *Utrùm non solùm corpus, sed etiam singula membra corporis debeant formari in Resurrectione ex ijsdem omninò particulis materiæ, quibus antea constiterunt?* ℞. Cùm ex proximè dictis clarè pateat, ad hoc, ut idem homo numero dicatur resurgere, qui mortuus fuit, necesse esse, ut anima ad idem corpus redeat, idémque numero corpus resumat, cui in hac vita conjuncta fuerat, consequens est, ut ex ijsdem quóque particulis corporis, & materiæ, resurrecturum illud corpus, denuo formetur; solùm ergò difficultas superest, utrùm singulorum membrorum particulæ, singulis suis membris, quæ priùs constituebant, restitui debeant. Atqui hac in quæstione, tenenda est pars affirmativa, tanquàm verisimilior, maximè quantùm ad partes principaliores, & organicas. Ratio est: Quia alioquin non essent eadem ossa, eadem caro, eædem venæ, arteriæ, nervi, eadem pellis, idem caput, idem pectus, eadem viscera, eadem membra post Resurrectionem, quæ in vita erant, ac proinde nec idem corpus organicum, etiamsi totum corpus esset ex commixtione ejusdem materiæ. Deinde hoc certè est congruentiùs, & nulla ratio est, cur singulæ particulæ non restituantur suis membris & locis, cùm DEO sit æquè facile, & planè necessarium sit ad perfectam identitatem corporis resurgentis. Ita Lessius lib. de perfectionibus Divinis c. 21. *Dixi maximè quantùm ad partes principales, & organicas.* Quia oppositum fortè concedi posset de particulis similaribus, seu homogeneis, & faciliùs adhuc de partibus accidentalibus, ut sunt capilli, & ungves.

Quæri potest 12. *Utrùm mors erit terminus à quo Resurrectionis in omnibus? seu utrùm omnes omninò homines, debeant priùs mori, ac deinde resurgere à mortuis?* Ratio dubitandi est circa eos vivos, qui reperientur in hoc mundo, adveniente die Judicij extremi. Primò, quia S. Paulus Apostolus dicit, ad Thessal. 4. *Quòd qui tunc vivent, & residui erunt, non prævenient eos, qui dormiêrunt* (hoc est, qui jam antea mortui sunt) *in adventum Domini, sed qui mortui sunt resurgent primi, deinde, qui tunc vivent, & qui adhuc superstites relinquentur, simul cum illis, rapientur in nubibus obviam Christo in aëra.* Secundò. *Quia Christus erit Judex vivorum, & mortuorum.* Igitur aliqui vivi (nempè, qui tunc reperientur) judicabuntur. Verùm tenendum

nendum est, omnes omninò homines, etiam illos, qui tunc vivi reperientur priùs morituros, sive igne illo conflagrationis, qui Judicium præcedet, sive alio modo, dissoluta ad brevissimum tempus conjunctione corporis cum anima. Nam ut S. Thomas, par. 3. c. 78. ar. 1. arguit: ex illo ad Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.* Sed in Christo omnes vivificabuntur, Ergò in Adam omnes morientur, & sic Resurrectio omnium erit à morte. Modicum autem illud tempus, quo mortui manebunt, illis, qui tunc vivi reperientur, nihil officit, quo minùs ij dicantur viventes, & Christus dicatur judicaturus vivos, & mortuos, erit siquidem hoc tempus, quasi insensibile, & vix perceptibile, & sic adhuc illis conveniet, denominatio viventium.

Quæri potest 13. *Utrùm omnium hominum Resurrectio erit à cineribus?* ℞. Affirmativè. Quia omnes in originali peccato natos tenet hæc sententia: *Terra es, & in terram ibis. Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Deinde sicut Scriptura Sacra Resurrectionem prænunciat, ita & corporum reformationem, ut habetur ex Apostolo ad Philippenses 3. v. 20. & 21. *Salvatorem expectamus Dominum nostrum JESUM Christum, qui reformabit,* (hoc est,) *in aliam formam & figuram commutabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* hoc est: suo corpori immortalitatis glo, riâ circumdato, reddet quàm simillimum, *ut ex corruptibili fiat incorruptibile, ex passibili impassibile, ex terrestri cæleste.* Ergò infert S. Doctor; *Sicut omnes moriuntur ad hoc, quòd verè resurgere possint: ita omnium corpora dissolventur, ad hoc, quòd omnium corpora reformari possint.* Addit tamen idem S. Doctor hæc duo. Primum est: *Nisi aliquibus ex speciali privilegio gratiæ sit indultum contrarium: sicut & Resurrectionis acceleratio* (uti continget in Enoch & Elia) Secundum est: *Quòd nomine cinerum, hîc etiam intelligantur omnes reliquiæ, quæ remanent humano corpore resoluto.*

Quæri potest 14. *Utrùm omnia membra humani corporis resurgent?* ℞. Affirmativè. Nam ut ait citatus S. Doctor. Cùm oporteat in Resurrectione corpus omni ex parte respondere animæ, oportet etiam, ut omnia membra humani corporis resurgant in Resurrectione. Addit hanc rationem: *Quia DEI perfecta sunt opera.* Deut. 32. Sed Resurrectio fiet Divino opere. Ergò homo reparabitur perfectus in omnibus membris, sicut primus homo Adam, formatus est ex limo integer quoad omnia membra.

Quæri potest 15. *Utrùm capilli, & ungves, utrùm sangvis, & alij humores, utrùm totum id, quod fuit in corpore de veritate humanæ naturæ resurget in ipso, in resurrectione?* ℞. ad omnia Affirmativè. Ratio primi est. Quia capilli, & ungves dati sunt in ornamentum homini, sed corpora hominum

præcipuè electorum debent resurgere cum omni ornatu. Ergò debent resurgere cum capillis, & ungvibus. Huc spectat illud Christi dictum; Lucæ 20. *Capillus de capite vestro non peribit.* Ratio secundi est. Quia sangvis & humores sunt de constitutione corporis humani, adminimum integrali; integer verò homo resurget. Ergò. Præterea Resurrectio nostra erit conformis Resurrectioni Christi; sed in Christo resurrexit sangvis, Ergò, & in nobis resurget sangvis, & eadem ratio est, & de humoribus cæteris. Ratio demùm tertij est: Quia, quidquid fuit de veritate humanæ naturæ in corpore, fuit perfectum ab anima Rationali. Quidquid autem fuit perfectum in corpore ab anima Rationali habet ordinem ad resurrectionem. Ergò quidquid fuit de veritate naturæ humanæ in corpore, resurget in unoquóque. Præterea si aliquid subtraheretur à corpore hominis, quod erat de veritate naturæ humanæ in ipso, sequeretur, quòd non resurgeret homo perfectus in veritate naturæ humanæ, seu in suo esse. Siquidem uniuscujúsque rei veritas est proprietas sui esse. Sed resurget cum suo proprio esse. Ergò resurget in illo, quidquid in eo erat de veritate naturæ humanæ.

Quæri potest 16. *Utrùm quidquid fuit materialiter in membris hominis, totum resurget in Resurrectione?* ℟. Non omne id, quod fuit materialiter tantùm in membris hominis, resurrecturum in Resurrectione; totalitate materiæ, sed duntaxat, quod pertinebat ad veritatem humanæ naturæ totalitate speciei, quæ attenditur secundùm quantitatem, figuram, situm, & ordinem partium. Ratio est, Quia solùm secundùm hanc considerationem habebit ordinem ad animam Rationalem. Unde si tota materia, quæ fuit in homine à principio vitæ usque ad finem, resurgeret, excederet quantitatem speciei hominis, redderétque corpus monstrosum, adeóque per excessum, imperfectum.

Quæri potest 17. *Utrùm omnes homines resurgent in statu ejusdem ætatis?* ℟. Quia naturam humanam oportet resurgere absque omni defectu, & cùm natura humana in pueris deficiat à perfectione ultima corporis humani, quia necdum eam attigerunt, in senibus autem deficiat ab ultima perfectione, quia ab hac perfectione decesserunt, conveniens esse, ut homines resurgant in virili ætate, quæ est status ultimæ perfectionis naturæ humanæ, utpotè, ad quam terminatur motus augmenti, & à qua incipit motus decrementi, adeóque est constituta ut medium inter incrementum, & decrementum. Præterea ad Ephesios 4. dicitur: *Donec occuramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* In quo textu S. Thomas & complures Scholastici per mensuram ætatis plenitudinis Christi, intelligunt plenam virilem, & perfectam staturam corporis

ris Christi cùm esse annorum 34. circiter, dicúntque omnes etiam eos, qui in infantili ætate mortui sunt, resurrecturos in statu hujus ætatis.

Quæri potest 18. *Utrùm omnes resurgent ejusdem staturæ?* ℟. Certum esse in Resurrectione nullos fore nanos, nullos monstrosos, gygantes, sed omnes staturæ convenientis ac justæ, an autem hæc statura sit æqualis futura in omnibus controverti poterit. Aliqui quidem id asserunt, ex præcitato textu, ducentes resurrectionem nostram futuram non solùm quoad statum ætatis seu in quantitate durationis, sed etiam in statura, seu in quantitate dimensiva, æqualem staturæ ipsius Christi. Alij autem tenent: Homines resurrecturos in ea statura, in qua fuerunt in virili ætate, quæ est terminus augmenti, vel fuisset, si nullus error naturæ intervenisset, quòd si is interveniat, & natura errâsset vel in defectu, vel in excessu justæ magnitudinis eundem corrigendum, & supplendum à Divina potentia, vel resecando superfluum, vel addendo, id quod defuerat ad justam staturam hominis. Licèt enim natura humana quoad speciem suam habeat aliquam quantitatem, quam nec excedit, nec ab ea deficit absque errore: hæc tamen ipsa quantitas, habet aliquos gradus majoritatis, vel minoritatis, néque consistit in indivisibili, adeóque in ratione individui ea non est accipienda, secundùm unam & determinatam mensuram, in resurrecturis.

Quæri potest 19. *Utrùm omnes resurgent in sexu virili?* ℟. Esto id putent aliqui, levibus sanè ducti, ad id asserendum ratiunculis. Verùm S. Augustini testimonio in 22. lib. de Civitate DEI: *Melius sapere videntur, qui utrumque sexum resurrecturum non dubitant.* Præterea ut S. Thomas arguit: *DEUS reparabit in resurrectione, quod in homine fecit in creatione, sed in creatione hominis fecit non solùm virum, sed etiam mulierem seu sexum virilem, & fœmineum.* Ergò in Resurrectione, reparabit non solùm sexum virilem, sed etiam fœmineum.

Quæri potest 20. *Utrùm omnes resurgent in vita animali?* ℟. Quæstionem hanc esse intelligendam de actu primo proximo, nam in actu primo remoto potentiæ vitæ animalis, quales sunt potentia generativa, nutritiva, & aliæ his similes, identificantur cum ipsa anima Rationali, quæ reunietur iterum corpori. Ad quæstionem igitur propositam, si in actu primo proximo accipiatur vita animalis, & multò magis si accipiatur in actu secundo, seu quoad ipsas operationes respondendum est Negativè. Nam ut Matt. 22. dicitur: *In Resurrectione hominis, néque nubent, néque nubentur, nec erit augmentatio, aut diminutio corporis, néque mors, néque multiplicatio individuorum in humano genere.* Ergo cessabunt omnes similes operationes vitæ animalis, utpotè frustraneæ, adeóque néque erit Resurrectio hominum in vita animali in actu primo proximo. Quæ-

Quæri poteſt 21. *Utrùm corporum illorum reſurrectio*, (de quibus ſcribit S. Matthæus cap. 27. *Et monumenta aperta ſunt; & multa corpora Sanctorum, qui dormierunt, ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt Reſurrectionem ejus, venerunt in Sanctam Civitatem & apparuerunt multis*,) *fuerit vera, & ultima à mortuis Reſurrectio?* ℞. S. Auguſtinus, Theophylactus, Divus Thomas, & alij volunt, *hos iterum mortuos eſſe, & corpora ſua in ſepulchris depoſuiſſe, nec niſi breve tempus evocatos, ut Teſtes eſſent Chriſti redivivi, ſicut fuerunt teſtes illius glorificationis Moyſes, & Elias in monte Tabor.* Unde juxta hos Authores, eorum reſurrectio, potiùs fuit reſuſcitatio quædam, *ſicut fuit Lazari*, qui iterum mortuus eſt, quàm vera Reſurrectio, qualis erit in fine mundi. Sed Origenes, Epiphanius, & alij quamplurimi cenſent eos in vivis manſiſſe, & cum corpore Chriſto aſcendente in cœlum aſſumptos eſſe. Quod tamen ſi ita fuit, ſpeciale gratiæ privilegium erat id, quod illorum reſurrectio non fuit uſque ad communem omnium reſurrectionem dilata. Verùm hac de re iteratò jam ſuperiùs, facta eſt mentio.

Quæri poteſt 21. *Utrùm tempus Reſurrectionis noſtræ ſit occultum?* ℞. Cùm Reſurrectio noſtra futura ſit in fine hujus mundi, ſicut hujus finis nobis eſt occultus, ita & Reſurrectio noſtra, ut patet ex illo Matthæi 24. *De die illa & hora nemo ſcit, néque Angeli Cœlorum.* Et Actorum 1. *Non eſt veſtrum nôſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Si igitur Angelis, & Apoſtolis occultum fuit hoc tempus, multò magis nobis occultum eſt. *Vide ſuprà Quæſtionem quartam.* §. 13.

Quæri poteſt 22. *Utrùm Reſurrectio futura ſit noctis tempore?* ℞. Licèt tempus futuræ Reſurrectionis præcognoſci numerativè non poſſit, ut jam dictum eſt, tamen probabiliter dicitur Reſurrectionem futuram in nocte, tum quia Reſurrectio Chriſti eſt exemplar noſtræ reſurrectionis, *Sed Reſurrectio Chriſti fuit in nocte, Ergò & noſtra erit nocturno tempore.* Ita argumentatur S. Thomas par. 3. quæſt. 76. art. 2. & addit ſequentem conjecturam: *Adventus Domini comparatur adventui furis in domum*, ut patet Lucæ 12. *Sed fur in tempore noctis in domum venit, Ergò & Dominus in tempore nocturno veniet.* Sed veniente ipſò fiet Reſurrectio, Ergò & Reſurrectio noſtra fiet nocturno tempore, id tamen intelligendum eſt reſpectu horizontis illius loci in quo fiet Judicium, aliàs enim reſpectu totius orbis ſemper eſt in una parte ſeu Hemiſphærio dies, & in altera parte ſeu Hemiſphærio altero, nox.

Quæri poteſt 23. *Utrùm Reſurrectio futura ſit ſubitò, vel ſucceſſivè?* ℞. Si Reſurrectio accipiatur, pro unione animarum cum corpore, ea fiet in inſtanti,

stanti, & subitò: si autem accipiatur, pro tota illa operatione, quâ particulæ corporis omnes colligentur, & in corpus humanum formabuntur, sicut passim accipi solet, fiet in tempore sed brevissimo, & imperceptibili. Ita Lessius de Perfectionibus Divinis cap. 21. n. 123. Idem docet S. Thomas Part. 3. Quæst. 77. ar. 6. dicens: *Respectu eorum, quæ in Resurrectione agentur virtute Divinâ immediatè, Resurrectio fiet subitò, ratione verò eorum, quæ fient ministerio Angelorum successivè.* Unde illud S. Pauli ad Corinth. 15. *Omnes surgemus in momento, in ictu oculi, non esse accipiendum pro momento aliquo, seu puncto temporis mathematicè, sed pro tempore brevissimo,* quod ob brevitatem, sit imperceptibile.

Quæri potest 24. *Quo pacto fiet Resurrectio omnium mortuorum simultanea in tam diversis, & tam dissitis ab invicem locis, per universum orbem?* ℞. Modum hunc indicat nobis ipsemet Salvator Matth. 24. cùm ait: *Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magnâ, & congregabunt, electos à quatuor ventis, è summis Cælorum, usque ad terminos terræ.* Et 1. ad Thessal. 4. *Ipse Dominus in tuba DEI descendet de Cælo, & mortui qui in Christo sunt resurgent.*

Quæri potest 25. *Utrùm tubæ hujus sonum, omnes mortui sint audituri?* ℞. Omnes omninò. Nam ut Joannis 5. habetur: *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij DEI.* Hoc est: omnes mortui audient vocem, quæ imperio Christi ab Angelis die novissimo edetur, *& omnes qui audient vivent*, hoc est: *statim vitam in corpore accipient, & resurgent.* Hæc autem vox dicitur tuba, sive fiet per tubam. Ergò.

Quæri potest 26. *Utrùm hæ voces: surgite mortui, venite ad Judicium, articulatè sint conjungendæ tubæ?* ℞. Probabilius adjungendas, cùm Scriptura expresè id addat, *cum sono tubæ, & voce magna*: intonante scilicet illud Electis jucundum, & reprobis horrendum: *Surgite mortui, venite ad Judicium.*

Quæri potest 27. *Quomodo mortui audient hunc sonum tubæ, & vocem Angelorum, & Archangeli*, ut ait S. Paulus 1. ad Thess, 4. v. 15. *Iussu, & in voce Archangeli, & in tuba DEI resurgent mortui, cùm mortui auditu careant?* ℞. Mortuos audituros hunc sonum, & hanc vocem, & quidem ante resurrectionem, non auribus corporis, sed vi animæ, quæ etiam suum auditum habet, quo voces & sonitum percipere possit, sicut Angeli, & Dæmones voces audiunt, aut sicut Lazarus audivit has voces Domini: *Lazare veni foras*, aut Adolescens resuscitatus à Christo: *Adolescens tibi dico surge.* Et Puella revocata à Domino ad vitam, Talitha Cumi: *Puella surge.*

Quæri potest 28. *Utrùm plures tales tubæ sint futuræ, an una tantùm,*

quâ omnes excitentur? ℞. Verisimiliùs esse futuras plures per orbem (etsi fortè in uno loco futura sit tantùm una) ut ubique mortuis intonent, & quidem simul, ut fiat simul omnium mortuorum Resurrectio: patet id ex textu suprà allato: *Mittet Angelos suos cum tuba*, si enim una tantùm esset tuba, non opus esset multos Angelos mittere.

Quæri potest 29. *Quomodo ex tam diversis partibus orbis, tam celeriter, judicandi ad unum locum Judicij convenient?* ℞. Electos comparituros in loco Judicij celerrimè virtute suâ utpotè jam glorioso corpore, & agilitate præditos; itàque ad hos congregandos sufficient Angeli tubam inflantes. Reprobi autem ad locum Judicis deportabuntur & transferentur, per alios Angelos, tanquam summi Judicij ministros, juxta illud Matth. 13. *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio Justorum.*

Quæri potest 30. *Quisnam erit ille Judicij locus?* ℞. Ex communi Patrum & Doctorum sententia, hic locus Judicij erit Vallis Josaphat, colligitur id ex cap. 3. Joëlis: *Ecce in diebus illis, & in tempore illo cùm convertero captivitatem Judæ & Jerusalem*, hoc est: postquam Judæos sub potestate Diaboli convertero, & ad Ecclesiam adduxero, quod fiet ante extremum diem Judicij, post tempora Antichristi. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo eum eis*, ibidem. & vers. 12. *Consurgant & ascendant gentes in Vallem Josaphat: quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.* Ac tandem v. 16. *Dominus de Sion rugiet.* hoc est: Christus qui est Leo de tribu Juda, Apocal. 5. v. 5. Terribilem in impios sententiam pronunciabit *de Jerusalem*, hoc est: *ex loco aëris, cui correspondet Vallis Josaphat, quæ est juxta Jerusalem, dabit vocem suam*, hoc est: ultimam feret sententiam.

Quæri potest 31. *Quomodo omnes homines capere poterit una Vallis Josaphat?* ℞. Non esse existimandum, omnem illam multitudinem hominum hâc valle continendam, sàtis est, meditullium ibi constitui, etiamsi per plurima milliaria in omnem partem se diffundat, reliquum spacium, quod occupaturi sunt Judicandi.

Quæri potest 32. *Quantum deberet esse hoc ipsum spacium, videtur enim, nec universæ terræ superficies sufficere pro spacio, in quo stare possit tanta judicandorum multitudo cum suis corporibus, multò minùs sola Terra promissionis, seu Palæstina, in qua est Vallis Josaphat?* ℞. Quæstionis hujus resolutionem dependere à duplici supputatione: Unâ hominum, qui ab initio conditi mundi, mortui sunt, & morientur usque ad consumationem, seu defitionem illius finalem, & ad ipsum diem extremi Judicij. Altera verò Pedum Geometricorum quadratorum in superficie terræ, qui tribuendi sunt singulis homi-

hominibus judicandis. Prima ſupputatio ſic inſtitui poteſt: Duratio hujus mundi, ut communis eſt opinio, erit 60. ſæculorum, ſeu ſex millium annorum, unus anus continet 365. igitur dies, durationis mundi eſſent 2190000. hoc eſt, duo milliones & centum nonaginta millia dierum. Ponamus jam, quòd moriantur vel mortua ſint, aut morientur ſingulis diebus 30000. hoc eſt 30. millia hominum. Nam eſto fortè plures hoc tempore unâ die moriantur; & tempore diluvij totum genus humanum intra 40. dies deletum fuerit, ac in fine mundi omnes homines igne flagrationis conſumentur, è contra tamen primis ſæculis multis, uti & poſt diluvium, tot homines unâ die mori non poterant. Igitur aſſumpto hoc medio numero, mortuorum erunt 6570000000. hoc eſt ſexaginta quinque millia millionum & ſeptingenti milliones. Altera autem ſupputatio inſtitui poteſt tali modo: Superficies totius terræ ut ſuprà oſtendimus Diſſert. 1. Decad. 2. §. 2. continet milliariorum germanicorum quadratorum 9288000. hoc eſt: novem milliones ducenta, & octuaginta octo millia. Italicorum verò 148608000. Jam verò unum milliare Italicum quadratum capere poteſt 1000000. homines, hoc eſt: unum millionem hominum aſſignando ſingulis unum paſſum quadratum, tota verò ſuperficies terræ 148608000000000. paſſuum quadratorum, qui numerus eſt major, omnium mortuorum. Quoad ſecundã autem partem quæſtionis: unum milliare Italicum continet mille paſſus, igitur centum milliaria Italica con tinebunt 100000. hoc eſt: centum millia paſſuum. Et quia unus paſſus continet pedes quinque, centum milliaria continebunt in recta linea 500000. hoc eſt: quingenta millia pedum, qui numerus ſi ducatur in ſeipſum, prodibit numerus 250000000000. hoc eſt: ducenta quinquaginta millia millionum pedum quadratorum, quorum unus ſufficit pro uno homine ſtante (ſicut omnes ſtabunt, ante tribunal Judicis) qui numerus iterum eſt major, numero hominum judicandorum. Et tamen non omnes judicandi ſtabunt in terra, ſed ſoli reprobi, Electi enim & ſalvandi rapientur in aërem cum ſuis corporibus glorioſis, ſufficient proinde ſuperabundanter pro judicandis omnibus, centum milliaria Italica quadrata, quot Palæſtina in qua eſt Vallis Joſaphat facile continebit, (neque enim ſola Vallis Joſaphat ſeorſim ſumpta erit Locus Judicij exrremi, ſed cum vicinis eidem Regionibus) Et ſic, ſi in medio Palæſtinæ nempè in Valle Joſaphat, conſtituetur Locus Judicij, ad omnes partes, aberunt à Judice, omnes judicandi, ad ſummum 50. milliaribus Italicis, Germanicis autem $12\frac{1}{4}$ etiam qui remotiſſimè ſtabunt. Sed quia aſſumptus numerus centum milliarium Italicorum eſt juſto major, ponamus paulò minorem, v. g. 80. & ſic remotiſſimè diſtantes, à Judice diſtarent milliaribus Italicis 40. Germanicis verò decem, quamvis nec tot, in rigore requirantur.

 §. XVI.

§. XVI.

De Comparatione Judicis, formáque ipsius Extremi & Generalis Judicij.

Quæri potest 1. *Utrùm omninò sit futurum hoc Generale Judicium?* ℞. Certum esse de Fide, hoc universale Judicium futurum, in fine extremo hujus mundi. Patet id ex ipsius Æternæ Veritatis dictis, Matth. 12. *Viri Ninivitæ surgent in Judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.* Ergò post Resurrectionem aliquod Judicium fiet. Item Joan. 5. dicitur: *Procedent, qui bona fecerunt in Resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in Resurrectionem Judicij.* Ergò post Resurrectionem erit Judicium, utique Extremum.

Quæri potest 2. *Quem in finem erit hoc Extremum Judicium, cùm unusquisque homo post mortem immediatè, accipiat suam sententiam, vel de sua salute, vel de sua æterna damnatione?* ℞. Ut sic manifestetur coram omnibus hominibus DEI Justitia, quàm justè DEUS, hos pœnis æternis addixerit, alios verò ab ijsdem, mirabilibus planè vijs liberaverit. Præterea ut toti orbi pateat, multorum simulatio, qui in hac vita hominibus suâ fictione vitæ bonæ, imposuerunt, & multorum innocentia elucescat, qui in hac vita latuerunt. Insuper ut per hoc Judicium, boni integrum præmium à DEO accipiant, & mali integram pœnam recipiant, nempè quoad ipsum etiam corpus, quod in bonis glorificabitur, & in malis cruciabitur: in particulari autem Judicio, quoad solam animam, unusquisque recipiet, prout bona vel mala gessit in præsenti vita.

Quæri potest 3. *Quis Ordo sit futurus hujus Judicij?* ℞. Cùm simul atque omnes Judicandi congregati fuerint, *per Angelos, qui exibunt, & separabunt malos de medio Justorum.* Matth. 21. *Et congregabunt Electos ejus à quatuor ventis, à summis Cælorum, usque ad terminos eorum*, reprobi stabunt, cum tremore maximo in Valle Josaphat, & ejusdem circumferentia, Electi verò jam gloriosis corporibus in aëre: incipiet comparare Judex, sensim de supremo Cœlo descendens, in summa potentia, majestate ac gloria, in nubibus, circumdatus innumerâ multitudine Angelorum. Colligitur id, ex illis verbis, ipsius Domini, Matth. 24. *Tunc videbunt Filium hominis, venientem in nubibus Cæli, cum virtute magna.* Et cap. 25. v. 31. *Cùm autem venerit Filius hominis, in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & sepa-*

separabit eos ad invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, ferétque tam de bonis, quàm de malis sententiam ultimam.

Quæri potest 4. *Utrùm Christus sit in forma humanitatis judicaturus?* ℞. Affirmativè. Nam ut Joan. 5. v. 22. habetur: *Néque enim Pater judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio.* Et v. 22. *Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Et Actorum 10. *Ipse constitutus est à DEO Judex vivorum, & mortuorum.*

Quæri potest 5. *Utrùm Christus in Judicio apparebit in forma humanitatis gloriosæ?* ℞. Affirmativè. Indicatur id citato textu, cùm dicitur *venturus cum majestate*, sive ut Græcus textus habet, *cum potestate, & gloria magna*, quam gloriam noster Interpres sæpè *claritatem* vocat. Et certè si salvandi apparebunt in corporibus gloriosis, & Justi fulgebunt, tanquam sol in Regno DEI, à fortiori id tenendum de ipso Domino Justorum, & Bonorum.

Quæri potest 6. *Utrùm & Angeli* (qui omnes descendunt cum illo) *assumpturi sint corpora gloriosa?* ℞. Id valde credibile esse. Alioquin enim hæc Christi gloria, & potentia non posset videri: ab impijs, quorum tamen causâ præcipuè exhibebitur, néque innumerabilis illa multitudo, si videri non posset, augeret illius extrinsecam Majestatem.

Quæri potest 7. *Quale signum illud sit futurum* de quo Matth. 24. dicitur: *Tunc* (hoc est: adveniente Christo Domino in judicium) *apparebit signum Filij hominis in Cœlo?* ℞. Per hoc signum omnes ferè SS. Patres, & Concilia intelligunt Signum Crucis, & hic sensus est, etiam ipsius Ecclesiæ, quæ in officio canit: *Hoc signum Crucis erit in Cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit.*

Quæri potest 8. *Quæ & qualis futura sit illa Crux?* ℞. Verisimilius esse ex nubibus & aëre formandam, ingentem quandam Crucem, eámque lucidissimam, & valde conspicuam, quæ visibilis sit ab omnibus judicandis, seu in Judicium adducendis, eámque præferendam ab Angelis, ante judicem, ut illis sit indicio eundem mox adfuturum.

Quæri potest 9. *Utrùm aliqui homines sint judicaturi cum Christo?* ℞. Judicaturos quidem cum Christo aliquos homines videtur clarè innuere Salvator ipse, Matth. 19. dum ait ad suos Apostolos: *Sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.* Præterea Isaiæ 3. dicitur: *Dominus ad Judicium veniet cum senibus populi.* Verùm hoc Judicium non erit Judicium Auctoritatis, *quod soli Filio dedit Pater*, Joan. 5 sed duntaxat Judicium intimationis, quatenus intimabunt Apostoli, & alij Viri perfecti, judicatis, sententiam, à Christo de ijsdem prolatam.

Quæri poteſt 10. *Utrùm omnes omninò homines in Judicio comparebunt?* ℞. Affirmativè. Nam Chriſtus conſtitutus eſt à DEO Judex, vivorum, & & mortuorum, ſed ſub his duabus differentijs continentur tam boni quam mali, Ergò omnes homines in hoc Judicio comparebunt. Præterea Apocalyp. 1. dicitur: *Ecce veniet in nubibus, & videbit eum omnis oculus.* Quod non eſſet, ſi non comparerent in hoc Judicio omnes homines.

Quæri poteſt 11. *An igitur & boni, & fideles, & jam Beati judicabuntur?* Cùm tamen Joan. 3. dicatur: *Qui credit in eum, non judicabitur.* Præterea Beati, qui jam ſunt in Cœlo, ſunt certi de ſua beatitudine. *Quod autem adducitur ad Judicium non eſt certum?* ℞. Etiam bonos, & Juſtos, ac fideles judicandos. Quia 2. ad Cor. 5. dicitur: *Omnes nos manifeſtari oppor-tet, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſive bonum: ſive malum.* Præterea. Univerſale omnia comprehendit, ſed illud Judicium erit univerſale,, Ergò omnes judicabuntur. Ergò & boni. Verùm non ad damnationem, ſed ad prœmiorum remunerationem, néque ad meritorum diſcuſſionem, ſi nullam alicujus mali admixtionem habent: ſic etiam, qui crediderunt in Chriſtum, fide verâ non judicabuntur, hoc eſt, non condemnabuntur, ſi conformiter ad veram fidem vitam ſuam inſtituerunt. Qui tamen boni & Juſti, ac fideles, habent aliquam admixtionem mali, etiam ij judicabuntur, quoad diſcuſſionem quoque meritorum; & pari modo ad tollendam certitudinem beatitudinis de cordibus ipſorum judicandorum Beati non judicabuntur, ſed ut præeminentia bonorum meritorum reſpectu demeritorum oſtendatur manifeſtè omnibus, & ſic DEI Juſtitia comprobatur. Pariter & mali judicabuntur, alio tamen modo mali infideles, alio fideles. Illi enim Judicio reprobationis ſimpliciter, juxta illud Joan. 3. *Qui non credit, jam judicatus eſt.* Fideles verò mali, Judicio diſcuſſionis. Quia cùm fides ſit fundamentum omnium bonorum operum, quâ infideles cùm careant, non habent permixtionem bonorum operum, vel meritorum vitæ æternæ ſicuti fideles. Ac proinde illorum opera non indigent diſcuſſione, bene tamen fidelium. Licet verò damnati de ſua damnatione ſint certi, quia tamen, qui erant fideles habent aliqua annexa, quæ pertinent ad bene merendum, oportet ad manifeſtationem Divinæ Juſtitiæ, ut diſcuſſio de eorum meritis fiat, præterquam ut oſtendatur eos juſtè à Sanctorum Civitate excludi, cujus futuros eſſe Cives, in hac vita multis videbantur. Infidelibus vero etiam infligetur pœna corporis, ſecundùm quantitatem delicti, & promulgabitur palàm cauſa eorum damnationis, hoc autem ſine deciſione Judicij eſſe non poterit. Ergò & illi judicabuntur, judicio ſcilicet reprobationis.

Quæri poteſt 12. *Utrùm & Angeli in futuro extremo Judicio judicabũtur.* cùm S. Pau.

S. Paulus 1. ad Cor. 6. dicat: *Nescitis, quoniam Angelos judicabimus.* Et præterea Petri 2. dicatur: *DEUS Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in Judicium reservari.* Ergò videntur saltèm mali Angeli esse judicandi? ℟. Cùm in bonis Angelis nihil mali reperiatur, neque in Angelis malis aliquid boni, nullo modo iisdem Judicium discussionis competere. Unde verba S. Pauli intelligenda sunt, de Judicio comparationis, quia quidam homines, quibusdam S. Angelis gloriâ superiores invenientur, Sancti autem Petri verborum sensus est: Quòd Dæmones in extremo Judicio cunctis videntibus præcipitabuntur, & in perpetuum carcerem detrudentur, ita, ut post hac non sit illis liberum egredi extra, quod tamen illis defactò conceditur subinde, ex Divina providentia ad hominum vitam exercendam: Ita S. Thomas part. 3. quæst. 29. art. 8. Unde consequens est, *omnes omninò Dæmones comparituros in Judicio.*

Quæri potest 13. *Utrùm etiam parvuli, qui sine Baptismo obiêrunt, in Judicio extremo sint comparituri, & quam sententiam habituri?* ℟. Affirmativè. Cùm enim sunt resurrecturi, cur non etiam in Judicio comparituri, & judicandi? Præsertim cùm Apostolus clarè testetur, Rom. 14. *quòd omnes ante tribunal Christi stabimus,* si omnes, cur non etiam hi? quorum sanè erit magna multitudo. Ad hunc enim numerum pertinent omnes, qui ante usum rationis per sex millia annorum inter infideles obiêrunt, & apud Christianos antè Baptismum mortui sunt, unde Lessius existimat non vanè hunc numerum ad mille milliones excursurum. Accipient etiam suam sententiam à Judice, sed benignam, quâ quidem à Cœlestibus gaudijs excludentur, sed simul ab æterna damnatione liberabuntur: Hinc gratulabuntur sibi, DEOque gratias agent, quòd non sint de horum numero, & quòd ante usum rationis fuerint ex hac vita evocati, quia major pars illorum, si ad ætatem adultam pervenissent in eandem damnationem incidisset, præsertim infidelium filij: habebunt autem cognitionem DEI eximiam, sed duntaxat naturalem, amabúntque DEUM amore naturali, ducéntque vitam longè jucundiorem, quàm in hoc mundo naturaliter haberi potest.

Quæri potest 14. *Utrùm post Resurrectionem, & in hoc Judicio quilibet cognoscet omnia sua peccata quæ fecit?* ℟. cum S. Thoma: Cùm in die Judicij sua cuique conscientia testimonium vitæ redditura sit, & cogitationes unumquémque accusaturæ & defensuræ sint, juxta illud Apostoli ad Rom. 2. *In die cùm judicabit Dominus, testimonium unicuique sua conscientia reddet,* & omnia opera hominum in Judicium sint ventura, oportet ut unusquisque omnium operum suorum notitiam habeat, juxta illud ejusdem Apostoli

ſtoli 1. ad Cor. 4. *Itáque nolite ante tempus judicare, quoad uſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum*, hoc eſt tenebroſas, & obſcuras, & occultas hominum cogitationes, & actiones, *& manifeſtabit conſilia cordium*, ſcilicet quo fine, & quâ intentione fecerit opera ſua, etiam in ſpeciem bona.

Quæri poteſt 15. *Quomodo DEUS illuſtrabit hæc ipſa tenebrarum abſcondita?* ℞. Illuminando mentem uniuſcujúſque hominis, & reducendo in memoriam omnia bona, vel mala quæ unquam fecit cum omnibus circumſtantijs neceſſarijs, & cognoſcenda ſecundùm rationem juſtitiæ, quid mereantur.

Quæri poteſt 16. *Utrùm unuſquiſque cognoſcet omnia peccata non ſolùm, quæ ſunt in ſua, ſed etiam in alterius conſcientia?* ℞. Affirmativè. Cùm enim oporteat in ultimo Judicio Juſtitiam Divinam omnibus apparere, neceſſe eſt etiam, ut cuilibet ſua, & aliorum prœmiatio, vel condemnatio manifeſta ſit, & per conſequens omnium merita, vel demerita, ex quibus ſententia Juſtitiæ Divinæ cognoſcetur. Ita S. Thomas part. 3. quæſt. 87. ar. 2.

Quæri poteſt 17. *Utrùm etiam peccata Electorum erunt omnibus manifeſta?* ℞. Affirmativè. Ratio eſt. Quia cùm illorum bona opera ſunt manifeſtanda, ac proinde etiam pænitentia, & confeſſio peccatorum, ac ſatisfactio pro illis, in ordine ad hoc, ut intelligatur ab omnibus æquitas Judicij Divini, conſequens eſt, ut manifeſtentur omnibus, etiam peccata eorundem. Hæc tamen manifeſtatio nullo aliquo pudore eos afficiet, ſed magìs inde miſericordia DEI elucefcet, & gloria, qui eoſdem gratiâ ſuâ tam mirabiliter adjuvit, & ex peccatoribus Juſtos, ex immundis mundos effecit, de quo DEI beneficio etiam gaudebunt, DEOque gratias in æternum ſunt acturi. Confirmatur idipſum ex Scriptura Sacra, Matthæi enim 11. dicitur: *Nihil opertum eſt, quod non revelabitur, & occultum, quod neſcietur.* Et Eccleſ. ultimo: *Cuncta quæ ſiunt adducet DEUS in Judicium, ſive bonum, ſive malum.*

Quæri poteſt 18. *Quid ſit ille Liber, in quo ſunt ſcripta nomina Electorum?* ℞. Hunc Librum non eſſe aliud, quàm memoriam Divinam, in qua continentur omnium, qui vitam æternam obtinebunt, & eorum bona opera, ut habetur Apocalyp. 20. *Vidi mortuos magnos, & puſillos, ſtantes in conſpectu Throni; & Libri aperti ſunt, & alius Liber apertus eſt, qui eſt vitæ: & judicati ſunt mortui, ex ijs, quæ ſcripta erant in Libris, ſecundùm opera ipſorum.* Hîc ponuntur duo Libri qui nunc quidem ſunt clauſi, ſed in die Judicij, uterque aperietur.

Quæri poteſt 19. *Quinam igitur eſt Liber conſcientiæ?* ℞. Librum conſcien-

ſcientiæ non eſſe unum, ſicut unus eſt Liber vitæ, ſed multiplicem pro multitudine Judicandorum: ſinguli enim ex propria conſcientia, & ex ijs, quæ ipſi in ſua conſcientia ſcripſerunt, judicabuntur. Nam ut habetur Daniel. 7. *Judicium ſedit, & Libri aperti ſunt*, hoc eſt: Judex ſedit, & mox omnium conſcientiæ patefactæ ſunt, quem in locum S. Hieronymus ſic ſcribit: *In die Judicij, Conſcientiæ & opera ſingulorum in utramque partem, vel bona, vel mala omnibus revelabuntur.*

Quæri poteſt 20. *Utrùm Judicium, ſeu ſententia Judicis in electos, & reprobos, locutione vocali proferetur?* ℟. Cum S. Thoma part. 3. quæſt. 88. art. 2. *Cùm propè infinitum tempus, requireretur in Judicio univerſali, ſi per locutionem fieret vocalem: probabilius eſſe, non per locutionem vocalem, ſed mentaliter proferri ultimam in judicandos à Judice ſententiam.* Ejuſdem ſententiæ quóque eſt S. Auguſtinus lib. de Civitate Dei, dum inquit: *Si liber, ex cujus Scriptura omnes judicabuntur carnaliter cogitetur* (hoc eſt pro libro materiali accipiatur) *quis ejus magnitudinem, aut longitudinem valeat æſtimare, aut quanto tempore legi poterit liber, in quo ſcriptæ ſunt univerſæ vitæ, univerſorum.* Non autem minus tempus requiritur ad narrandum oretenus ſingulorum facta, quàm ad legendum, ſi eſſent in libro materiali ſcripta, unde infertur probabiliter ea, quæ dicuntur Matth. 25. *Non vocaliter, ſed mentaliter in Judicio extremo peragenda.*

Quæri poteſt 21. *Utrùm etiam cauſæ ob quas electi ſalvabuntur, & reprobi condemnabuntur, ſint tantùm intellectualiter adducendæ, in extremo Judicio?* ℟. Tenendum eſſe, quòd etiam cauſæ ob quas hi ſalvantur, alij damnantur, tantùm ſpirituali modo proferentur, per ipſam videlicet operum omnium manifeſtationem, quæ præcedet ſententiam, & durabit etiam poſt ſententiam, unuſquiſque enim clarè intelliget cauſas in particulari, ob quas quiſque ſalvetur, vel damnetur.

Quæri poteſt 22. *Utrùm ſicut Angeli boni comparituri ſint in Judicio in aſſumptis corporibus glorioſis, ita dæmones ſint comparituri in corporibus?* ℟. Id valde eſſe credibile. Quia alioquin, ab impijs videri non poſſent, qui tamen tunc damnandis horribiles & terribiles aderunt, & in eoſdem furiosè rabiem ſuam exercebunt. Pertinet etiam ad gloriam Chriſti, & impiorum confuſionem, ut videantur, idque in tetra & abominabili ſpecie.

§ XVII.

De ſententiæ Judicis Executione, & mundi innovatione.

QUæri poteſt 1. *Quando fiet hæc ultima Sententiæ executio?* ℞. Statim latâ Sententiâ, neque enim ab hoc Judicio datur, ulterior apellatio, aut Judicij nova reviſio, vel alia ejuſdem confirmatio, cùm Judex ſit omnipotentiſſimus, omniſcius, juſtiſſimus, nec falli aut fallere, vel decipere aut decipi potens, & ſermo ejus efficaciſſimus, ac ſententia Judicis immutabilis, invariabilis, ac irrevocabilis.

Quæri poteſt 2. *Utrùm dæmones exequentur Sententiam Judicis in damnandos?* ℞. Cum S. Thoma part. 3. quæſt. 29. art. 4. *Damnandos poſt ſententiam latam in eos, à Judice, non tantùm rapiendos à dæmonibus, & unà ſecum præcipitandos ad tartara, verùmetiam in ipſo inferno per omnem æternitatem ab iiſdem torquendos, tanquam Juſtitiæ Divinæ miniſtros*, cùm enim homines peccatores ſe diabolo ſubdiderunt, peccando, juſtum eſt, ut eidem ſubjiciantur in pœnis, & quaſi ab eo puniantur, pœnâ à DEO pro peccatis uniuſcujúſque taxatâ.

Quæri poteſt 3. *Utrùm ignis ille conflagrationis, quo totus mundus ardebit, involvet damnatos?* ℞. Affirmativè. Ignis enim ille (qui durante adhuc Judicio extremo continuabitur) ſummâ vi irruet in damnatos, eóſque involvet, unà cum dæmonibus undique, & aperto ingenti hiatu terræ tota illa multitudo damnatorum unà cum dæmonibus eorundem raptoribus, in profundum inferni præcipitabitur. Colligitur id manifeſtè ex Scriptura Sacra. Nam Pſal. 96. habetur: *Ignis ante ipſum* (Judicem) *præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus* (poſt ſententiam Judicis.) Et Danielis 7. dicitur: *Fluvius igneus rapidúſque egrediebatur, à facie ejus*, nempe Judicis, ut peccatores traheret in gehennam, ut Gloſſa interlinearis habet.

Quæri poteſt 4. *Utrùm poſt Judicium extremum ſit futura mundi hujus innovatio?* ℞. Affirmativè. Rationem dat S. Thomas part. 3. qu. 91. art. 1. *Quia cùm mundus propter hominem ſit creatus, conveniens eſt, ut ſicut homo poſt Reſurrectionem glorificabitur, ita & mundus innovetur.* Porrò hanc Innovationem mundi futuram teſtatur multis in locis ipſa Scriptura Sacra. Ut Iſaiæ 65. *Ecce ego creo Cœlos novos, & terram novam & non erunt in memoriam priora.* Et Apoc. 21. *Vidi Cœlum, & terram novam, primum enim Cœlum, & terra abiit.* Et 2. Petri 3. *Novum Cœlum, & terram novam, ſecundùm promiſſa ejus expectamus.*

Quæri

Quæri potest 5. *Quomodo fiet hæc mundi renovatio?* ℟. Hanc renovationem non futuram per interitum substantiæ Cœlestium corporum, & Elementorum, & creationem novæ substantiæ præstantioris, sed per mutationem qualitatum eorundem in perfectiores, uti expressè docet S. August. lib. de Civitate Dei cap. 14. dum inquit: *Peracto Judicio, tunc esse desinet hoc Cœlum, & hæc terra, quando incipiet esse Cœlum novum, & terra nova, mutatione námque rerum, non omninò interitu transibit hic mundus.* Unde Apostolus ait: *Præterit enim figura mundi hujus.* Figura ergò præterit, non natura. Et S. Hieronymus ad cap. 66. Isaiæ: *Novos Cœlos, & novam terram videbimus.* Non dixit Petrus alios, & aliam terram, sed veteres & antiquos in melius commutatos. Atque in hoc sensu intelligenda sunt verba illa Scripturæ Sacræ, Psal. 107. *Ipsi* (nempe Cœli) *peribunt*, hoc est: quoad qualitatem, & formam extrinsecam, ut colligitur ex illo ipso textu, sequitur enim, *& omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.*. Vestis enim & operimentum quod invertitur, vel reparatur, cùm innovatur, non mutatur substantiâ sed specie externâ. Simili modo intelligendum est & illud Christi, Matth. 24. *Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*, quamvis hæc verba possint habere etiam alium sensum, nempe hunc: potiùs vel priùs Cœlum, & terra peribunt, quàm verba & prædictiones meæ in irritum cadant.

Quæri potest 6. *An igitur Cœlum & terra quoad substantiam manebunt in æternum?* ℟. Affirmativè. Patet id ex jam dictis, & confirmatur, Ecclesiast. enim 1. dicitur: *Terra autem in æternum stat.* Et Psal. 148. *Ipse dixit & facta sunt*, (Sol scilicet, Luna, & Cœli) *statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi.* Deinde de fide est, quòd Beati in æternum erunt in cœlo, & damnati in inferno. Ergò in æternum quoque erit Cœlum, & terra, utpotè in cujus medio, est infernus.

Quæri potest 7. *Utrùm autem hæc innovatio mundi fiet per mutationem illius, in majorem perfectionem, quàm defactò sit, vel ab initio fuerit?* ℟. Hanc mundi innovationem futuram, in longè perfectiorem statum illius. Nam Isaiæ 30. dicitur, *Erit tunc* (hoc est post innovationem mundi) *lux Lunæ, sicut lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum.* Hoc est: septuplo major & clarior quàm nunc sit. Et credibile est reliquas quóque stellas, illustriores longè tunc fore quàm defactò sint, & innumerarum stellarum multitudinem, quæ nunc apparent, tunc vi lucis illarum, apparituras.

Quæri potest 8. *Utrùm etiam Elementa tunc innovabuntur per receptionem alicujus claritatis.* Respondet Affirmativè. S. Thomas par. 3. qu. 91. ar. 4. sic scribens & concludens: *Unde omnia Elementa claritate quâdam vestientur,*

non tamen æqualiter, sed secundùm suum modum; terra enim erit in superficie exteriori, pervia, sicut vitrum, aqua sicut cryſtallus, aër ut Cœlum, ignis ut luminaria cœli.

Quæri poteſt 9. *Utrùm poſt innovationem hujus mundi motus Cælorum ceſſabit?* ℞. Rationes eſſe pro parte negativa, nec parvas, nec contemnendas. Quam ut ego tenui Decadis 1. Diſſertatione 1. §. 5. Nam præter ea, quæ ibi adducta ſunt primò Geneſis 1. habetur: Corpora Cœleſtia hoc fine facta ſunt à DEO, *ut dividant diem, ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & noctes, & dies, & annos*, quod non poſſunt facere, nisi per motum. Ergò motus eorum ſemper manebit, aliàs fruſtrarentur ſuo fine. Secundò. Motus Cœleſtium corporum eſt eorundem perfectio. In illa autem innovatione mundi, omnia meliorabuntur, & in melius mutabuntur. Quod non fieret, ſi quæ res privaretur ſuâ perfectione. Ergò manebit à fortiori in corporibus Cœleſtibus, etiam hæc illorum naturalis perfectio. Tertiò. Fruſtrà eſt potentia, quæ non redigitur in actum. In corporibus autem Cœleſtibus eſt potentia imò naturalis inclinatio, & exigentia ad motum circularem, præſertim in illorum ſententia, quæ tenet (quod probabilius eſt) quòd aſtra, & corpora Cœleſtia moveantur ab intrinſeco. Ergò eorum potentia ſeu exigentia, quæ etiam poſt innovationem mundi manebit in ijſdem, debebit etiam tunc reduci ſeu redigi in actum, hoc autem fieri non poterit, nisi per motum. Ergò ſemper movebuntur. Quartò. Sol ſucceſſivè illuminat diverſas partes mundi, ſecundùm quod circulariter movetur. Si ergò motus Solis ceſſaret, ſequeretur quòd in aliqua parte orbis, ſemper eſſet obſcuritas, quod non convenit illi innovationi. His tamen non obſtantibus manet ſua probabilitas ſententiæ contrariæ, quòd ſcilicet poſt innovationem hujus mundi, ceſſabit omnis motus, Solis, & Lunæ, & aliorum corporum Cœleſtium, & conſequenter viciſſitudo, diei ac noctis, hyemis, & æſtatis, æſtûs, & frigoris, eritque ſemper eadem facies Cœli, & terræ, eadem ſerenitas, & pulchritudo, aberunt nubes, & venti, pluviæ, & grandines, nives, & glacies. Atque hanc ſententiam docet S. Thomas par. 3. qu. 91. ar. 2. Et Leſſius de perfectionibus Divinis, cap. 23. Ratio cujus eſt. Quia Apocalypſ. 10. dicitur, quòd *poſt diem extremum Judicij, tempus ampliùs non erit*, ſed ſi non eſt tempus, non eſt motus Cœli, per quem tempus efficitur. Ergò motus corporum Cœleſtium tunc non erit. Præterea Iſaiæ 80. habetur: *Sol non occidet ampliùs, & Luna non minuetur.* Sed occaſus Solis, & diminutio Lunæ, cauſatur ex motu corporum Cœleſtium. Ergò motus corporum Cœleſtium, aliquando ceſſabunt. Quamvis hæ duæ Authoritates Scripturæ Sacræ poſſent alio modo interpretari. Prima quidem

dem quòd non erit ampliùs tempus post diem extremum Judicij, agendi pœnitentiam, vel merendi, aut demerendi. Altera autem, quòd in Cœlo Empireo, quod est sedes Beatorum, non erit occasus Solis, & diminutio Lunæ, nam ut ibidem additur, *quia Dominus eis erit in lucem sempiternam.* Tertiò. Quia motus corporum Cœlestium est, propter continuam generationem in istis inferioribus. Sed omnis generatio cessabit post diem Judicij extremi, & completo numero Electorum. Ergò & motus corporum Cœlestium.

Quæri potest ultimò. *Utrùm plantæ, & animalia manebunt, in illa mundi innovatione?* ℟. Cum S. Thoma citatâ quæstione, art. 5. *Cùm nihil sit, quod pertineat ad illam innovationem, nisi quod ad incorruptionem possit ordinari.* Animalia autem, & plantæ, non possint ad incorruptionem ordinari, Ergò animalia, & plantæ non remanebunt, in illa innovatione mundi. Præterea cessante fine, cessare debet id quod est ad finem, sed facta sunt ad animalem vitam hominis sustentandam. Ergò si animalis vita per illam innovationem mundi, non erit in homine, nec plantæ, nec animalia remanere debent.

§. XVIII.

De statu Beatorum post Resurrectionem.

Quæri potest 1. *Utrùm Sancti post Resurrectionem DEUM corporalibus oculis videbunt?* ℟. Cùm visus, & oculus corporeus, nihil aliud percipiat, quam lucem colorem, ac magnitudinem, DEO autem neque magnitudo, néque lux materialis competat, Sancti néque post Resurrectionem, corporalibus oculis DEUM secundùm se, & immediatè videbunt, & intuebuntur, sed solùm oculis mentis ejusdem essentiam, seu DEUM prout est in se, intuitivè videbunt, & contemplabuntur. Nam ut S. Ambrosius dicit in Lucam titulo de Angeli apparitione: *Nec corporalibus oculis DEUS quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur.* Et S. Hieronymus super illud Isai. 1. Vidi Dominum. *Beati non solùm Divinitatem Patris, sed nec Filij, nec Spiritûs Sancti, oculis carnis possunt aspicere, seu videre, sed oculis mentis de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.* Et rursus ibidem: *Res incorporalis, corporalibus oculis non videtur.* Atqui DEUS est maximè incorporeus. Ergò. Præterea secundùm id potest homo conspicere DEUM secundùm quod factus est ad imaginem DEI, ut S. Augustinus ait: lib. 14. de Trinitate. *Sed homo factus est ad imaginem DEI, secundùm mentem non*

secundùm carnem. Ergò mente & non carne, seu carneis & corporeis oculis DEUM videbit.

Quæri potest 2. *Utrùm saltèm animæ corpore resumpto clariùs sint visuræ DEUM, quàm antea?* ℟. Multos Doctores, & etiam SS. Patres, & nominatim S. Augustinum, & S. Bernardum ita sentire: *Quòd scilicet animæ corpore resumpto, clariùs sint visuræ DEUM, quàm antea,* idque ex eo, quòd putent animas separatas, corporis sui desiderio retardari, ne totâ intentione ferantur in DEUM, quo impedimento carent resumpto glorioso suo corpore. Verùm Lessius lib. de Summo Bono cap. 2. cum multis alijs, & à se ibidem citatis, contrarium probabilius esse existimat: *Nimirùm animas Sanctorum nec clariùs, nec perfectiùs amaturas DEUM, post Resurrectionem corporum quàm antè.* Ratio ipsius est. Quia amor in Beatis commensuratur visioni, visio verò commensuratur lumini gloriæ, sed lumen gloriæ non crescit per resumptionem corporum. Ergò nec visio, & consequenter, nec amor.

Quæri potest 3. *In quo igitur consistit Beatitudo corporum glorificatorum?* ℟. Beatitudinem corporum glorificatorum potissimùm consistere, in quatuor eorundem dotibus. Quæ sunt hæ: 1. Impassibilitas, seu immortalitas. 2. Claritas. 3. Agilitas. 4. Subtilitas, quas S. Paulus simul complexus est, ad Corinth. 15. v. 43. sequentibus verbis: *Seminatur in corruptione,* scilicet humanum corpus in terra conditur (uti solet semen) post mortem, seu sepelitur, & corrumpitur, *surget in incorruptione,* hoc est corpus illud corruptum, surget incorruptibile, & impassibile. *Seminatur in ignobilitate,* cadavera enim valde vilia sunt & ignobilia, *surget in gloria,* hoc est: surget cum maxima gloria, splendore, & claritate. *Seminatur in infirmitate,* nam corpora mortuorum sunt infirma, & invalida, cùm nec tantillum se movere valeant, *surget in virtute,* idest: cum potentia & robore, celerrimum & agilissimum. *Seminatur corpus animale,* quod vixit, vitâ vegetativâ & sensitivâ, ut animalia, egens cibo, ac potu, *surget corpus spirituale,* id est: spiritui simile, non egens cibo, vel potu, subtile, leve, penetrabile.

Quæri potest 4. *In quo consistat impassibilitas glorificatorum corporum?* ℟. In eo quòd sit perfecta immortalitas, quæ non solùm dissolutionem substantiæ, seu dissolutionem animæ à corpore excludit, sed etiam, omnem impressionem molestam, quæ ab ulla causa extrinseca inferri queat. Nam ut vaticinatur S. Joannes Apocalyp. 12. v. 4. *Mors* (apud Beatos) *ultra non erit; neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt, sicut est vita mortalis ærumnis plena.*

Quæri potest 5. *Unde oriatur hæc glorificatorum corporum impassibilitas?* ℟. Tres modos poni à Theologis, hujus glorificatorum corporum impassibili-

bili-

bilitatis. Primus eſt per providentiam DEI extrinſecam, quâ DEUS vult ac ita diſponit, ut corpora Beatorum, non ſinat diſſolvi, vel lædi. Secundus eſt, per ſubtractionem concursûs, in cauſis internis, & externis, ne poſſint corpora Beatorum lædere, aut aliquâ moleſtiâ afficere. Tertius eſt per qualitatem ſupernaturalem, corporibus Beatorum communicatam, quæ vi ſuâ excludat, omnes læſiones, & noxias alterationes.

Quæri poteſt 6. *Utrùm hæc impaſſibilitas eſt in omnibus corporibus æqualis?* ℞. Cum S. Thoma par. 3. qu. 81. art. 2. *Hanc impaſſibilitatem, ſecundùm ſe conſideratam, prout ſcilicet eſt negatio vel privatio paſſibilitatis in omnibus corporibus Beatorum, eſſe æqualem, non item ſecundùm cauſam, quæ eſt dominium animæ ſuper corpus, hæc enim erit in uno Beato major, quàm in altero.* Ratio primi eſt. 1. Quia æqualiter habebunt hoc, quòd nihil pati poſſint. In hoc autem conſiſtit impaſſibilitas. Ergò. 2. Quia negationes non patiuntur majus & minus, ſed impaſſibilitas eſt negatio quædam vel privatio paſſibilitatis, Ergò non poteſt eſſe major in uno quàm in altero. Ratio autem ſecundi eſt. Quia cauſa hujus impaſſibilitatis eſt dominium animæ ſupra corpus, hoc autem dominium poteſt eſſe majus, vel minus, oritur ſiquidem ex hoc, quòd anima immobiliter fruatur DEO, quæ fruitio in Beatis eſt major, vel minor, prout ex ijs quidam fuerint alijs majores, vel minores merito. Ergò.

Quæri poteſt 7. *Qualis ſit, & in quo conſiſtat claritas corporum glorificatorum?* Hanc claritatem conſiſtere in fulgore, & admirabili luce, quæ non ſolùm erit in extima ſuperficie corporis, ſed etiam in intimis partibus, neque ſolùm in facie, ſed etiam in toto corpore. Probatur id authoritate Scripturæ Sacræ, Matth. enim 13. dicitur: *Juſti fulgebunt ſicut ſol in Regno Patris eorum.* Et Danielis 12. v. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt tanquam ſplendor firmamenti; & qui ad Juſtitiam erudiunt multos, tanquàm ſtellæ in perpetuas æternitates.* Et ad Philipp. 3. v. 21. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.*

Quæri poteſt 8. *Utrùm hæc claritas erit inæqualis in corporibus Beatorum?* ℞. Affirmativè. Patet id ex illo S. Pauli 1. ad Corinth. 15. v. 41. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum, Stella enim à Stella differt claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.*

Quæri poteſt 9. *Unde hæc claritatis diverſitas corporum glorificatorum proveniat?* ℞. Eam provenire, à gloria animæ in corpus redundante. Unde ſicut major gloria animæ provenit, à majori merito illius, ita & major claritas corporis, à majori gloria animæ. Imò in uno eodémque corpore membra illa, & partes corporis, quæ magis paſſæ ſunt, pro DEO & Juſtitia, vel

magis

magis cooperatæ sunt ad meritum, præ cæteris majorem habebunt claritatem. Ut v. g. vulnera in Sanctis Martyribus, quæ sustinuerunt, in confessione Fidei.

Quæri potest 10. *Utrùm corpora Beatorum non obstante hoc fulgere retinebunt adhuc nativum suum colorem?* ℞. Affirmativè. Quia donum supernaturale claritatis, non destruet perfectionem corporis humani, cujusmodi etiam est, nativus color illius, neque hic habet repugnantiam cum luce. Ergò.

Quæri potest 11. *Utrùm gloriosum corpus necessariò debeat videri?* ℞. Cùm corpus gloriosum sit futurum, maximè obediens animæ, ideò in potestate animæ fore, ut videatur, vel non videatur. Deinde corpus nostrum glorificabitur, in conformitate Corporis Christi post Resurrectionem. Sed Corpus Christi post Resurrectionem, non necessariò videbatur, imò disparuit ab oculis Discipulorum in Emaus. Ergò corpus glorificatorum non necessariò videbitur.

Quæri potest 12. *Quid sit, & in quo consistat agilitas corporum glorificatorum?* ℞. Hanc agilitatem esse vim quandam supernaturalem Beatis collatam, per quam possunt movere, corpora sua, simplici impetu in quamvis mundi partem, incomprehensibili celeritate. Nam ut ait S. Anselmus lib. de Similitudinibus cap. 51. *Velocitas tanta corpora Beatorum comitabitur, ut Beati Angelis DEI æquales in celeritate futuri sint, qui è Cœlo ad terras, & è converso, dictò citiùs delabuntur.* Quod confirmatur etiam ex Scriptura. Nam Isaiæ 40. dicitur. *Current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Et cap. 3. *Tanquam scintillæ in arundineto discurrent.*

Quæri potest 13. *Utrùm hæc vis erit in ipso corpore, vel solùm in anima, cujus est movere corpus.* ℞. Eam fore in anima. Nam ut inquit S. Augustinus lib. 22. de Civitate Dei cap. ultimo: *Certè inquit ubi volet spiritus, ibi erit, protinus & corpus, sicut Angeli.* Et ibidem lib. 13. cap. 8. dicit: *DEUM præstare posse animabus perfectissimè beatis, ut corpora sua ubi volunt ponant, & quo volunt agant, situ motúque facillimo.*

Quæri potest 14. *Si hæc vis est in anima, quomodo numeratur inter dotes corporis?* ℞. Lessius lib. 3. de Summo Bono num. 15. *Quia ejus effectus, nempe motus, ad corpus pertinet, & in corpore perficitur, ac cernitur.*

Quæri potest 15. *Utrùm Beati per hanc dotem moveantur in instanti, hoc est transeundo ab uno extremo, ad aliud extremum, sine medio.* ℞. Cum S. Thoma part. 3. quæst. 84. art. 3. *Corpora gloriosa cùm maneant in natura corporis, ideóque determinatum situm habeant, consequenter moveri in tempore, & non in instanti, ita tamen ut hoc tempus sit brevissimum, ac instar momenti, imperceptibile.*

Quæ-

Quæri poteſt 17. *An hæc dos agilitatis, ſit æqualis in omnibus corporibus Beatorum?* ℞. *Credibile eſſe, non fore æqualem in omnibus, ſed diverſam pro diverſitate meritorum: Quæ tamen diverſitas non erit valde notabilis, quia omnes breviſſimo tempore, ſe ubivis, ſiſtere poterunt.* Ita Leſſius lib. 3. de ſummo Bono cap. 6. v. 82.

Quæri poteſt 18. *Quid ſit, & in quo conſiſtat dos ſubtilitatis corporum glorificatorum?* ℞. Per dotem ſubtilitatis intelligi vim penetrandi alia corpora: Conſiſtit autem hæc vis penetrandi, alia corpora, non in eo quòd corpora Beatorum ſint vertenda in ſpiritum, nec quòd oſſibus & carne careant, ſed quòd ſicut ſpiritus pertranſire poteſt quæcunque corpora, illis illæſis, ita & corpora glorificata, & in hoc ſenſu corpus glorificatum, dicitur ſpirituale, juxta illud S. Pauli 1. ad Corinth. 15. *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* Quemadmodum igitur Chriſtus in ſua Reſurrectione, ſepulchrum penetravit glorioſo ſuo corpore, immoto ſaxo, & ad diſcipulos ſuos venit januis clauſis, & ad Cœlum Empyreum aſcendit, non disjunctis illius partibus; ita & corpora glorificata pollebunt hâc vi, ac virtute, non ſecùs ac radius ſolis, vitrum penetrat, vitrum tamen nec dividit, nec lædit.

Quæri poteſt 19. *Utrùm corpus glorioſum, ratione ſuæ ſubtilitatis, ſit impalpabile?* ℞. Negativè. Ratio eſt, Quia Salvator noſter in corpore glorioſo reſurrexit, & tamen corpus palpabile habuit, ut patet Lucæ ultimò. *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet*, ita tamen corpus glorioſum eſt palpabile, ut ad nutum animæ poſſit, ſi ea voluerit, reddi ab alio corpore non glorificato, non palpabile, ſicut ab eadem anima, ratione claritatis poteſt reddi, viſibile, vel inviſibile.

Quæri poteſt 20. *Utrùm in Beatis poſt Reſurrectionem ſint omnes ſenſus in actu? Quæſtio hæc intelligenda de actu ſecundo, ſeu de ipſo ſenſuum uſu. nam in actu primo remoto nullum eſſe poterit dubium, cùm potentiæ ſenſitivæ, ſic acceptæ, realiter ſint ipſi animæ rationali identificatæ.* Et reſpondetur affirmativè. Rationem dat S. Thomas par. 3. qu. 2. art. 4. *Quia potentia conjuncta actui eſt perfectior, quàm non conjuncta, ſed natura humana erit in Beatis, in maxima perfectione*; Ergò erunt ibi omnes ſenſus in actu. Deinde corpus glorioſum præmiabitur propter merita animæ. Ergò à fortiori præmiabuntur & omnes ſenſus, qui immediatè cooperati ſunt animæ, ad meritum.

Quæri poteſt 21. *Utrùm ſenſus externi omnes, habituri ſint in Beatis ſuas oblectationes?* ℞. Cum Leſſio lib. 3. de ſummo Bono cap. 8. Affirmativè. Primò. Quia aliàs fruſtrà reſumerentur ab anima cum corpore, Ergò ſicut corpus habebit ſuam Beatitudinem, ita & omnes externi ſenſus. Secundò.

Anima non solùm est Rationalis, sed etiam sensitiva, & in utraque parte est capax oblectationum & vitæ cujusdam beatæ. Ergò non solùm in parte Rationali debet beari, sed etiam in parte sentiente, quod fiet perceptione præstantissimorum objectorum sensibilium, singulis sensibus accommodatorum. Tertiò. *Sancti plurimas afflictiones subierunt, & multas mortificationes susceperunt in sensibus externis, amore DEI, & imitatione Christi.* Atqui teste S. Paulo: *Si compatimur Christo, & conglorificabimur cum eodem.* Ergò conveniens est, ut Beati in ijsdem recipiant singulares oblectationes. Quartò. Damnati in omnibus sensibus patientur maxima tormenta. Ergò à fortiori & Beati in ijsdem maxima solatia. DEUS enim est pronior ad remunerandum, quàm ad puniendum.

Quæri potest 22. *Quænam igitur in Cœlis sit futura oculorum Beatitudo, seu oblectatio?* ℟. Visum in corporibus glorificatis habiturum suam Beatitudinem, & summam oblectationem, in aspectu tot corporum Beatorum, & glorificatorum, & tot centenorum millionum formosissimorum hominum, respectu cujus formositatis, omnis hujus mundi facierum, & personarum formositas, est mera deformitas, maximè verò in aspectu corporis Christi Domini, & Beatissimæ Virginis. Horum enim pulchritudo maxima est, quæ sub sensum cadere potest. Ita ut S. Augustinus dixerit in manuali. *O anima si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria videre possemus, nonnè dignum esset pati hoc omne?* Cui visioni accedit, quòd Beati sese invicem omnes è propinquo videbunt, deinde, quòd sint inter se amicissimi, quantò autem nobis quis charior est, tantò illius pulchritudine plus delectamur, & majori voluptate aspectu ejusdem fruimur, insuper, quòd aspectus hic erit clarissimus, & perfectissimus, ac planè jucundissimus, & affectuosissimus. Secundò. In aspectu & visu amœnissimo illius Cœlestis habitaculi, cujus pulchritudo, & Majestas, nec verbis exprimi, nec mente concipi potest. Si autem in hoc mundo, in hoc exilio, in hac lachrimarum valle, tantoperè visum nostrum oblectat, hortorum amœnitas, ædificiorum majestas, sylvarum, pratorum, aquarum, segetum, arborum, florum, camporum, colorum varietas, solis, lunæ, stellarum, ac Cœlorum pulchritudo, thesaurorum, gemmarum, aureæ, & argenteæ suppellectilis, & pretiosorum lapidum elegantia, quantò major erit in Cœlesti patria, visûs, & oculorum oblectatio! Quantò enim Cœlum superat terram, patria exilium, status Beatorum & filiorum, statum peregrinorum, Regium Palatium, squalidos carceres, tantò ibi debent esse omnia pulchriora & præstantiora. Putant aliqui, etiam Angelos assumpturos corpora aërea, lucidissima, ut se hominibus accommodent, & eorum ocu-

los

ios suâ specie oblectent. Quanta igitur erit oblectatio, & voluptas videndo novennos Angelorum Choros, ac præter hos, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum ordines, Martyrum copiosissimos exercitus, & quidem omnes ac singulos clarissimè, ac distinctissimè.

Quæri potest 23. *Quænam in Cœlo sit futura sensûs audiendi, Beatitudo, & oblectatio.* ℟. Sensum audiendi suam Beatitudinem habituram, in perceptione svavissimi cantûs, quo Beati omnes DEUM laudabunt. Hujus enim svavissima voluptas tanta erit, ut de ea verissimè dicatur, nec auris audivit, & addi potest, nec in cor hominis ascendit, fore enim in Cœlis cantum vocalem, dubium nullum est. Nam ut Psal. 149. habetur: *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exaltationes DEI in gutture eorum*, hoc est: ora eorum Divinas celebrabunt laudes. Unde sæpè in Psalmis, & Apocalypsi Joannis, mentio fit, Cantici novi, Quòd *Sancti in Cœlo Domino cantabunt*. Accedit his etiam ratio, Beati enim constabunt corpore & animo, oportet igitur, ut non solùm animo, sed & corpore DEO serviant, nempè, laudando DEUM, eidémque gratias agendo, non solùm mente, sed & ore misericordias ejusdem in æternum decantando. Præterea cùm duo sint incitamenta ad musicam & cantum; nempè amor, & gaudium, fit ut Sancti quia sunt amore Divino accensissimi, & gaudio plenissimi, promptissimè incitentur, ad DEUM laudandum in Hymnis & Canticis. Unde S. Gregorius lib. 8. cap. 39. meritò ait: *In illa æterna Patria, cùm Justorum mens in exultationem rapitur, lingva, in cantum laudis elevatur.* Quivis igitur ibi laudes Divinas modo sibi accommodato, canit, Angeli voce spirituali, homines etiam corporali. Quanta verò sit futura voluptas, Cœlestis illius musicæ colligi potest, ex multitudine, & peritia, harmonia, svavitate modulorum, & flexionum vocis, Angelicorum, & Cœlestium illorum Musicorum, *Erit enim vox eorum, sicut citharœdorum citharizantium.* Apocalyp. 14. ubi per citharas intelligitur, quælibet modulatio, & Hymnodia, quâ ore unisono Sancti uniformiter laudant DEUM, eritque numerus eorum millia millium, vel ex solis Angelis Apocalyp. 5. Et ut Græca Complutensia addunt: μυριάδες μυριάδων, id est: innumeræ miriades, ubi Joannes Apostolus, & Evangelista alludit ad illud Danielis 7. v. 10. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*, quæ faciunt centum milliones, quibus tamen verbis non significatur numerus certus, & definitus, sed indefinitus, isque maximus, & longè major quàm expressus sit definito hoc numero. *His accedit Canticum illud, quod non poterant dicere, quàm centum quadraginta quatuor millia* Apocal. 14. Item *Vox turbarum multarum in Cœlo dicentium, Alleluja.* Unde meritò S. Augustinus,

ſpe futuræ hujus auditûs delectationis, lætiſſimus exclamat: *Felix ego, & in perpetuum felix, ſi poſt reſolutionem hujus corpuſculi audire meruero, illa cantica Cœleſtis melodiæ. Fortunatus ego, nimiúmque Beatus, ſi & ego ipſe, meruero cantare ea, & aſſiſtere Regi meo, DEO meo, Duci meo, & cernere eum in gloria ſua.* Et certè ſi Angelus quondam unico per chelyn ductu, Sanctum Franciſcum Seraphicum, inter acutiſſimos morbi dolores, uſque adeò exhilaravit, ut oblitus omnium ſuorum dolorum, ſe jam in orbem alterum delatum crederet, quantum liquidiſſimæ voluptatis, dabit illud Cœleſte, à tot Angelorum, Virginum, ac Beatorum millibus concinendum melos.

Quæri poteſt 24. *An & quas oblectationes ac Beatitudines habebunt in Cœlo reliqui tres Senſus externi, nempè: Odoratus, Guſtus, & Tactus?* ℞. Affirmativè. Et quidem Primò, Senſus odorandi; ſuam felicitatem, ac Beatitudinem habebit, in ſvavitate odoris, quem corpora Beatorum, & locus ipſe diffundet, ut docet Suarez 3. part, diſp. 47. ſect. 6. Ratio cujus deſumitur à contrario, *Si enim in Inferno futurus eſt, fœtor deterrimus, & ipſa corpora damnatorum fœtidiſſima, cur non credamus in Cœlo fore odorem ſvaviſſimum, & corpora Beatorum odorem flagrantiſſimum ſpargentia.* Ut arguit Leſſius lib. de ſummo Bono cap. 8. n. 102. *Certè hæc perfectio illum ſtatum Beatitudinis maximè decet, præſertim cùm de plurimis Divorum conſtet, eorum corpora aut mox à morte, aut etiam poſt aliquot annorum ſpacia, reſeratis monumentis inuſitatum, & vix explicabilem odorem ſparſiſſe.* Secundò. Senſus guſtandi ſuam voluptatem habebit, non quidem in perceptione cibi, & potûs, ſed humoris cujuſdam ſvaviſſimi, qui lingvam, palatum, & interiora, mirificè imbuet & delectabit. Juxta illud Pſalmiſtæ 35. *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, torrente voluptatis potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ.* Tertiò. Senſus tactûs voluptatem ſuam percipiet, tum ex aura Cœleſti, tum ex Cœleſtis corporis attactu, tum ex intimo ſenſu optimi temperamenti. Quidquid enim in Cœlo tangi poteſt, gratiſſimam ad tactum corporis proportionem habebit. Carebit item omni planè dolore, immune erit ab omni omninò moleſtia & incommoditate. *Mors enim ibi ultra non erit, néque luctus, néque dolor erit ultra*, Apocalyp. 21. v. 4. Et ut S. Anſelmus cap. 54. de ſimilitudinibus ait: *Omnia quæ alicujus in ſe viciſſitudinis, mutabilitatis, ac læſionis, ſuſpicionem præbere queant, procul inde arcentur & repelluntur.* Et cap. 57. addit: *Quòd ſicut damnati, in omnibus ſenſibus & membris, habebunt ſummos dolores, eodem modo, ſed contrariâ conſideratione, & Sancti ineffabili modo beabuntur, in omnibus ſenſibus & membris.*

Quæri poteſt 25. *Utrùm etiam potentia immaginativa, & appetitus ſenſitivus,*

sitivus, habebunt suam quóque Beatitudinem, sibi proportionatam in Beatis? ℟. Affirmativè. Imaginativæ siquidem potentiæ, bonum consistit in præsentatione objectorum præstantissimorum, quæ sensibus externis percipiuntur. Spiritûs verò sensitivi, in delectatione, quæ ex tali imaginatione sequitur. Beati autem resumptis corporibus habebunt apprehensiones in imaginativa potentia, objectorum præstantissimorum, modo potentiæ huic congruenti. v. g. Apprehendendo DEUM, ejúsque essentiam (quam per intellectum vident) permodum infinitæ lucis, & dulcedinis animæ, unde percipiet suam delectationem, imaginatrix potentia, & consequenter etiam appetitus inferior, seu sensitivus ex tali imaginatione.

§. XIX.

De alijs Gaudijs Beatorum, & quasi Complementis statûs æternæ Beatitudinis.

PRæter Beatitudines animæ & corporis Sanctorum, de quibus hactenus egimus, restant adhuc alia, statum Beatorum concernentia, quæ sunt felicissimi illius statûs quasi quædam complementa: atque inter hæc, Primum complementum est. Locus seu habitatio Beatorum, de qua sequentibus propositionibus agemus.

Propositio prima. Quidquid dicatur, scribatur, cogitetur, de pulchritudine Cœli Empyrei, seu habitaculi Beatorum, minus est re ipsâ, seu reali illius pulchritudine. *Oculus enim non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ DEUS præparavit, ijs, qui diligunt eum.* 1. ad Corintheos 2. v. 6.

Propositio secunda. Altitudò hujùs Cœlestis habitaculi, est summa, & vix intellectu satìs comprehensibilis. Cœlum enim Empyreum longè superat altitudine Cœlum Sydereum, seu Stellarum, quod tamen ex opinione Astronomorum distat à terra milliaribus Romanis 161884923. quæ faciunt milliaria germanica trigesies octies millena millia, octingenta nonaginta tria millia, & quinquaginta.

Propositio tertia. Amplitudo hujus Domûs Cœlestis est quasi immensa Unde Baruch attonitus exclamat cap. 3. v. 24. *O Israël, quàm magna est Domus DEI, & ingens locus possessionis ejus!* Totus siquidem hic terræ globus, punctulum est respectu Cœli. Jam si Sol secundùm Astronomos, qui solùm Cœli quasi quidam orbiculus est, universam terræ molem centies octuagesies, magnitudine suâ superat, quantæ igitur magnitudinis erit, & quàm

quàm latè patebit Cœlum ipſum! Sunt qui aſſerant, quòd ſi divideretur Cœlum Empyreum inter omnes Beatos, per partes æquales, unicuíque obveniret tantum ſpacij, quanta eſt convexitas totius globi terraquei, ſeu totius terræ mundi. Alij etiam ajunt: Quòd ſi DEUS ex ſingulis arenæ granulis, quæ ſunt in littore Maris, ſingulos crearet orbes terrarum, omnes tamen ij, immenſa Cœli ſpacia non implerent. Sed hæc res magìs patebit ex mox dicendis.

Propoſitio quarta. Utrùm Sedes hæc, & Habitatio Beatorum, ſit quadratæ figuræ, aut verò rotundæ. Reſpondeo. Æquè unum ac alterum probabile eſt. Pro figura quadrata ſunt verba illa S. Joannis Apocalyp. 21. v. 16. *Et Civitas* (loquitur autem de Cœleſti Jeruſalem) *in quadro poſita eſt.* hoc eſt: non tantùm quadrangula, ſed etiam quadrata, ita ut omnia latera ſint æqualia, *Et longitudo ejus tanta eſt, quanta & latitudo, & longitudo & altitudo ejus æqualia ſunt.* Quæ verba S. Clemens, S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Molina, Monochius, & Conimbricenſes accipiunt in literali ſenſu de Cœlo Empyreo. Alij tamen eadem verba intelligunt in ſenſu Myſtico, & ideò Cœlo Empireo attribuunt rotundam, ſeu ſphœricam figuram, utpotè quæ eſt quadratâ figurâ, & alijs omnibus figuris perfectior, capacior, fortior. Hinc qui primæ adhærent ſententiæ, ejuſdem Civitatis Cœleſtis amplitudinem colligunt ex mox ſequentibus S. Joannis verbis: *Et menſus eſt Civitatem, in diametrum Civitatis, per ſtadia duodecim millia.* Unumquodque igitur latus Civitatis habebat ſtadia tria millia hoc eſt 375. milliaria Italica, totius verò ambitus erat milliarium 1500. Et cùm etiam altitudo hujus Civitatis ſit æqualis longitudini & latitudini contineri poſſe in illa Civitate Cœleſti, plus quàm bis centena millia millionum incolarum, qui numerus, ut expleatur, non ſufficeret tota duratio mundi, quæ communiter ſtatuitur eſſe ſex millium annorum, eſto toto illius temporis decurſu, ſingulis horis diurnis, & nocturnis, nullâ factâ interruptione quaterna hominum millia Cœlum ſubintrarent, uti ratiocinatur *Aleazar* apud *Tyrinum*, in citatum textum. (Utinam verò vel quatuor homines ſingulis horis ſalvarentur! utinam, non dico horis ſingulis, ſed ſingulis diebus & ſingulis noctibus. Dico utinam, quia longè minor eſt ſalvandorum numerus.) Qui verò alteram amplectuntur ſententiam, quoad figuram Cæli Empyrei, ij incomparabiliter debent admittere majorem ejuſdem magnitudinem, præſertim ſi dicant Cœlum Empyreum eſſe continens totius Cœli Syderei, & hoc eſſe contentum illius, ſicut major, & altior, ſeu ſuperior ſphœra continet ſub ſe minorem, & inferiorem, eámque includit in ſe. Quamvis ex his quóque *Tyrinus* veriſimiliùs eſſe putet, etiam ad Literam, uti ſonat citatus tex-

tus,

tus, prorsus tantùm spatij, quantum in eo describitur, à Sanctis in Cœlo occupandum, in modum Cœlestis Paradysi deliciosissimè instructi. Nam totum Cœlum Empyreum (inquit) quomodo occupare possunt, quod totum globum terræ, plus quàm decies, centies, millies, ac penè infinities excedit.

Propositio quinta. Pulchritudo & Amœnitas Cœlestis hujus Civitatis, ac Domicilij Beatorum est tanta, ut nullis verbis exprimi queat, nec cogitatione comprehendi. Unde S. Joannes Apostolus & Evangelista, eam non tam describit, quàm adumbrat, dum ait: *Ista Civitas aurum mundum simile vitro mundo, & fundamenta muri Civitatis, omni lapide pretioso ornata. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ per singulas; & singulæ portæ erant ex singulis margaritis, & platea Civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.* Apocalyp. 21. v. 18. *Et Civitas non eget Sole, néque Lunâ, ut luceant in ea. Nam claritas DEI illuminabit eam.* Plateæ igitur felicissimæ illius Civitatis, purissimo auro sunt stratæ, & quidem auro præstantiore, quàm sit nostrum, tum quia fulget, tum quia totum instar Crystalli lucet, muri & fundamenta è gemmis excitata, portæ non è gemmarum acervo, sed singulæ è gemma solida constructæ: Nulla autem ibi erit nox, sed dies perpetua, claritas enim DEI, id est: DEUS ipse per lumen gloriæ, quod in omnes incolas diffundet, instar fulgentissimi Solis, illuminabit eam simul & semel, ut dies lumine non egeat totâ æternitate. Nihilominùs pro secundaria *Lucerna* erit illis Agnus, nempè splendidissima, & gloriosissima Christi Humanitas corporeos Sanctorum oculos perpetuò, & in æternum oblectatura. Corpora item Sanctorum glorificata, quæ mirum in modum fulgebunt, sicut totidem Soles. Insuper in hoc Beatorum Domicilio, nulla erit caloris, aut frigoris, hyemis, aut æstatis vicissitudo, nulla nix, nec ventus; nec pluviæ, nec grandines, nec procellæ, nec turbines, nec tonitru, nec fulgura, nec aëris insalubritas, nec dolor ullus, nec ulla vel levissima invaletudo. Unde meritò affectuosissimis votis suspirat David Propheta: *Quàm dilecta Tabernacula tua Domine Virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Nec desunt Theologi, qui sentiant, & censeant in Coelo esse domos amœnissimas, ædificia, ac palatia, magnificentissima, fortè etiam prata nemoráque amœnitatis summæ, materiæ incorruptæ, supra gemmas omnes pretiosæ, quæ Beatorum oculos ipsa varietate oblectent, & illam Beatissimam Civitatem exornent. Juxta promissum Salvatoris nostri: Joan. 14. v. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, quibus alij ab alijs separentur, & pro dignitate distinguantur. Et certè cùm hoc domicilium pro se suisque amicis, DEUS sapientissimus, & omnipotens

ex

ex specialissimo affectu condiderit, necesse est, ut illud omnibus delicijs, Beatissimo illi statui convenientibus affluat. Est siquidem in Cœlo omnis Boni præsentia, & omnis mali absentia.

Propositio sexta. Alterum complementum Beatitudinis æternæ est societas Beatorum. Cujus ineffabilis voluptas, consurgit ex tribus potissimùm Capitibus, seu Rationibus. Primò, ex præsentia sociorum. Secundò, ex perfectione ipsius Societatis, & modi inter Beatos conversationis. Tertiò, ex sociorum, seu Amicorum multitudine.

Et quantum quidem ad primum. In hac Beatissima Societate erit primus & Princeps, Christus Dominus, ac deinde Sanctissima Christi Mater. Deinde novem Chori Angelorum, post hos sequuntur homines Justi, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, Viduæ, Conjuges, qui omnes ad unum sunt charissimi ac nobilissimi, cùm sint filij DEI, ac Reges Cœli, sapientissimi, cùm DEUM videant, in quo vident omnia, opulentissimi, cùm hæredes sint thesauri infiniti, & cohæredes Christi, speciosissimi, cùm sint absque nævo, & macula, humanissimi, svavissimi, sincerissimi, cùm cor eorum mutuâ charitate exardescat.

Quantùm verò ad secundum: Erit hæc societas, & conversatio mutua inter se Beatorum, jucundissima, sincerissima, in qua tanta multitudo erit sine confusione, magnitudo sine ambitione, varietas sine contentione, inæqualitas sine discordia, charitas sine diminutione. Nulla in hac erit æmulatio, nullus fucus, nullus dolus, nulla dissensio; nulla apprehensio, nulla perturbatio. Cujúsque illic cor & animus, perinde ut hîc facies cæteris omnibus patescit, tenerrimo alter alterum amore complectitur, certissimus, quòd & ipse ab alijs simili amore complectatur. Tantum unusquisque gaudebit de Beatitudine alterius, quantùm de suo ineffabili gaudio, & quot socios habebit, tot habebit etiam gaudia. Pax illic erit inter omnes pulcherrima, & bonis omnibus abundans, concordia summa, eadem omnium voluptas, idem de rebus judicium & sensus. *Verè mirabilis est DEUS in Sanctis suis, mirabilis in Cœlo sancto, qui facit unius moris in Domo.* Psal. 67. Hinc rectè Ludovicus Blosius Monil. Spir. cap. 14. *Omnia inquit gaudia, & oblectationes, quæ in hoc mundo percipiuntur, in comparatione perennium voluptatum, quæ in Cœlo ex visione DEI, ac Societate Sanctorum habentur, sunt veluti una aquæ guttula cum toto oceano.*

Quantùm demum ad tertium. Vel ipsorum tantùm Angelorum quanta erit multitudo! Nam ut Danielis 7. habetur: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Et Apocal. 5. *Erat numerus eorum millia millium*, quæ indefinitè ponuntur pro ingenti numero, & multitu-

titudine. Et Job. 25. *Numquid est numerus militum ejus*? Ignatius Derkennis noti nominis Societatis JESU Theologus disp. 2. de Angelis cap. 5. deducit: *Angelorum bonorum multitudinem, excedere numerum omnium hominum, qui fuerunt, & qui futuri sunt.* Imò addit: *Angelorum multitudinem, non solùm excedere species rerum materialium, quod parùm esset, sed etiam omnia individua, ea saltèm quæ universum corporeum simul componunt.* Sancta Brigitta quoque per revelationem à DEO edocta est: *Eum esse Angelorum bonorum numerum, ut si DEUS unicuique hominum à primo usque ad ultimum, assignâsset decem Angelos, nequaquam omnes ad hoc officij genus adhiberentur.* Jam quanta erit multitudo Beatorum hominum, qui licèt ad innumeram damnatorum multitudinem verissimè à Christo pauci nuncupentur, reipsâ tamen magnus eorundem erit numerus. Nam ut S. Hieronymus testatur: *Si ex solis Martyribus, quolibet die unius anni, quinque millia venerationi solenni prosequeretur Ecclesia, non ad omnes hic venerationis ordo pertingeret, ubi jam sunt tot centena millia, aut tot milliones hominum ex utroque sexu Religiosorum? & aliorum Justorum.* De quibus ait S. Joannes: *Post hæc vidi turbam magnam, quam denumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, linguis, stantes ante Thronum, & in conspectu Agni.* Apocalyp. 7. v. 6. Et certè cùm tam innumerabilis sit multitudo Angelorum, & horum tertia pars ceciderit de Cœlo, uti declaratur Apocalyp. 12. ubi dicitur: *Draco traxisse caudâ suâ, tertiam partem stellarum Cæli.* Per Draconem autem & stellas Cœli intelligi Luciferum, & malos Angelos, multi Interpretes Scripturæ Sacræ volunt, atque horum in locum successuros electos, eorúmque sedes occupaturos, necesse est maximam multitudinem fore Beatorum in Cœlo, esto hos superent in multitudine Angeli boni.

Propositio Septima. Tertium Complementum Beatitudinis hujus Cœlestis felicissimæ, est delitiarum omnium affluentia, omniúmque bonorum, sine ulla admixtione mali cumulus, & præsentia. Magna enim est differentia inter Cœli, & mundi hujus bona. Mundi namque hujus bona, sunt solùm apparentia, & fucata, inconstantia, multis amaroribus commixta, nec in unum cumulata, sed minutim in diversos dispersa, eáque diminuta, ac citò transitoria. Cœli verò bona sunt, bona vera, perpetua, nulli malo admixta, immutabilia, & omnia in unumquémque Beatum cumulata, & coacervata. Res ipsa, & experientia quotidiana clarè demonstrat de hujus mundi bonis. Abundat enim quis honoribus, sed non abundat divitijs, fulget quis titulis, sed paupertate laborat. Alius quidem dives est, sed contemnitur ab omnibus, alius doctus, sed semper valetudinarius, alius valetudinis robustæ, sed malæ famæ, alius corpore decorus, sed ingenio tardus, alius

in uno laudabilis, sed in multis vituperabilis. Jam verò cum quantis laboribus hæc ipsa fucata bona vitæ hujus acquiruntur, cum quantis molestiis curis, & sollicitudinibus possidentur, cum quanto dolore amittuntur? Nulla hîc sine amarore voluptas, & plerúmque extrema gaudij luctus occupat. Omnia hujus mundi gaudia, & quidquid in rerum natura volupe est, dulcis & amari, luctûs, & gaudij, commoditatis, & incommoditatis, oblectationis, & molestiæ mixturam habent. Citò transeunt, momento evanescunt, & postquam transiverint nonnisi afflictionem cordis post se relinquunt. Certè voluptates divitum maximis compensantur incommodis, doloribus, fœtoribus, fastidijs, cruditatibus, insomnijs, morbis, & plerúmque ex epulis, decuplo plus habent molestiarum, quam habuerint oblectationis, præterquam quòd vita plerúmque illis, ex repletione & cruditate, obtingat brevior, uti bene ratiocinatur Lessius lib. de summo Bono cap. 6. n. 37. atque eadem est ratio de omnibus vitæ hujus bonis: *Sola Beatitudo Cœlestis est talis, ubi nihil sit quod nolis, & ubi totum sit quod velis.* Nam ut S. Bernardus loquitur: *Ibi sanitas est sine defectu, securitas sine metu, dignitas sine timore, serenitas sine nube, scientia sine ignorantia, festivitas sine mæstitia, quies sine fatigatione, possessio omnium bonorum, sine ulla cura, sine ulla sollicitudine.* Unde meritò S. Augustinus de libero Arbitrio lib. 3. cap. ultimo affirmat non dubitanter: *Optabilius esse ad unam solùm diem frui Cœlestibus gaudijs, quàm omnibus mundi gaudijs frui innumerabilibus annis*; illúdque pro se Psalmista adducit: *Melior est dies una in Atrijs tuis, super millia*, hoc est: plus quàm mille dies, etiam felicissimos hujus vitæ.

Propositio octava. Quartum Complementum felicissimæ hujus Beatitudinis est omnium bonorum satietas. Rectè S. Thomas 1. 2dæ qu. 2. concludit: *Quòd cùm appetitus humani, seu voluntatis objectum sit, bonum universale, sicut objectum intellectûs est universale, nihil possit eundem satiare, & quietum reddere, quod non sit universale bonum.* Omne autem bonum creatum cùm sit particulare, non possit hoc, eundem satiare atque quietare. Quare verissimum est illud S. Augustini lib. 2. Confess. cap. 1. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Verum quóque illud Psalmistæ: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Psal. 16. hoc est: in hac vita nihil est quod satiet cor hominis, quò enim plus ei conceditur, plus appetit, nec poterit satiari, donec fruatur gloriâ tuâ Cœlesti. Sic & Filius Davidis Salamon, qui in delitiarum, ac voluptatum genere, satietatem quæsivit, si ullus mortalium, & habuit tantam abundantiam bonorum temporalium, quantam ullus Regum: supergressus siquidem est opibus omnes, qui ante eum fuerunt in Hierusalem, omniáque ea, quæ desideraverunt oculi ejus,

ejus, non negavit eis, nec prohibuit cor ſuum, quin omni voluptate frueretur. Quid tandem? num ſatiatus eſt? minimè. Ipſe ſiquidem ſubjungit: *Poſt hæc omnia vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Cujus rei etiam ſignum eſt, ut ait Leſſius de ſummo Bono lib. 1. cap. 2 n. 7. *Quòd nemo in hac vita ſuas appetitiones ſiſtat, ſed ſemper ad alia & alia extendat & obtenta augeri exoptet, & cupiat.* Unde qui congeſſit divitias, quærit honores, quibus obtentis, voluptates, & omnium moleſtiarum vacuitatem. Deinde in ſingulis eorum appetit creſcere, & confirmari, nec horum quidquam ſitim famémque animi ſatiabit. Sic divitias quærens conatur primò aliquas ſaltèm acquirere, his verò habitis quærit mediocres, iſtis obtentis, majores, his habitis maximas, & majores ac majores ſemper. Pariter eſt in dignitatibus, & honoribus, fit ex. g. aliquis, ex ignobili Civis, ſucceſſu temporis appetit eſſe Nobilis, ex Nobili Baro, ex Barone Comes, ex Comite Princeps, & primus inter magnates. Rurſus adipiſcitur quis Eccleſiaſticus locupletem Parochiam, ſucceſſu temporis appetit locupletiorem, dein Canonicatum, néque hoc diù contentus, Præpoſituram, dein Epiſcopatum, hoc habito, aſpirat ad Archiepiſcopatum, poſtmodum prenſat Cardinalatum, & fortè néque hoc ſatiatur. At verò Beati nihil ampliùs deſiderant, Cœleſtis enim Beatitudo id habet potiſſimùm, ut ſatiet animam, & omnem inquietudinem ab ea auferat. Quid enim deſiderent ampliùs Beati, ſi erunt ſicuti Angeli DEI in Cœlo? Quid ampliùs deſiderent, ſi erunt ſimiles DEO, *Quia videbunt DEUM ſicuti eſt.* 1. Joan. 3. Non quidem naturâ, ſed felicitate ac Beatitudine, quæ in eo conſiſtit, quòd videbimus eum ſicuti eſt. DEUS autem ſibi ipſi ſufficit, igitur & Sanctorum Beatitudo erit iiſdem ſufficiens, ita ut plenè ſatientur eâ, nec ampliùs quidquam deſiderent. Quid ampliùs deſiderent, aut deſiderare poterunt, ſi eos conſtituet DEUS ſuper omnia Bona ſua? ſi intrabunt in gaudium immenſum Domini ſui, ſi cum DEO regnabunt, & Cohæredes erunt Chriſti? ſatiabuntur igitur, cùm apparuerit eis gloria DEI. Rectè itáque concludit Boëtius lib. 3. de Conſolatione Philoſophiæ: *Liquet igitur* (inquit) *Beatitudinem eſſe ſtatum Bonorum omnium congregatione perfectum, quo quis adepto, nihil ulteriùs deſiderare queat.* Cujus rationem reddit: *Quia Beatitudo eſt omnium Bonorum ſummum, ſummum autem eſſe non poſſet, ſi relinqueretur extrinſecus quod optari poſſet.*

Propoſitio nona. Quintum Complementum Beatitudinis eſt de omnibus bonis poſſeſſis ſumma ſecuritas. Etenim ſi ſecuritas apud Latinos tranquillitas eſt, curæ, anxietatis, & periculi, expers. Et juxta Philoſophos: Securitas eſt recta placidáque animi conſtitutio, malorum impendentium curâ

vacans, hæc maximè Cœlesti Beatitudini convenit, Quam Beati, Divinam, adeóque infallibilem assecurationem habent, quòd *gaudium eorum, nemo tollet ab illis,* Joan. 16. v. 22. Erunt igitur curæ, & anxietatis, & periculi expertes de permanentia suæ Beatitudinis, & malorum impendentium curâ vacantes, ac liberi à metu de ejusdem amissione. Quam rem luculenter confirmat S. Petrus 1. suâ Epistolâ cap. 1. v. 3. *Regeneravit nos in spem vivam* (inquit) *hæreditatem incorruptibilem,* hoc est: quæ nec desinere, nec perdi potest, & *intaminatam*, seu ut Græcus textus habet ἀμαντον, hoc est incontaminabilem, seu ab omni labe, & sorde peccati immunem, imò nec ullam immunditiem admittere valentem, & *immarcescibilem*, quæ nec deflorescere, nec diminui, nec marcescere potest, *conservatam in Cœlis in vobis*, Græcus textus habet, quæ præparata est vobis, itáque in textu Latino *in vobis*, hoc loco ponitur pro *vobis.* Unde meritissimè à Theologis hæc Beatitudo dicitur *status Beatorum.* Nam revera status iste stabilis, sempérque stabit. Hic status in Cœlo cunctos durabit in annos. Hic status nullis fortunæ eventibus est subjectus, nihil in eo inconstans, nihil instabile. At in imaginaria Beatitudine hujus mundi contraria sunt omnia, hæc siquidem plena est curis, plena anxietatibus, plena periculis, plena timoribus, & sollicitudinibus, ut conservetur, ac ne amittatur, unde nec meretur *status* dici. Qualis enim hic est *status?* qui nunquam stat, sed semper mutatur, semper variatur? Qualis *status*, qui nunquam in eodem statu permanet? ubi autem bonorum omnium aggregatio? Cùm tamen vera Beatitudo sit *status* bonorum omnium aggregatione perfectus? In hac vita autem tenuis planè (& quidem etiam hic varius) est bonorum concursus. Vix enim aliquis mortalium est, in quem simul & sanitas, & divitiæ, & honores, & dignitas, & felicissimus in omnibus rebus successus, & sapientia ac scientia, & diurnitas vitæ, & jucunditas, & probitas, & favor, & gratia, & æstimatio, & magna nominis fama, & amor, & observatio inferiorum, ac timor, confluant, ac cumulentur? Sed esto omnia hæc in unum aliquem cumularentur, essent mera, vanitas.

Propositio decima. Ultimum Complementum Cœlestis Beatitudinis est Æternitas. Exinde siquidem, præcipuum Beatorum nascitur gaudium, quòd sciant Beatitudinem suam fore sempiternam. Sola enim hæc Beatitudo est fine carens, immutabilis, invariabilis, indeficiens, perpetua, & interminabilis. *Regnabunt enim Beati cum DEO, Dominus autem regnabit in æternum, & ultra.* Exodi 15. v. 18. *Et Justi in perpetuum vivent.* Sap. 5. v. 16. *Gaudebunt, & exultabunt usque in sempiternum.* Isaiæ 64. v. 18. *Ex his* concludit Lessius lib. 3. de summo Bono cap. ultimo *perspicuum est, in futuræ Beatitudi-*

titudinis statu, fore omnia corporis, & animi bona, quæ quis desiderare possit, eáque omnia fore sempiterna, omnique securitate munita. Quid ergò (inquit S. Anselmus Prosologiæ cap. 25.) *per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corpori tuo. Si forma, & pulchritudo delectat? Fulgebunt Justi, sicut Sol in Regno Patris. Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas? erunt similes Angelis DEI. Si vita sana, longa, & imò immortalis? Justi in perpetuum vivent, & salus eorum à Domino. Si satietas? Saturabuntur cùm apparuerit gloria DEI. Si ebrietas? Inebriabuntur ab ubertate Domûs DEI. Si melodiâ? Ibi Angelorum Chori concinunt sine fine DEO. Si quælibet non immunda, sed munda voluptas? Torrente voluptatis potabit eos DEUS. Si sapientiâ, Ipsa sapientia DEI ostendet eis se ipsam. Si amicitiâ? Diligent DEUM, plus quàm seipsos, & invicem tanquam seipsos, & DEUS illos, plus quàm illi seipsos. Si concordiâ? omnibus erit una voluntas. Si potentiâ? Omnia cum DEO suo poterunt. Si honor, nimis honorati sunt amici ejus. Si Divitiæ? DEUS fideles suos servos & bonos, supra multa constituet. Si vera securitas? Certissimi erunt, de nunquam amittenda suâ beatitudine.* Atque sic Sancti erunt ex omni parte Beati, cùm tamen in hac vita, nemo sit ex omni parte Beatus, imò nec ex parte minima, solidâ & verâ Beatitudine.

§ XX.

De statu Damnatorum, post extremum Diem Judicii.

DUplex est pœna Damnatorum, Una pœna damni, quæ est privatio æternæ gloriæ, & omnium bonorum, quibus Beati in æternum fruentur. Altera pœna sensûs, quæ à causis extrinsecis infertur, quarum illa magìs, & immediatiùs animam, hæc verò magìs, & immediatiùs corpus affìcit. Cùmque de priori jam suprà Paragrapho XII. de statu animarum in Inferno, ante extremum diem Judicij egerimus, restat ut hoc Paragrapho de statu damnatorum in Inferno post extremum diem Judicij de pœna sensûs, potissimùm disseramus.

Quæri igitur potest 1. *Utrùm corpora damnatorum, cum suis deformitatibus resurgent?* ℟. Cùm Author, qui naturam corporis condidit, eandem quóque corporis Naturam in Resurrectione sit reparaturus, adeóque sine omni deformitate, hoc est; sine aliqua membrorum diminutione, resurgent omnes mortui, consequenter, & damnati. Deinde in damnatis non erit aliquid, quod sensum doloris, in eis impediat, præsertim in illa parte corporis, quæ fuit aliquod peccandi instrumentum. Atqui defectus alicujus membri impediret, nec

esset universalis dolor in corpore, præsertim, si defectus esset in illo membro, quòd fuit aliquod peccandi instrumentum. Igitur damnandi quóque resurgent, sine his deformitatibus.

Quæri potest 2. *Utrùm corpora damnatorum erunt incorruptibilia?* ℞. Cum S. Thoma part. 3. qu. 86. art. 2. Affirmativè. *Damnati siquidem, non solùm in anima, sed & in corpore punientur pœnâ æternâ.* Sed hoc non posset esse, si eorum corpora essent corruptibilia, Ergò eorum corpora sunt incorruptibilia.

Quæri potest 3. *Unde corpora damnatorum reddentur incorruptibilia. Ratio dubitandi est. Quia si corpora damnatorum erunt incorruptibilia, aut hoc erit per naturam, aut per gratiam; Non per naturam, quia sunt futura ejusdem naturæ, cujus & nunc sunt. Nec per gratiam, vel gloriam, quia his omninò carebunt. Ergò erunt corruptibilia?* ℞. Corpora damnatorum fore incorruptibilia virtute Divinâ, quâ ita continebuntur in ijs Elementa & humores omnes, ut nulla fiat dissipatio, aut resolutio, quamvis ea instar ferri candentis ignescant. Sive jam hoc fiat positivo influxu Divino, sive subtractione concursûs agentium externorum, & potissimùm ignis infernalis, ut non possint hunc effectum in corporibus damnatorum producere. Conatur id confirmare S. Augustinus lib. 21. de Civitate Dei cap. 4. *Exemplo Salamandræ, Montis Æthnæ, carnis Pavonis, Magnetis, & aliarum rerum, ut argenti, & auri, quarum conditio & vis incredibilis est, in resistendo igni, etiam vehementissimo. Si igitur id naturâ potest præstare, quantò magis infinita vis Divina?*

Quæri potest 4. *Utrùm corpora damnatorum sint futura impassibilia?* ℞. Cùm S. Thoma par. 3. qu. 76. ar. 3. *Corpora damnatorum etsi propter Divinam Justitiam, nunquam ab igne infernali consumantur; passibilia tamen erunt, sine naturalis dispositionis immutatione.* Probatur id ex illo 1. ad Corinth. *Et non omnes immutabimur.* hoc est ut Glossa interlinearis explicat. Nos boni tantummodò immutabimur, gloriæ immutabilitate, & impassibilitate. Ergò corpora damnatorum non erunt impassibilia. Deinde sicut corpus cooperatur animæ ad meritum, ita cooperatur ei ad peccatum, sed propter cooperationem prædictam non solùm anima, sed etiam corpus post Resurrectionem præmiabitur in æternùm. Ergò & simili ratione damnatorum corpora punientur in æternùm, quod non esset, si impassibilia forent. Ergò erunt passibilia.

Quæri potest 5. *Utrùm damnatorum corpora torqueantur, non solùm igne, sed etiam intensissimo, & asperrimo frigore?* ℞. Non deesse multos Theologos, qui id asserunt docentes, quòd damnati perpetuâ quâdam vicissitudine

dine, transferantur ex ſtagno, ignis ardentiſſimi, ad ſtagnum nivis, in quo eſt inexplicabile frigus, & ex hoc viciſſim ad ſtagnum ignis. Fundamenta eorum ſententiæ, ſunt illa verba Job. 24. v. 19. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis n vium, & uſque ad inferos peccatum illius.* Ita S. Hieronymus in cap. 10. Matthæi, dum ait: *Duplicem eſſe gehennam, nimij ignis & frigoris, in Job pleniſſimè legimus.* Et Venerabilis Beda in commentario illius loci Job. 24. *Quaſi duas gehennas Job dicere mihi videtur, ignis, & frigoris, per quas diabolus, hæreticus, & homo impius commutetur.* Eandem tenet S. Thomas, & Thomiſtæ. Contrarium tamen docent plerique ex recentioribus, ſequentibus ex Rationibus. Primò. Quia Scriptura nuſquam, ubi de Inferno agit, meminit frigoris, ſed tantùm ignis Secundò. Si ſtagnum ignis, vel aquæ gelidæ, eſt apud inferos, ita ut damnati transferantur ad illum continuâ viciſſitudine, ex ſtagno ignis, & viciſſim. Cur dives Epulo petijt guttam aquæ ad refrigerandam linguam? Tertiò. Illa viciſſitudo non eſſet tormentum, ſed ſolatium, quis enim in medio ignis conſtitutus, non aſpiret ad ſtagnum aquæ nivalis, ad extinguendum ardorem? Quartò. Quomodo illud ſtagnum ignis & aquæ, immenſo calore, qui eſt in Inferno, non caleſcit? Quomodo tam infinita multitudo transferatur damnatorum continuò, ad hoc, in illud, & viciſſim. Textum verò illum Job. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium, & uſque ad Inferos peccatum illius*, dicunt, juxta noſtram verſionem eſſe imprecatoriam pœnæ temporalis in adulterum, & ſenſum illius eſſe: Uratur æſtu & frigore, ſeu gelu, affligatur omnibus vitæ hujus incommodis: *& uſque ad Inferos peccatum illius*, id eſt pœna adulterij, duret illi uſque ad ſepulchrum; vel donec rapiatur ab inferno. Ita Leſſius de perfectionibus Divinis cap. 23. n. 188.

Quæri poteſt 6. *Utrùm in Inferno ſint vermes rodentes corpora damnatorum?* ℟. A multis id affirmari, quibus favent aliquot Scripturæ Sacræ textus. Ut Eccleſiaſtici 7. *Vindicta carnis impij, ignis & vermis.* Et Iſaiæ ultimo: *Vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur.* Quod idem repetitur à Salvatore ipſo, Marc. 9. Et Judith 16. *Dabit ignem, & vermes, in carnes eorum.* Sed probabiliùs eſt, non eſſe in inferno vermes corporales, qui rodant corpora; ſed nomine vermis indicari conſcientiæ morſum, & perpetuam accuſationem ejuſdem, quæ inſtar vermium, cor eorum mordebit, geminâ cogitatione, & gemino dolore, nimirum; quòd ultroneè tantum bonum neglexerint, & in tanta mala ſe præcipitaverint. Ita communiter Sacræ Scripturæ Interpretes, & ſignatè S. Hieronymus in Caput ultimum Iſaiæ. Ambroſius in Caput 14. Lucæ. Divus Thomas par. 3. qu. 97. artic. 2.

Quæri poteſt 7. *Utrùm in Inferno ſint tenebræ corporales?* ℞. Affirmativè. Probatur id ex Scriptura, nam Job. 10. Infernus vocatur *Terra miſeriæ, & tenebrarum, operta mortis caligine, ubi ſempiternus horror inhabitat.* Et Eccleſiaſtici 21. *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.* At Matth. 8. *Filij Regni*, (id eſt Judæi increduli) *ejicientur in tenebras exteriores.* Ac demùm 2. Petri 2. *Quibus caligo tenebrarum reſervatur.* Nec obſtat, quòd ibi erit ignis, quia ignis ſulphureus parùm lucet, imò augebit eaſdem effundendo atram nebulam, ſeu fumum, quo omnia erunt pleniſſima, ut habetur ex Apocalyp. 14. *Et fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum.*

Quæri poteſt 8. *Utrùm fletus damnatorum ſit corporalis?* ℞. Fletus damnatorum fore verum fletum, cum gemitibus inceſſantibus, & immenſis ululationibus, abſque tamen lachrymarum effuſione: hujus verò ratio eſt. Quia ibi non erit humorum reſolutio. DEUS ſiquidem non permittet, ullâ ratione corpora damnatorum ſolvi, ut ſemper pati queant. Neque ad fletum requiritur lachrymarum effuſio, ſed ſufficit ea oris, oculorum, & totius vultûs perturbatio, cum ejulatu, & vociferatione, qui in amariſſimè flentibus eſſe ſolet.

Quæri poteſt 9. *Utrùm in damnatis cum corpore, ſit futurus verus ſtridor dentium?* ℞. Affirmative. Sicut enim fletus ille erit index ſummæ triſtitiæ, ita ſtridor erit index ſummi doloris, quem ſentient ex igne, neque hac de re eſt dubitandi locus, cùm Salvator expreſſe dicat: *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.*

Quæri poteſt 10. *Quinam ſitus erit, & diſpoſitio corporum damnatorum?* Cùm multa millia millionum damnatorum corporum ſint futura in Inferno, non poterunt nimiùm laxè, & ſeorſim ſinguli damnati diſponi. Coacervabuntur igitur, in unum quaſi cumulum, ſeu acervum, unus ſupra alterum, velut lateres in fornace latericea ardente. Quod confirmatur ex varijs Scripturæ Sacræ locis. Sic Eccleſiaſtici 21. de damnatis dicitur: *Stuppa collecta Synagoga peccantium, & conſummatio illorum flamma ignis.* Hoc eſt inſtar ſtuppæ in cumulum colligentur, & ſic mittentur in ignem Infernalem. Et Paterfamilias Evangelicus Matth. 13. *Jubet Zizania colligi in faſciculos ad comburrendum.* Et Iſaiæ 24. *Congregabuntur* (damnati) *in congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur, ibi in carcere.* Et Pſal. 20. *Pones eos ut clibanum ignis*, nimirùm ut ardeant ſicut ligna in clibano.

Quæri poteſt 11. *Utrùm dæmones torquebunt homines damnatos?* ℞. Veriſimilius eſſe, dæmones etiam poſt Judicium extremum fore tortores hominum damnatorum. Si enim ante Judicium torquent, animas damnatorum, cur

cur non etiam poſt? Præſertim cùm dæmones ſint *Spiritus, qui in vindictam creati ſunt.* Eccleſiaſt. 39.

§ XXI.

De ſtatu utriúſque Æternitatis, Feliciſſimæ, & Infeliciſſimæ.

QUæri poteſt 1. *Quid ſit ſtatus Æternitatis animæ?* ℞. Eſſe durationem illius ſine fine: eſſe numerum, dierum, menſium, annorum, ſæculorum ſine termino; eſſe ſeriem infinitam temporum, quæ pertranſiri, nec quidem cogitatione poterit: cujus finis nullus, cujus menſura eſt *ſemper*: eſſe ævum ævorum, quod non interit nec deficit, nec minuitur, ſed ſemper eodem modo ſe habet. Unde S. Auguſtinns in Pſalmos: *Quidquid vis* (inquit) *dicas de æternitate, ideò autem quidquid dicas, quia quidquid dixeris minùs dicis. Sed ideò neceſſe eſt, ut aliquid dicas, ut ſit unde cogites, quod non poteſt dici.* Varij, varijs ſimilitudinibus conati ſunt, non dico deſcribere, ſed ſaltèm adumbrare, hanc æternitatem, nos hîc adducemus ſolùm aliquas illius, arithmeticas adumbrationes. Prima ſit. Duratio hujus mundi ſtatuatur eſſe ſex millium annorum. Unus annus conſtat 12. menſibus, igitur duratio mundi conſtaret 72. millibus menſium. Item annus habet 52. hebdomadas, igitur duratio mundi continet in ſe trecenta duodecim millia hebdomadarum. Item annus unus conſtat 365. & ſex horis, igitur duratio mundi comprehenderet dies 2190000. hoc eſt: duos milliones, & centum nonaginta millia dierum. Una dies conſtat 24. horis, igitur unus annus conſtat horis 8760. hoc eſt, octo millibus ſeptingentis ſexaginta horis, & additis illis ſex horis, quæ ſuperſunt 8766. quæ ſi ducantur in 6000. annorum, duratio mundi eſſet 52596000. hoc eſt: quinquaginta duorum millionum, & quingentorum nonaginta ſex millium horarum, una hora continet 60. minuta, igitur duratio mundi conſtaret 3155760000. hoc eſt: Ter mille centum quinquaginta quinque millionibus ſeptingentis ſexaginta millibus minutorum, rurſus unum minutum primum continet 60. minuta ſecunda, & hoc 60. minuta tertia, hoc rurſus 60. minuta quarta, & hoc toa tidem quinta minuta, hoc iterum 60. ſexta minuta, ſextum unum minutum 60. ſeptima minuta, hoc viciſſim 60. minuta octava, unum minutum octavum 60. minuta nona, & hoc pariter 60. minuta decima, in qua ſubdiviſione ſiſtit computus Mathematicus. Factâ itáque mulriplicatione, ſingulorum numerorum antecedentium per 60. ſubſequentium minutorum, tota duratio mundi eſſet:

Secundorum minutorum - -	189345600000.
Tertiorum - - - - - - - - -	11360736000000.
Quartorum - - - - - - - - -	681644160000000.
Quintorum - - - - - - - -	40898649600000000.
Sextorum - - - - - - - - -	2453918976000000000.
Septimorum - - - - - - - -	147235138560000000000.
Octavorum - - - - - - - - -	8834083136000000000000.
Nonorum - - - - - - - - - -	530046498816000000000000.
Decimorum - - - - - - - -	31802789928960000000000000.

Hoc eſt: Triginta & unus millio, millionum, millionum, millionum, octingenta & duo millia, millionum, millionum, millionum, ſeptingenti octuaginta novem milliones, millionum, millionum, noningenta viginti octo millia millionum, millionum, noningenti ſexaginta milliones, millionum minutorum decimorum. Ponamus jam tot annos, quot ſunt decima hæc minuta durationis mundi, imò ponamus tot ſæcula, imò ponamus tot alias durationes mundi, imò milliones millionum harum durationum, incomprehenſibilis planè evadet numerus annorum, & ſæculorum? & tamen totius illius numeri, minor eſſet proportio, quàm ſit unius arenulæ reſpectu arenarum, quæ ſunt in omnibus Maris littoribus, quàm ſit unius herbulæ, vel folij reſpectu foliorum & herbarum totius mundi, quàm ſit unicus pilus reſpectu pilorum omnium animalium, hujus univerſi, non tantùm, quæ ſunt, ſed & quæ erunt, & quæ fuerunt, decurſu ſex millium annorum totius durationis mundi, & quæ eſſent tot ſæculorum temporis ſpatio. Quia finiti ad infinitum, nulla eſt proportio.

Altera ſit: Demonſtratum eſt à Chriſtophoro Clavio celeberrimo Mathematico. Quòd ſi impleretur totus hic orbis, uſque ad firmamentum Cœli minutiſſimis arenulis, quarum ſex æquivalerent uni grano papaveris, hic tamen totus numerus exprimeretur quadraginta notis arithmeticis, nempè unitate & triginta novem cyphris in una eadémque ſerie locatis; jam ſi hic tantus numerus multiplicaretur per ſe ipſum, & multiplicationis hoc productum duceretur in ſeipſum, & ſic conſequenter uſque ad milleſimam productorum numerorum, ac ſummarum multiplicationem, evaderet prorſus ineffabilis arenularum numerus, finitus tamen, ſupponamus autem ſingulis his arenulis, ſingulos annos, vel etiam ſingula ſæcula, imò ſingulas ſæculorum myriades, quantam facerent temporis diuturnitatem! finitam tamen, at reſpectu æternitatis, nullam proportionem habentem. Quia finiti ad infinitum nulla eſt proportio, nulla comparatio.

Tertia adumbratio ſit: In vaſtiſſimo Tomo mille ſaltèm foliorum minutis characteribus impreſſo, ſint in ſingulis paginis foliorum centum lineæ, & ſingulis lineis centum charactere, ſeu litteræ, eſſent in uno Tomo viginti

millliones litterarum, ponamus dein in una bibliotheca centum millia talium Tomorum, evaderet numerus duorum millionum litterarum, ſupponamus dein centum millia talium Bibliothecarum, & faciat DEUS decretum, ut ſingulis ſæculis, deleat Angelus & expungat unam litterulam (hucuſque certè ab initio orbis non expunxiſſet, niſi ſexaginta millia litterarum) hujus tamen expunctionis eſſet aliquando finis, & aliquando tandem Angelus ille poſſet dicere, quòd jam expunxerit ultimam litteram, quæ fuerat in illis Tomis omnibus. Aſt in æternitate nullum eſt ultimum ſæculum, & multò minùs ultimus annus, & multò minùs ultima dies. Finis enim æternitatis eſt nullus, terminus nullus, eſt illius eſſentia durare *ſemper* terminari *nunquam.*

Quæri poteſt 2. *Quotuplex ſit æternitas?* ℟. Eſſe duplicem unam feliciſſimam & beatam, includentem omne omninò bonum, & excludentem omne omninò malum. Alteram infeliciſſimam, & miſeram, includentem omne omnino malum, & excludentem omne omninò bonum.

Quæri poteſt 3. *Utrùm ſicut de ratione Beatitudinis eſt perpetuitas, & æternitas, ac cognitio illius, in Beatis, ita de Ratione damnationis, ſit ejuſdem perpetuitas & æternitas, atque cognitio ejuſdem in damnatis?* ℟. Affirmativè. Inter præcipuas ſiquidem pœnas damnatorum, eſt deſperatio. Hæc autem involvit in ſe æternitatem pœnarum Infernalium omnium, & cognitionem ejuſdem. Audient enim ſupremum Judicis decretum illud: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum,* ſcient immutabilitatem hujus Divinæ ſententiæ. Ergò. Hinc appoſitè Dionyſius Carthuſianus, in ſpeculo amatorum mundi inducit, ſic apud ſe cogitantes & ratiocinantes: *Elapſis decem millibus annorum adjicientur, centum millia, tot jungentur myriades, & milliones, quot in firmamento ſunt ſtellæ, & in littore maris arenæ. Poſt quæ longiſſima annorum ſpatia, quaſi nihil de pœnis noſtris accidetur, ſic iterum ab initio pati tormenta incipiemus: atque ita ſine interruptione, ſine fine, ſine modo, volvetur aſſiduò noſtrorum tormentorumm rota.*

Quæri poteſt 4. *Utrùm ſaltèm per infinitam DEI miſericordiam, aliquando tandem pœna damnatorum non terminabitur?* ℟. Pœnam damnatorum, etiam per miſericordiam DEI, nunquam finiendam, nunquam terminandam, imò nunquam etiam minuendam. Quia licèt DEUS ſit infinitè miſericors, eſt tamen ſimul eſſentialiter verax, & immutabilis, adeoque ſemel latam ſententiam in damnatos immutabit nunquam. Extrema autem, ac ultimata, & nunquam ampliùs revocabilis ſententia eſt in damnatos. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus.* Matt. 25. Et Apocalyp. 20. *Diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, &* ſulphu-

sulphuris; *ubi & bestia, & Pseudo-propheta cruciabuntur die ac nocte, in sæcula sæculorum.*

Quæri potest 5. *Licèt hoc de dæmonibus sit verissimum, quòd eorum pœna nunquam terminabitur; dubium tamen adhuc esse potest, an non saltèm pœna hominum damnatorum aliquando terminabitur?* Siquidem Glossa interlinearis supra illud Isaiæ 44. *Projectus es, &c.* subjungit: *Et si omnes animæ aliquando habebunt requiem, tu nunquam,* (loquitur autem citatus textus Scripturæ de diabolo) *Ergò videtur, quòd saltèm animæ humanæ, aliquando habebunt requiem à pœnis?* ℟. Néque hominum pœnam Infernalem terminandam unquam. Matthæi enim 25. simul de Electis, & reprobis dicitur: *Ibunt hi* (scilicet reprobi) *in supplicium æternum, justi autem in vitam ætérnam.* Ergò sicut Justorum vita nunquam terminabitur, ita néque supplicium damnatorum terminabitur unquam. Glossa autem illa non loquitur *simpliciter, sed sub hypothesi impossibili, ad exagerandam peccati magnitudinem ipsius diaboli.* Ita S. Thomas par. 3. qu. 99. ar. 3.

Quæri potest 6. *Utrùm saltèm hominum Christianorum pœna non terminabitur aliquando? Videtur enim, quòd saltèm pœna Christianorum, per misericordiam DEI terminabitur aliquando*; cùm Marc. ultimò dicatur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit.* ℟. Néque ex Christianis damnatorum pœnam finiendam unquam, fides siquidem sine operibus mortua est, néque sola sufficit ad salutem. Et Matth. 7. dicitur: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est.* Unde non omnes etiam finaliter in fide persistentes, à pœna æterna erunt liberi, nisi & ab alijs criminibus inveniantur immunes. Textus verò ille Marci ultimò intelligendus est, de fide formata, quæ per dilectionem operatur, *in qua quicunque discesserit salvus erit.* Sed huic non opponitur solùm infidelitatis error, sed quodlibet peccatum mortale.

Quæri potest 7. *Utrùm saltèm illi Christiani, qui exercent opera misericordiæ non puniuntur æternaliter.* Jacobi siquidem 2. dicitur: *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Ergò à contrario, illi qui fecit misericordiam Judicium erit cum misericordia, ut non in æternum puniatur. Et Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* ℟. Licèt opera misericordiæ sint DEO gratissima, uti & remissio injuriarum, eúmque plurimùm flectant ad meliorem Judicij sententiam ferendam, si tamen quis opera misericordiæ exercens, secedat ex hac vita cum aliquo mortali peccato, damnabitur æternaliter, adeóque pœnæ ejusdem terminabuntur nunquam. Nam non solùm illi qui non exercent opera mise-

misericordiæ, damnabuntur, sed qui alia quoque peccata quæcunque mortalia, committunt. Etenim ut habetur 1. ad Cor. 6. *Néque fornicarij, néque idolis servientes, néque adulteri, néque molles, néque masculorum concubitores, néque fures, néque avari, néque ebriosi, neque maledici, néque rapaces Regnum DEI possidebunt.* Præterea Jacobi 2. dicitur: *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

Quæri potest 8. *Quomodo DEUS cùm sit Justissimus, & infinitæ misericordiæ, ita ut misericordia illius sit super omnia opera ejus, vel propter unicum peccatum mortale, quod est temporalis culpa, puniat æternaliter*, cùm tamen Deuteronom. 25. ipse legem tulerit, *Pro mensura delicti, erit & plagarum modus.* ℟. Hoc arcanum esse unum ex præcipuis mysterijs Fidei. Cujus tamen rationes varias conantur assignare Theologi, quarum prima est: Quia licèt actus peccati re ipsâ brevis fuerit, & citò transierit, affectu tamen peccantis fuit æternus, adeóque meretur etiam pœnam æternam. Id verò S. Gregorius lib. 4. Dialogorum 44. sic declarat: *DEUS ut districtus Judex, non in tantum facta pensat, quàm cor ipsum humanum, seu affectum peccantis. Vellet enim* (inquit) *peccator sine fine vivere, ut posset sine fine peccare.* Unde infert: *Ad magnam igitur Justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careat supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.* Altera est: Omnis pœna infligitur propter culpam. Ergò tam diù durare debet pœna, quamdiù perseverat culpa, Atqui culpa post hanc vitam semper perseverat, in damnatis. Culpa enim nunquam remittitur in Inferno, ibi enim nulla est pœnitentia. Ergò Tertia est: Peccatum mortale ex suo genere est infinitum in ratione offensæ, si non simpliciter, saltèm secundùm quid. Ergò meretur pœnam infinitam, non intensivè, quia creatura non est capax alicujus qualitatis in intensione. Ergò extensivè Quarta est: Quia actiones improbæ, cujusmodi sunt peccata opponuntur è diametro Actionibus probis, & bonis. Ergò sicut illis debetur æternum præmium, ita his æternum supplicium. Quinta est: Quia peccator spontè & voluntariè, præeligit peccando voluptatem momentaneam, æternæ gloriæ, & bonum finitum, & transitorium, bono infinito, & incommutabili, ac mavult vilissimæ creaturæ adhærere, quàm ipsi DEO, contemnítque bonum æternum, ac æternam vitam, seu beatitudinem. Ergò meretúr pœnam æternam. Nam ut ait S. Augustinus lib. de Civitate Dei cap. 12. *Factus est malo dignus æterno, qui hoc in se perimit bonum, quod esse posset æternum.*

Quæri potest ultimò. *Utrùm peccatum veniale conjunctum mortali pœnâ æternâ puniatur in inferno, seu an si quis propter peccatum mortale damnetur, & habeat eidem peccato annexum aliquod peccatum veniale, etiam ratione*

tione hujus, proportionaliter quoad intensionem æternas pœnas patiatur. ℞. A multis Theologis id admitti, eò quòd licèt peccatum veniale pœnam æternam ex se non mereatur, tamen cùm in inferno nulli fiat diminutio, vel alleviatio pœnarum, sed eadem intensio manet per totam æternitatem quæ fuit ab initio, & peccatum veniale meretur aliquam pœnam, id eidem per accidens eveniat, quòd æternaliter puniatur. Alij tamen meliùs censent pœnam peccati venialis non durare in Inferno, quando id conjunctum est peccato mortali, æternaliter, quia DEUS nunquam punit supra condignum, pœna autem æterna esset supra peccati venialis condignitatem, cùm hoc non mereatur, nisi pœnam temporalem. Ergò cùm pœna ignis Infernalis in tali casu adæquabit, rationem culpæ venialis, pœna illa terminabitur. Néque obstat id quod dicatur, pœnam damnatorum nunquam, vel in minimo minui, id enim intelligendum est, de pœna debita peccato mortali, illa autem, quæ cessabit aliquando debita peccato veniali, comparativè ad pœnam peccato mortali debitam est planè exigua, adeóque saltèm moraliter eadem semper pœna manebit in damnatis, per totam æternitatem, quæ fuit ab initio damnationis, sicut cessatio morsûs unius pullicis, in laborante podagræ aut colicæ doloribus, quasi pro nihilo reputatur. Sed hujus jam suprà fecimus mentionem.

§ XXII.

De paucitate salvandorum hominum, & multitudine damnandorũ.

Propositio prima. Angeli incomparabiliter sunt plures, quàm omnes homines, qui sunt, qui fueruut ab exordio mundi, & qui erunt usque ad illius consumationem. Nam ut S. Thomas docet: *Rationabile est, quòd substantiæ immateriales excedant secundùm multitudinem, substantias materiales quasi incomparabiliter.* Quod aliqui extendunt, quoad omnes omninò rerum cunctarum non solùm species, sed & individuationes. Ergò adminimùm id verum erit respectu substantiarum humanarum.

Propositio secunda. Plures sunt Angeli Boni, & Beati, quàm mali & reprobi. Quia æquum est, misericordiam DEI, & remunerativam Justitiam in pluribus relucere, quàm Justitiam vindicativam. Præterea id declaratur Apocalyp. 12. ubi dicitur: *Draco,* (hoc est Lucifer) *traxisse caudâ suâ* (hoc est rebellione, ac seditione) *tertiam partem stellarum Cœli* (hoc est Angelorum.

Propositio tertia. Omnium Angelorum Beatorum, & hominum Electorum

nume-

numerus est major, quàm numerus dæmonum, & hominum damnatorum & reproborum. Nam Angeli Beati duplo ad minimum sunt plures quàm angeli damnati seu dæmones, & incomparabiliter sunt plures quàm homines, qui sunt, fuerunt, & erunt. Ergò.

Propositio quarta. Beati homines respectu reproborum, & damnatorum hominum admodùm sunt pauci. Assertum hoc est ipsiusmet æternæ Veritatis, cùm dixit: *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Matth. 22. v. 14. Item Matt. 7. v. 13. *Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spaciosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.* & v. 14. *Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Multi & omninò multi per illam, pauci & omninò pauci per hanc. Nota est Lugdunensis illa Revelatio, quâ habetur die illâ, quâ S. ille Eremita obijt, ac post mortem ejusdem Urbis Episcopo comparuit, mortua fuisse in mundo triginta millia hominum, ex quibus solùm quinque fuerunt salvati. Nota & illa à varijs Scriptoribus relata. Adducta fuisse simul ad Tribunal summi Judicis sexaginta millia animarum, vario mortis genere defunctorum, ex omni gente Christianorum, & Barbarorum, ac tres duntaxat animas ex ingenti hoc numero ad brevius supplicium relegatas, cæteras ignibus addictas æternis. Porrò cùm Geographi, in ordine ad Religionis constitutionem ita partiuntur orbem universum, Ut si is divisus sit in 30. partes, quinque partes obtinebunt Christiani, sex Mahometani, novemdecim Ethnici, deducitur ex his sexaginta millibus fuisse 38. millia Ethnicorum, octodecim millia Mahometanorum, & 10. millia Christianorum. Quot jam ex Christianis sunt Hæretici, & Heterodoxi, quibus omnibus idem locus est in altero sæculo, cum Gentilibus, & Mahometanis, nempè infernus. Ponamus itàque ex Christianis tertiam partem esse Hæreticorum, igitur inter illa sexaginta millia fuissent sex circiter millia Catholicorum, adeóque ex duobus millibus etiam Catholicorum, unum solùm salutem æternam consecutum fuisse. Néque id mirum esse alicui videri potest, cùm S. Gregorius expresè dicat. *Ad fidem* (inquit) *multi veniunt, sed ad Cæleste Regnum pauci perducuntur.* Hom. 19. in Evang. Et S. Chrysostomus tom. 3. Homil. 24. de pœnitentia ad Antiochenos: *Quot esse putatis in Civitate nostra, qui salvi fiant, incertum quidem est - quod dicturus sum, dicam tamen. Non possunt in tot millibus centum inveniri qui salventur, quia & de his dubito.* Ac demum S. Vincentius Ferrerius Dominicæ Septuagesimæ sermone 6. hanc calculationem salvandorum & damnandorum instituit. *Antequam Christus veniret in humana carne, transierunt ultra quinque* (juxta alios ultra quatuor *millia annorum, & totus mundus damnabatur, exceptis paucis*

de

de populo Israël, qui ibant ad limbum Patrum. Item, tempore Legis, cogitate quot infantes mortui sunt absque circumcisione. Sic modò tempore Legis Christi, quot moriuntur absque Baptismo, & de his nullus salvatur. Item quot in orbe sunt Judæi, quot Agareni seu Mahometani, quot Pagani, Gentiles, & Infideles, item inter Christianos, quot variarum sectarum Hæretici, qui omnes excludentur à Regno Cœlorum. Inter Catholicos ipsos quot mali, quia Fides, & Baptismus cum bona vita salvat hominem, aliàs non Quot Catholici, qui licèt Fidem veram habeant, sunt tamen superbi, avari, luxuriosi, invidi, raptores, ebriosi, rerum alienarum detentores, blasphemi, alijsque vitijs dediti? Addunt nonnulli non vano nixi argumento. Ex centum juvenibus damnatis nonaginta novem damnari ob peccatum mollitiei, & centesimum propter aliquod aliud vitium. Ex universis autem damnatis Catholicis & Christianis, unam tertiam partem damnari, ob peccatum Luxuriæ, & duas tertias ob aliorum generum criminа. Sic proborum numerus ad paucos redigitur, cùm improborum ad myriades extendatur. Ubique multitudo peccatorum, magna paucitas Justorum, & tamen de his ipsis dicitur: *Justus vix salvabitur.* 1. Petri 4. v. 18. Hanc paucitatem salvandorum Ascetæ sic exemplificant: Quando diluvium inundavit universam terram, nonnisi octo homines salvati sunt, & inter pauculos hos impius Cham erat. Ex sexcentis millibus armatorum populi Israëlitici, absque mulieribus, & parvulis, nonnisi duo Jordanem transiêrunt. Ex maxima multitudine Sodomorum, & Gomorhæorum, nonnisi tres homines subducti sunt. Atque hæc, ajunt Typum fuisse paucitatis eorum, qui salutem consequuntur.

Propositio quinta. Quòd tanta multitudo hominum æternùm damnetur, id non provenit ex eo, quòd DEUS eosdem ab æterno positivè prædestinaverit, ante prævisa eorundem demerita, ad æternam damnationem. Ut impiè sensit Calvinus. Id enim repugnat benignitati, & misericordiæ Divinæ, quam tantoperè nobis Scriptura Sacra commendat, & dilaudat, ut Psal. 24. v. 10. *Universæ viæ Domini misericordia & veritas.* Et Psal. 32. v. 5. *Misericordiâ Domini plena est terra,* hoc est: ubique misericordiæ ejus vestigia apparent Et Psal. 144. v. 9. *Suavis Dominus universis, & misericordia ejus, super omnia opera ejus.* hoc est: omnibus est benignus & beneficus, & miserationes ejus sunt majores, omnibus ejus operibus (quoad effectus scilicet, alioqui enim DEI attributa sunt æqualiter magna.) Quis autem diceret illum Regem esse misericordem, & benignum, qui merâ suâ voluntate, & dominandi libidine, nullâ subditorum culpâ, apud se animo decerneret, aliquos ex ijs ad perpetuos carceres compingere, in rotam agere, cruciare, ac exquisitissimis tormentis torquere?

Pro-

Propositio sexta. Néque ex eo provenit eorundem damnatio, quòd DEUS aliquos tantùm, eósque certo numero, ab æterno ad vitam æternam prædestinavit, illos verò ab hac excluserit, sícque negativè reprobaverit, ídque ante omnia prævisa illorum merita, & horum demerita. Quia hæc quoque exclusio trahit secum positivam reprobationem. Nam hoc ipso, quòd DEUS vellet, & prædestinaret, aliquos tantùm ad vitam æternam, eósque certo numero, qui nec augeri, nec minui posset, reliquos ab æterna gloria positivè excluderet. Cùm enim in hac providentia pro adultis, non sit medius status, sed alteruter, aut gloriæ, aut gehennæ, hoc ipso, quòd DEUS non vellet aliquem esse in gloria, vellet eundem addictum esse gehennæ. Ergò sicuti positiva ab æterno, & independenter ab eorundem demeritis, seu ante illa prævisa, reprobatio repugnat, benignitati, & misericordiæ Divinæ, ita & negativa.

Propositio septima. DEUS quantum ex se, neminem prorsus vult perire, sed omnes salvos fieri. Testantur id clarè multa, & obvia loca Scripturæ. Sic 1. ad Timoth. v. 4. *DEUS omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et 2. Petri 3. v. 9. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Et Ezech. 8. v. 32. *Nolo mortem peccatoris dicit Dominus DEUS, revertimini & vivite.* Et Oseæ 13. v. 9. *Perditio tua ex te Israël, tantummodò in me auxilium tuum.*

Propositio octava. Causa igitur, quòd tam pauci salventur, & tam multi damnentur, est: Quòd pauci homines convenienter fini suo vivant, & disconvenienter quàm plurimi, sive, quòd pauci media ad salutem æternam consequendam à DEO præscripta adhibeant, & modo eo quo deberent, & quàm plurimi eadem non adhibeant, vel non eo modo, quo deberent, imò ijsdem contraria, & opposita præeligunt. Nam ut S. Apostolus ad Philip. 2. v. 12. ait: *Omnes quærunt, quæ sua sunt, & non quæ JESU Christi,* & inde fit, homines turmatim ut floccos nivium ruere in gehennam, & maximam partem damnari. Conjiciamus paulisper oculos in lamentabilem mundi statum. *Mundus totus in maligno positus est,* hoc est: malitiâ, improbitate, peccatis omnibus redundat. Et Oseæ 4. v. 1. *Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia DEI in terra.* (practica videlicet, quâ homines cognoscant, æstiment, & revereantur DEI nomen, ejúsque providentiam, Justitiam, omnipræsentiam, omniscientiam, & bonitatem) *maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Hoc est: addunt peccata peccatis, & unum alterum excipit. Quid ergò miramur de tanta multitudine damnatorum? cùm vel unicum peccatum mortale sufficiat ad æternam damnatio-

S tio-

tionem! Et Isaiæ 24. v. 5. *Verè terra infecta est* (peccatis scilicet) *ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissparserunt fœdus sempiternum*, hoc est: jura, & leges DEI, quas in perpetuum observare debuissent. Et Psal. 13. *Corrupti sunt intellectu, & voluntate, pravis doctrinis, & omni vitiorum genere, & abominabiles facti sunt in studijs suis*, hoc est: in suis concilijs, & actionibus *non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum, omnes declinaverunt* à recto tramite, quem tenere debuissent, *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Quæ autem causa hujus? Eandem exprimit eodem Psalmo Regius Propheta v. 1. *Dixit insipiens in corde suo: non est DEUS.* in Hebræo est Elohim אלהים quæ vox significat DEUM, quatenus est Judex, vindex malorum, & remunerator bonorum, moderator & providens, quasi apud se dicat impius: impunè peccare licet, DEUS humana non curat.

Propositio nona. Licèt DEUS ab æterno præsciverit, quinam sint salvandi, qui item damnandi, & licèt hæc ejus præscientia falli non possit, unusquisque tamen damnandus, est causa unica suæ damnationis, & unusque salvandus cum gratia DEI, est cooperator suæ salutis. DEUS enim ex prævisis omnium meritis, vel demeritis, hos salvandos, & illos damnandos, prævidit, ac præscivit, & his præmium, illis supplicium decrevit. Unde rectissimè dicit Divus Prosper: *Non ex eo necessitatem peccandi habuerunt* (damnati) *quia prædestinati non sunt* (ad vitam æternam) *sed ideò prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt.*

§. XXIII.

De Medijs ad evitandam æternam damnationem, & Gloriam æternam consequendam.

PRopositio prima. Solum & unicum malum est, quòd homines à Regno Cœlorum excludit, & in æternam damnationem præcipitat, nempè mortale peccatum. Omnia alia mala privant hominem bono finito, ut divitijs, honoribus, valetudine, vitâ, peccatum verò mortale in æternum impedit fruitionem boni infiniti, videlicet DEI, privat æternâ gloriâ, & omni jure ad illam, occidit animam, facit hominem æternæ damnationis reum, & re ipsâ infallibiliter ac indubitatè detrudit ad Infernum, si quis in eo, unico etiam, decedat ex hac vita. Propositio hæc ulteriori probatione aut declaratione non indiget, cùm sit fide certa.

Pro-

Propositio secunda. Peccatum veniale licèt non excludat hominem à consecutione æternæ vitæ, infert tamen plurima spiritualia mala, disponit hominem ad peccatum mortale, & in altera vita eundem retardat ab æternæ vitæ consecutione. *Nihil enim coinquinatum intrabit in Regnum Cælorum.* Estque post summum malum, nempè peccatum mortale, alterum malum, quo aliud præter illud summum malum majus malum, non datur.

Propositio tertia. Pœnitentia igitur post peccatum commissum illicò est agenda. Nam post peccatum mortale commissum nihil aliud restat, quàm, vel Infernus, vel Pœnitentia. Peccator enim nisi Pœnitentiam egerit non salvabitur, sed in æternum peribit. Nisi promptè & celeriter eam agat, fortè nunquam eam ritè peraget. Quia non habebit semper tempus agendi pœnitentiam, non habebit semper hanc gratiam. Non habebit semper hanc voluntatem. Unde Eccles. rectè monet cap. 5. v. 8. *Non tardes converti ad Dominum, & non differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.*

Propositio quarta. Ad consequendam felicitatem æternam necessaria est in adultis vera Religio & fides. *Impossibile siquidem est sine vera fide placere DEO.* Omnes verò quibus datur vita æterna à DEO, placent DEO. Ergò.

Propositio quinta. Talis Fides vera, & salvifica est tantùm unica. Sicut enim est Unus DEUS, unum Baptisma, ita est & una Fides. Atqui unus est tantùm verus DEUS, Unum verum Baptisma. Igitur & Una vera Fides.

Propositio sexta. Falsissima est opinio multorum Politicorum, qui putant quemlibet in sua fide salvari posse, & signatè Catholicum in Catholica, Lutheranum in Lutherana, Calvinistam in Calviniana; omnes & singulos in sua fide, dummodò credant in Christum, juxta illud Joan. 3. v. 15. *Ut omnis, qui credit in ipsum*, (scilicet Christum) *non pereat, sed vitam æternam habeat.* Et illud ad Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus JESUS.* Cùm igitur omnes tam Catholici, quàm Lutherani, & Calvinistæ credant in Christum, atque omnes hæ Religiones habeant pro Fundamento Christum, inferunt: quemlibet in his tribus Religionibus in sua fide salvari posse. Sed malè, ut clarè id deducit Becanus lib. 5. Controversiarum cap. 1. Primò. Quia aliàs, omnes Hæretici salvari possent, in suis sectis, ut Ariani, Donatistæ, Pelagiani, & similes alij, omnes enim ut minimùm confusè credunt in Christum, hoc autem est absurdum. *Nam Zizania, quæ à diabolo seminantur, in medio tritici, jubentur alligari in fasciculos ad comburendum.* Matth. 13. Hæretici autem sunt illa Zizania. Ergò. Secundò. Si Catholici in Catholica, Lutherani in Lutheranica, Calvinistæ in Calvinistica salvari possent, eo quod

omnes ſaltèm confusè credunt in Chriſtum, quid neceſſe eſſet, tot lites, & controverſias excitare inter illos, tot calumnioſis ſcriptis à Lutheranis, & Calviniſtis Catholicos impugnari, & Lutheranos ac Calviniſtas mutuò inter ſe contendere, ac invicem ſe anathematizare. Tertiò. Si opinione Lutheranorum, & Calviniſtarum Catholici poſſunt in ſua fide ſalvari, cur non potiùs utrique hanc fidem complectuntur, tanquam certius medium ad ſalutem, cùm & ipſi hoc concedant, & Catholici confiteantur de ſua Religione, & de Lutherana, & Calviniana, ſoli ipſi aſſerant, Catholicis id penitùs negantibus. Profectò in medijs ad ſalutem unicè neceſſarijs, amplectenda ſunt illa; quæ ſunt certiſſima, præ minùs certis. Sicque conſequeretur Pax & tranquillitas inter Chriſtianos, ceſſarent mutuæ diſcordiæ, odia, bella, & tantæ animorum averſiones.

Propoſitio ſeptima. Fallunt, & falluntur Lutherani, & Calviniſtæ, poſſe unumquemque, in illorum Religione ſalvari, ex eo quod credant duodecim Articulos fidei, in quibus Articulis Summa ſeu Regula totius Chriſtianæ fidei continetur. Non enim credunt hos Articulos fidei, ſecundùm verum & genuinum ſenſum; ſic non credunt hunc Articulum fidei: *Credo Sanctam Catholicam Eccleſiam*, hanc ſiquidem acerrimè & pertinaſſimè impugnant. Non credunt hunc Articulum in vero ſenſu: *Credo Sanctorum Communionem.* Néque hunc, quòd *Chriſtus ſit judicaturus vivos & mortuos*, unicuique ſcilicet ſecundùm ſua merita retribuendo, vel pro bonis operibus, vitam æternam, vel pro peccatis damnationem æternam.

Propoſitio octava. Errant pariter Lutherani, & Calviniſtæ quòd dicant, ſe eſſe Catholicos, ex eo quia credunt omnia quæ continentur in Symbolo Sancti Athanaſij, cui tamen ſubjunguntur hæc verba: *Hæc eſt Fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmitérque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.* Quia Symbolum illud ſaltèm ea continet, quæ ſpectant ad Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis. Catholica verò Fides non ſolùm duo hæc Myſteria, ſed plurima alia indiviſibiliter complectitur. Ergò licèt his duobus aſſentiantur, ſi tamen alijs diſſentiant ab Eccleſia Catholica, non ſunt dicendi Catholici. Deinde néque omnibus, quæ in hoc Symbolo continentur plenè aſſentiuntur. nempè verbis illis: *Et qui bona egerint ibunt ad vitam æternam, qui verò mala ad ignem æternum.* Cùm & opera bona ad ſalutem æternam non eſſe neceſſaria aſſerant, & alia peccata præter peccantum infidelitatis non punienda, teneant.

Propoſitio nona. Præter fidem, & æternam ſalutem conſequendam, neceſſaria ſunt etiam alia bona opera. Clara ſunt hujus Veritatis Scripturæ Sacræ Teſtimonia. Ut Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* Et

apud

apud eundem cap. 20. *Voca operarios & redde illis mercedem.* Et Matth. 15. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis* Et ad Rom. 2. v. 6. *DEUS reddet unicuique secundùm opera sua.* Et 1. ad Corinth. 3. v. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundùm laborem suum.* Idem apertè declarat S. Jacobus Epist. 2. v. 20. dum scribit: *Fidem sine operibus mortuam esse.* Et ex operibus justificari hominem, non ex fide solùm. Idem tradit S. Paulus ad Roman. 2. v. 23. *Non enim auditores legis justi sunt apud DEUM, sed factores Legis justificabuntur.* Idem docent omnes SS. Patres, idem dictat recta ratio, idem tenuit tota Ecclesia primitiva.

CONCLUSIO.

PRoposueram in animo, ex hactenus in præsenti materia dictis, & præsertim ex postulatis, Definitionibus, & axiomatibus initio hujus Dissertationis appositis particularia aliqua Corollaria ascetica deducere. Verùm quia, sicut in alijs Scientijs, ita & in Asceticis, ex Theoria sine magna difficultate deducitur praxis, & ex penetratione unius veritatis facilè infertur alia, & ex præmissis bene dispositis per se consequitur Conclusio. Ita ut non pauci Ascetæ, contenti sint elucidare asceticas in fide, & recta ratione, fundatas veritates, principia & axiomata ac dictamina Lectoribus relinquendo ex ijsdem deducendas practicas conclusiones, & illationes, & ad vitæ emendationem, virtutémque ac perfectionem acquirendam, salutaria proposita. Hos igitur & non sequimur.

O. A. M. D. G.

Et Felicem Æternitatem consequendam.




INDEX PARAGRAPHORUM.

FINIS.



ERRATA; CORRECTA.

Folio 4. *Lineâ* 13. Eſt ens, *Lege* Et Ens. *fol.* 9. *lin.* 8. DEI gratia, *lege* DEI. gratia. *Ibid. lin.* 19. Præſentia, *lege* Præſcientia. *fol.* 23. *lin.* 28. v. 7. *lege* n. 8. *fol.* 35. *lin.* 29. ſuptiiis, *lege* ſubtilis. *fol.* 38. *lin.* 32. Ergo minor, *lege* Ergo. Minor. *fol.* 42. *lin.* 5. Rationaes, *lege* Rationales. *fol.* 44. *lineâ* 24. vel enima, *lege* vel enim anima. *fol.* 45. *lin.* 24. Paradyſus terreſtris, *lege* Paradyſus Cœleſtis. *fol.* 46. *lin.* 31. uti, *lege* ubi. *fol.* 47. *lin.* 7. damnari pœnâ æternâ, *lege* damnati pœna æterna. *fol.* 48. *lin.* 27. ſtatuatur, *lege* ſtatuatur. *fol.* 51. *lin.* 16. æternâ gloriâ, *lege* æternâ gloriâ perfruuntur. *Ibid. lin.* 26. com, *lege* cum. *fol.* 53. *lin.* 33. in inferno, *lege* inferno. *fol.* 54. *lin.* 6. ex eove maximè, *lege* ex eo vel maximè. *Folio* 56. *lin.* 56. certœ, *lege* certæ. *fol.* 59. *lin.* 10. ænimæ, *lege* animæ. *Folio* 64. *lin.* 23. &, *lege* ut. *fol.* 63. *lin.* 3. putammina, *lege* putamina. *Folio* 29. *lin.* 21. ve, *lege* vel. *fol.* 84. *lin.* 31. quos, *lege* duos. *fol.* 87. *lineâ* 23. diem, *lege* ignem. *fol.* 89. *lin.* 23. abſurda, *lege* ab abſurdo. *Folio* 91. *lin.* 24. effectuum, *lege* affectuum. *fol.* 103. *lin.* 7. compationis, *lege* comparationis. *fol.* 107. *lin.* 32. Erit lux Lunæ ſicut lux Solis, erit ſeptemplicitæ, *lege* Erit lux Lunæ, ſicut lux Solis, & lux ſolis erit ſeptempliciter.



In Angellica.

Angellica tu potes vocuum discrimina mille
mille potes varios ipsa referre modos.

Sam. S:

Auxoria lugere fata.

Cimices Pluskwy Tollie 282 de noxiis Animalibus

800.–